Psychologia anthropine [sic], sive de ortu animae humanae libri III in quibus multa arcana ac secreta naturae, tum de semine, tum de foetu, ut et assimilatione parentum et liberorum, panduntur ac revelantur / [Fortunio Liceti].

Contributors

Liceti, Fortunio, 1577-1657.

Publication/Creation

Francofurti : Ex officina Joannis Saurii, 1606.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/b6agr66q

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Fortun. Liceto.

DE ORTV ANIMÆ HVMANÆ

B. NOVMANNI

DE MIRACVLIS MORTVORVM

TEMPLVM NATVRÆ HISTOR.







3782 /A
3586 (2)
3581 (2)

24197

Hodgson
372.
23/6/10

61-7

LICETUS

ΨΥΧΟΛΟΓΙΑ ΑΝΘΡΩΠΙΝΗ,

Siue

DE ORTV ANIMÆ HVMANÆ

Libri III.

IN QVIBVS MVLTA ARCANA AC SECRETA Naturæ, tum de Semine, tum de Fœtu, vt & assimilatione parentum & liberorum, panduntur ac reuelantur,

AVCTORE

FORTVNIO LICETO GENVENSI,

Philosophiæ & Med. Doct. & Acad. Pisanæ Professore celeberrimo.

Occultioris Philosophiæ, & Disputationum secretiorum Studiosis tam vtiles, quam necessarii.



M D C VI.

FRANCOFVRTI.

Ex Officina IOANNIS SAVRII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

BARTHOLOMÆO TVRRIANO EX LAVANIÆ COMITIBVS Domino ſuo colendiſs.

FORTVNIVS LICETVS A RECHO S. P. D.

QVÆ à probis, atque à ſpectatis viris laus eſt, BARTHOLOMÆE TVRRIANE, eam non tam iucundam vtilitate dixerim, quam iucunditate vtilem: vnde & ille apud Accium non tam ſe laudari, quam à laudato viro lætabatur. Neq; vero aliorſum hæc, quam vt tibi ſuſcepti operis rationem paucis exponam. Non te fugit, opinor, me; Bononiæ quum agerem ſapientiſſimi viri illius, atque Peripateticorum celeberrimi, FEDERICI PENDASII auditor, & alumnus, libtum à patre meo olim editum de Genitalium vſu ac dignitate, typis dandum accepiſſe; quem

quum auidius lectitarem, sententiam, qua dicebatur Hominis animam semini actu inesse, offendi; quæ excussit illico dormiturientis animum ad accuratiorem ea super re animaduersionem quasi euocans. Conspexi ego, relegi, expendi. tum dubitationes, & scrupuli nescio qui iniecti. Sed expediui tandem quoquopacto mentem solicitudine efformato De Anima seminis libello. Quem, veluti præcocem studiorum meorum fructum, etiam tum Patri Genuæ Medicinam facienti obtuli. Inde aliquot post annis quum isthuc laurea insigniendus veniissem, præter spem probatissimorum Patrum huius Ven. Collegii censura non improbatum intellexi, tuaque potissimum Doctiss. TVRRIANE: qui etiam me ad eiusmodi summę laudis studium maximopere es cohortatus. Quod illico tantos addidit animos (laudata siquidem crescit) vt exertis viribus tumultuarium opusculum ad incudem reuocarim; imo verius in fornacem, vbi penitus refunderetur: vnde ex pusillo in iustum hoc excreuit volumen; apparent enim DE ORTV ANIMÆ HVMANÆ LIBRI TRES. Qui quum renasci iam cupiant, & in vulgus exire quasi gestiant, tibi, idipsum quicquid est operis, in perpetuum gratianimi, & obseruantiæ debitæ monumentum inscribere, ac nuncupare potissimum

VO-

volui. Nec inconsulto; quum enim perturbatissimum hoc sæculum bonis studiis parum æquum, & gratum, defensores flagitet; nullibi magis, quam sub TVRRIS munitissimæ præsidio ab omni liuore intactum fore existimaui: quum etiam illi à splendore tuo non parum lucis sciam accessurum. Is enim es, quem extra omnem inuidiæ aleam positum, optimi quique colunt, & suspiciunt Philosophiæ, rectæque Medicinæ alumnum, autorem, & decus; vt qui ipsam ad quintum iam lustrum studio non intermisso exerceas, operibus amplifices, vsu denique diligenti collustres. Nam huic natus, huic laboras. Hinc librorum tanta seges, cultumque Musæum. Imo & ODOARDVS frater vnicus (qui enim sacram D. FRANCISCI familiam profitetur, tibi hac in re quasi decessit) tuo excitus hortatu hanc vsq; ad lauream prosequutus est. quam eandem viam tuis signatam, atque impressam vestigiis FRANCVS filius indefesse iam ab octennio insequitur, te iubente. cur? tibi profecto vt quum præsidio ad isthæc studia fuerint, Medicinæ commodius, vtiliusque deseruias. Iam vero de incredibili tua in litteratos humanitate; de summa in pauperes liberalitate; de diligenti in ægrotantes officio; de cœlesti tua Iatrochymia diu nimis optata (quæ ò si prodeat iam, ros are-

scenti solo) de religiosa in DEVM pietate; deque actionibus egregiis, quas vbique profers, ductus bono illo genio, Medela Dei, qui tuo cunctis horis inhæret pectori; nihil dicam. Neque enim est in præsentia mihi decretum virtutum tuarũ panegyrim contexere, quum ampliores omnino sint, quam vt hisce angustiis capiantur. Vnum illud rogatum dumtaxat velim, Clariss. TVRRIANE, vt leuidense hoc munus, vtpote primum perquam mediocris ingenii mei partum, pro tua humanitate, & vetere in omnes sapientiæ amatores beneuolentia, æqui bonique facias: dum etiam memineris multas gentes lacte, & mola quandoque salsa litare, quia thura non habeant. Vale, & me ama. GENVÆ 15. Kalend. Nouembris. M. D C. I I.

IO. BAPTISTA PINELLVS

IN EXCELLENTISS. DOCTORIS FORTVNII LICETI Libros

De Ortu Animæ Humanæ.

ET vsque docti, & vsq; numeris omnibus
Libri absoluti in huius aureolo sinu,
Sub auspicato TVRRIANI *tegmine,*
Ob singularem integritatem pectoris,
Medicamq; ob artem exercitam, omnino vt decet,
Nullis tacendi TVRRIANI *vatibus,*
De triplici anima dum, LYCETE, *disseris,*
Torquenda retro tela nullius manu
Proh quam efficacis coniicis scientiæ
In quotquot hac de re exarandis perperam
Hucusque chartis allaborarunt sophos!
Subtilis ergo quisquis ingenii arduas
Notationes eruisse nominum
Anhelat, acri te docentem spiritu,
Vnde augeatur, & vigescat stirpibus,
Plantisq; vita, ab ILICETO *forsitan*
Non inuenuste nuncupatum dixerit:
Ferina vero sæcla, præter augminis
Motum, vnde sensus qualitate polleant,

Rite explicantem ab Arcados terra iuga
Longe feraci belluarum, & asperi
Dorsi LYCÆO *appellitarit aptius.*
At de superno flamine, igne & simplici,
Mens vnde ducit nostra puram originem,
Intelligenti & prapotente munere
Differre brutis vnde prorsus noscimur,
Dum mira pangis, ipse te vnde censeam
Denominatum? tene forte ab Attica
Minerua alumnis, grauibus & fœto viris
Prisco LYCEO? *ô absit omen impium!*
Stagyra an heros confragosa identidem
Non hasit vsque quastioni huic insidens?
At vnde tandem? à LYNCE *nimirum tibi,*
Latè videnti vel putarim à LYNCEO
Cognominis vocabulum iure inditum.
Mea hoc libello tam erudito opinio
Satis superque comprobatur, LYNCEIS
Prouisa acute vbi cuncta luminibus nitent.
Idem hoc vetustum insigne testatur tuum,
Quod LYNCES *ornant pelle, maculisque illita.*
Quare hic facessat mons, nemusque & porticus,
LYNCETVS *& fac vt vocere in posterum.*
Suppleto nomen: adde litterulam, probet
Quæ te reapse conuenire stemmati.
Hoc præstat illi, vt elegans tuus hic labor
Tenoris huius omnium laboribus
Antistat cui ad hoc in auras editis,
Caduco & immortalis vt mens corpori.

INDEX

INDEX, ET SERIES CAPITVM.

PRæfatio totius operis continens Propositum, Ordinem, Diuisionem, Necessitatem, atque vtilitatem vniuersæ tractationis. Pag. 1

CAPITA PRIMI LIBRI.

PRima proponitur opinio dicentium totam animæ humanæ naturam esse simplicem intellectū immediatè à Deo creatum, & quadragesima die à conceptionis initio corpori iam organizato infusum. Cap. 1. 5

Confutatur allata opinio, ostendēdo fœtū in vtero antequam sortiatur intellectum à Deo, aliud genus animæ ab alio agente nactū fuisse. Cap. 2. 9

Respondetur argumentis obiectis, ex quo monstratur animalia nutriri posse sine multiplici coctione alimenti. Cap. 3. 17

Affertur secunda opinio Auicennæ dicentis animæ nostræ partem rationalem proximè oriri à Cholcodea; à qua & prodeunt partes eius ratione carentes, sed mediante semine; quo vtitur tanquā instrumento. Cap. 4. 23

Expenditur opinio Auicennæ, & probatur semen in generatione hominis non subire vices instrumenti, quo Cholcodea proximè vti debeat. Cap. 5. 25

Satisfit rationi in oppositum, imo ea retorquetur ad hominem mōstrando maiorem esse similitudinem inter animas rationis expertes, & agens materiale, corruptibileque; quàm inter eas, & Cholcodeam Auicennæ. Cap. 6. 27

Adducitur opinio Platonicorum existimantium animæ humanæ partem intellectiuam immediatè à Deo summo prodire, partes vero caducas à Diis iunioribus. Cap. 7. 29

Platonicorum sententia expenditur, ostendendo vegetalem, ac sentientem animam in nobis, non à superis, sed à Parentibus Originem habere. Cap. 8. 34

Soluuntur Platonicorum rationes, interpretando multa obscura loca veterum, monstrandoq; Deos iuniores, quiuis illi sint, esse efficientia remota, non autem proxima, vegetalis, ac sentientis animæ. Cap. 9. 36

Promulgatur opinio quarta Fernelii arbitrantis animæ humanæ partem tū rationalem, tum ratione vacantem à Cœlo mediante spiritu fœtui conciliari. Cap. 10. 48

Fernelii placita trutinantur, probaturq; nullã animi noſtri partem ſic à cœlo pendere; multaq; Ariſtotelis loca explicantur; declaraturque quomodo Sol hæc inferiora illuminet, quod in exemplum affertur. Cap. 11. 61

Diluuntur argumenta Fernelii, oſtendendo Deum, ac Cœlum eſſe efficientia remota animæ noſtræ vegetalis, ac ſentientis: non proxima; & monſtrando ſpiritũ, caloremque naturalem in nobis à cœlo non eſſe, ſed elementarem. Cap. 12. 73

Exponitur opinio quinta ex Pompon & aliis iudicantibus animæ humanæ partem & rationalem, & rationis expertem originem ducere à Parentibus, non à ſuperis. Cap. 13. 86

Examinatur opinio Hierardi, & Pomp. propoſita, demonſtrando animi noſtri partem rationalem, non à Parentibus, ſed à ſuperis proxime oriri; eamque non eſſe vllo modo quantam per accidẽs. Cap. 14. 96

Reſoluuntur aduerſæ rationes, oſtendendo mentem humanam eſſe omnino indiuiſibilem, ac immaterialem, non in vniuerſum corpus extenſam, ſed in præcipua corporis parte reſidentem, nec à Parentibus ortam. Cap. 15. 103

Recenſetur opinio aſſerentium vegetalem, ac ſenſitricem animæ noſtræ partem genitam eſſe, dum eſſemus in vtero matris, ab anima ipſa materna ſibi ſimilem animam quoad partes irrationales generante in Embryone. Cap. 16. 115

Ponderatur dicta opinio, & oſtenditur ab anima materna nullo modo poſſe generari animas mortales fœtus in vtero degẽtis. Cap. 17. 119

Tolluntur argumenta obiecta oſtẽdendo tum in quibus filii poſſint aſſimilari Patri ac matri; tum quomodo non ſemper agentia phyſica generẽt ſibi ſimile; tũ in omni generatione viuentiũ eſſe diſtinctionem ſexus; tum plantas omnes maſculam naturam habere, quarum fœmina communis eſt terra. Cap. 18. 128

Septima opinio Portii, & aliorum dicentium fœtum in vtero primis quadraginta diebus viuere beneficio animæ maternæ, ceu partem, ac fructum corporis materni; in partu vero fœtui animã remanere ſibi communicatam à materna iuxta partes caducas diuiſa ad partitionem ſubiecti. Cap 19. 141

Conuellitur ſuperior ſententia demonſtrando fœtum in vtero non viuere beneficio animæ maternæ, ſed alterius ſibi propriæ; neque eſſe vllo modo partem corporis materni. Cap. 20. 144

Enodantur obiecta ratiocinia, oſtendendo fœtum non eſſe verè fructum matris; neque neceſſario, qua nutritur, eadem anima ſibi alimentum coquere. Cap. 21. 150

Recitatur octaua opinio Alberti Magni dicentis animæ noſtræ partes ratione carentes nobis indi immediatè à ſemine, non quidem ceu ab agente principali, ſed tanquam inſtrumento operante in virtute Patris, qui eſt agens

gens principale. Cap. 22. 155
Alberti sententia destruitur, demonstrando semen non posse in generatione agere vt purum instrumentum in virtute Patris. Cap. 23. 157
Alberti obiecta infringuntur, probando semen similitudinem nō habere cum proiectis ab extrinseco, neq; cum instrumentis artis. Cap. 24. 159
Nona opinio Pernumiæ iudicantis vegetalem ac sentientem animā fœtus genitam esse ab anima seminis, tanquam ab agente principali. Cap. 25. 162
Pernumiæ sententia reiicitur, probando semen non acquirere animam à partibus vniuersis in digestione vltimi alimenti; nec aliam à sua animam fœtui communicare posse. Cap. 26. 166
Respondetur argumentis in oppositum, ostendendo semen cedere in materiam geniti, & nihilominus facere sicuti quæ ab arte, & aliquomodò esse, ac dici posse hominem. Cap. 27. 171
Decima opinio Aristotelis legitur in capite tertio, & in quarto secundi de generatione animaliū, quæ tractatio diuiditur in quinque textūs. Cap. 28. 174
Affertur circa primum textum expositio Io. Grammatici dicentis Aristotelem in eo nihil aliud sibi velle, nisi animam humanam in fœtu primum edere operationes plantales, deinde animales, tandem vero humanas. Cap. 29. 181
Exploditur interpretatio Philoponi, demonstrando totam animā humanam non indi fœtui simul, nec simpliciter prius edere actiones plantales, deinde animales, tandem humanas; & hic agi de fœtu in vtero, qui nec animales probè, nec rationales vllas edit operationes. Cap. 30. 182
Soluuntur argumenta Philoponi, ostendendo actiones vegetales nō fieri ope organorum, quæ primum fabricentur à vi formatrice; non absolute præcedere sensualibus, & rationalibus; hasque non indigere instrumentis corporeis. Cap. 31. 189
Alia huius primi textus explicatio adducitur ex D. Thoma iudicante vere quidem in fœtum primam omnium recipi animā vegetalem, procedēte tempore sensualem, demum rationalem; sed vbiq; priorem corrumpi ad ortū posterioris. Cap. 32. 194
Conuellitur allata sententia D. Thomę monstrando mentem nō posse corpori vniri immediatè, atq; animam humanam non esse naturam simplicis essentiæ. Cap. 33. 195
D. Thomæ argumenta soluuntur, declarando quomodo plures formæ possint esse in composito; & quomodo priuatio, seu forma prior corrumpatur aduentu, seu etiam ortu formæ posterioris. Cap. 34. 201
Declaratur primus contextus, in quo Aristoteles docet generationem hominis fieri, tum interuētu animæ vegetalis, quæ prima omnium in fœtu reperitur tum ortu sensitiuæ, quæ procedente tempore in cōceptum recipitur, tum demum aduentu rationalis. Cap. 35. 206

Propo-

INDEX

Proponitur quędam ſecundi textus expoſitio, qua dicunt aliqui Ariſtotelem, in eo probare animam ſenſitricem non oriri à Parentibus mediante ſemine. Cap. 36. 211

Refutatur dicta expoſitio, monſtrãdo ex Ariſtotele animam ſenſualem ineſſe fœtui à Parentibus mediante ſemine, & hoc non eſſe indignum cui aſſocietur talis anima. Cap. 37. 212

Reſpondetur ad obiectam rationẽ, declarando quomodo natura ſoleat inuicem connectere res valde diuerſas. Cap. 38. 214

Affertur alia eiuſdem textus expoſitio ex Pompon. & Alexandreis dicentibus in hoc textu Ariſtotelem nomine mentis intelligere, non partem animæ humanæ, ſed mentem diuinam, cuiuſmodi eſt intellectus agens. Cap 39. 215

Expenditur hæc expoſitio, & probatur Ariſtotelem hic nomine mentis non poſſe intelligere mẽtem diuinam, ſed partem animæ noſtræ rationalem. Cap. 40. 216

Pompo. & Alexandri ratio illa iampridem putata inſolubilis exactiſſimè diſſoluitur, & ad hominem retorquetur, monſtrando intellectum humanum ad ſpeculandum non vti organo corporeo. Cap. 41. 221

Recenſetur alia huius loci expoſitio ex Portio aſſerente Ariſtotelẽ hic nomine mentis intelligere, non intellectum potentia, qui nihil eſt antequam intelligat, ſed intellectum in actu, cuius ſolius omnis actus tum primus, tum ſecundus ab extrinſeco eſt. Cap. 42. 232

Confutatur expoſitio Portii demõſtrando verius quod nam ſit id, vnde prodeunt actus cuiuſque animæ, & intellectum, quem vocat potentia, non eſſe nihil priuſquam intelligat, neque à natura, vt ipſe ait. Cap. 43. 237

Portii argumenta diluuntur, oſtendendo fœtum in vtero tum alimentum ſuſcipere nõ ſolum per vmbilicum, verumetiam per os, tum primo quadragenario ſortiri animam & ſenſualem, & rationalem; nec non declarando obiectam Ariſtotelis ſententiam, puta mens nihil eſt antequam intelligat. Cap. 44. 245

Expoſitio Auerrois dicentis Ariſtoteli mentem humanam eſſe infimam intelligentiarum abſtractarum, ſeipſam dum fimus nobis communicantem; ideoque ſolam fœtui extrinſecus aduenire; quum ſentiens, & vegetalis anima nobis à Cœlo inſit, ſed vtente parentibus, ac ſemine ceu inſtrumentis, quo fit vt non extrinſecus. Cap. 45. 253

Conuellitur expoſitio Auerrois, oſtendendo animas vegetalem, & ſentientem in nobis non oriri à Cœlo vtente parentibus, ac ſemine vt inſtrumentis; neque hic Ariſtotelem agere de mente, quæ abſtracta exiſtens, & vnica omnibus hominibus aſſiſtat; quorum corpore vt organo vtatur ad intelligendum, Cap. 46. 257

Auerrois obiecta tolluntur monſtrando mentem eſſe, tum formã informantem, & tamen cognoſcere vniuerſalia, dici corpori nõ miſtam, ſeparatam, & actum nullius corporis; tum multiplicatã ad nu-

ad numerum hominum singularium, & nihilominus homines multos idem intelligere posse, inuicem doceri, & alter alterum intelligere. Cap. 47. 261

Interpretatio textus secundi, in quo Aristoteles docet fœtum in vtero antequã edat actiones aut vegetales, aut sensuales, aut rationales, habere animam vel vegetalem, vel sentientem, vel rationalem in potentia secunda, quę est cum actu primo; & animas ratione carentes in eo fuisse genitas, quum sola mens extrinsecus tandem illi accedat, nullo mediante corpore. Cap. 48. 266

Explicato contextui comparatur textus vigesimus sextus secundi Physicorum, in quo docens Aristoteles quousq; Physicus possit considerare formam, explicat vnde, & quomodo anima humana oriatur, dicens Homo hominem generat, & Sol. Cap. 49. 274

Glossatur tertius textus, in quo Aristoteles ostendit Quomodo anima rationalis ante fœtum ab æterno subsistat; quaue ratione semen, & à parentibus sortiatur animam vegetalem, & sentientẽ, non autem rationalem: & vbi fœtus animam produxerit, in eo non remaneat, tanquam pars. Cap. 50. 282

Exponitur quartus contextus, in quo docet Aristoteles semen, dũ in vtero adiungitur excremento fœminæ, puta menstruo sanguini, in eo generare animam rationẽ carentem, & ita conceptum fieri. Cap. 51. 291

Interpretatio quinti textus, in quo Aristoteles demonstrat partem animi nostri vegetalem nobis inesse, dum simus, à matre, sensualem autem à patre. Cap. 52. 294

Explicata Aristotelis opinio summarie proponitur, quæ est, rationalem animam in nobis immediate à Deo pendere: sensitricem à Patre mediante semine, vegetalem vero à Matre. Cap. 53. 298

Examinatur Aristotelis opinio, & ostenditur animam rationalem non extitisse ante corpus: nullumque aliud ab elementari corpus habere; animam vero sentitiuam fœtus non esse numero diuersam ab ea, quæ est in semine; & vegetalem non oriri à matre. Cap. 54. 301

Soluuntur Aristotelis rationes, ostendendo aliquid ortum posse esse incorruptibile; semen fieri partem fœtus; & non esse parem rationem de fœtu, ac de ouo subuentaneo. Cap. 55. 313

CAPITA SECVNDI LIBRI.

ANimam humanam non esse simplicem substantiam, sed actum essentialiter compositum ex vegetali, sensitrice, & anima rationali. Cap. 1. 324

Non ab vno, & eodem agente prodire totam Animæ humanæ substantiam. Cap. 2. 339

Agens peculiare, vnde proxime oritur irrationalis pars animæ humanæ esse hominem. Cap. 3. 340

In generatione hominis fœminam non esse agens, vnde primum motus principium, nec mere pa-

tiens,

tiens; sed causſam adiuuantem, & inſeruientem maſculo, qui proprie ſubit rationem agentis, & generantis. Cap. 4. 343
Semen habere in ſe vim procreatricem, ſeu viuificatricem cõceptus, & formatricem partium illi neceſſariarum; atq; ex conſequenti animam. Cap. 5. 346
Semen pollere non ſolum anima vegetali, ſed etiam ſenſitrice; cuius opẽ, abſq; eo quod regatur ab intelligentia non errante, viuificat conceptum, & format mẽbra. Cap. 6. 352
Monſtratur animam irrationalem, quæ in ſemine eſt, oriri ab anima Patris quoad partes rationem tenentes in emiſſione ſeminis multiplicata, & diuiſa ad partitionẽ ſubiecti. Cap. 7. 359
Oſtenditur tum vnde, Quomodo, & Quando ánimæ humanæ portio & vegetalis, & ſenſualis, quæ in fœtu eſt, illi reuera inſit; tum Quomodo, & Quando fiat conceptus; & in eo formentur partes. Cap. 8. 363
Vnde, Quomodo, & Quando oriatur, & fœtui adueniat rationalis pars animæ humanæ. Cap. 9. 368.

CAPITA TERTII LIBRI.

QVid obiici poſſit aduerſus ea, quæ de Ortu animę humanę in ſuperioribus ex propria ſententia diſputauimus. Cap. 1. 375
Fœtum in vtero ſibi alimentum trahere non ſolum per vmbilicum, ſed etiam per os; nec reclamare Ariſtotelem; vnde tollitur prima dubitatio. Cap. 2. 385
Cur fœtus, antequam in eo formẽtur membra, in vtero maneat; & ſtatim, iis in illo efformatis, ipſe ex vtero nõ exeat; quare ſoluitur ſecunda difficultas. Cap. 3. 391
Quod mens in profunda mediatione ad ſpeculandum non vtatur ſenſibus, neq; ſenſuum inſtrumentis; & cur in Ecſtaſi ſenſus omnes ferientur à ſuis operibus; Quare diluitur tertia oppoſitio. Cap. 4. 396
An in ſomno, dũ ſenſus ligati ſunt, mens, quę ab iis turbatur potius, quam adiuuetur ad ſpeculãdum, ſua exerceat munia, & ita occurritur quartæ obiectioni. Cap. 5. 401
An mens ad ſpeculandum impellatur ab appetitu, an ipſa ex ſeipſa ad id moueatur; & ſi ad hoc ab appetitu dirigitur, an dici poſſit ad intelligendum vti ſenſu; vnde infringitur quinta inſtantia. Cap. 6. 403
Vtrum mens de mente Ariſtotelis ſit ab æterno; & vtrum ipſa eadẽ adiuncta fœtui ſenſualem animam habenti, & in poſterum retinenti, dicatur aduenire enti in actu, an in potentia; & ita diluitur ſexta, & ſeptima ratio. Cap. 7. 408
Productionem hominis non eſſe alterationem, ſed generationis veræ, ac propriæ ſpeciem; vnde ſoluitur octauum argumentum. Cap. 8. 411
An ſpiritus, calorue noſter innatus ſit ſimplicis, an potius multiplicis naturæ; & vtrum ex eius ſimplicitate neceſſario colligi poſſit animam item eſſe ſimplicem eſſentiam; Quocirca reſpõdetur ad nonam

nonam difficultatē. Cap. 9. 416
Vtrum anima sit forma totius compositi animalis, non autem partium eius sigillatim; an potius totum animal, & vnaquæq; illius pars eadem forma polleat: Quare satisfit decimæ obiectioni. Cap. 10. 418
An irrationalis pars animæ nostræ sit diuisibilis ad partitionem subiecti: & cur oua subuentanea extra aluum ouipari nō viuant, sicut in eo; vnde satisfit vndecimæ dubitationi. Cap. 11. 424
Quomodo pater possit suo semini in coitu communicare partē suæ animæ irrationalē, non communicato intellectu: Quare soluitur duodecima oppositio. Cap. 12. 425
Cur in homine id contingat vt in semine eiaculato permaneat animæ suæ pars rationis expers, ea vero similiter non permaneat in aliis qbusq; partib. à corpore seiunctis; ex quo respondetur decimætertię dubitationi. Cap. 13. 433
An senserit Aristoteles semen esse principium materiale eorū, quæ semine propagantur; & ita soluitur decimaquarta dubitatio. Cap. 14. 435
Quomodo seminis anima sit eadē numero cum ea, qua pollet fœtus in vtero; & quomodo ab ea sit numero, ac genere diuersa; vnde diluitur decimaquinta obiectio. Cap. 15. 438
An semini vna tantum sit anima, an multæ: si vna, quomodo ex eo simul possint eadem conceptione cōstitui, & animari plures fœtus, & soluitur nodus decimus sextus. Cap. 16. 443
Quomodo anima seminis ab anima patris ortum habeat; & satisfit decimæseptimæ rationi. Cap. 17. 442.
Quę sit causa hominis efficiens; nec non Quomodo semen sit excrementum, ac vile; ex quo respōdetur ad decimum octauum, & decimum nonum argumentum. Cap 18. 443
Quomodo semen geuerationi famuletur; quare soluitur vigesima difficultas. Cap. 19. 445
An semini tota insit anima perfecti animalis, nec ne; An seminis anima sit eiusdem naturæ, ac perfectionis cum anima orti ex eo; Quare tollitur vigesima prima ratio. Cap. 20. 447
Qua ratione semen, quod est materia generandi animalis, se habeat ad illud: an scilicet eius formam, an potius priuationem obtineat; & quomodo, & ita respondetur ad vigesimam secundam obiectionem. Cap. 21. 451
An semen sit corpus organicum, nec ne; & Quomodo anima sit actus corporis organici; vnde tollitur dubitatio vigesima tertia. Cap. 22. 456.
An semen habeat animam actu, an potentia, & Quomodo verè dicitur semen habere animam in potentia; Quocirca soluitur instantia vigesimaquarta. Cap. 23. 459
Quæ forma nihil operans ociosa dici valeat, ac frustra, & quæ non; & sic prosternitur vigesimaquinta ratio. Cap. 24. 462

Quid

INDEX CAPITVM.

Quid sit corpus potentia vitam habens; & vtrum semina, & fructus sint corpora potentia vitam habentia; Quare tollitur vigesima sexta oppositio. Cap. 25. 464

Qur si semen est pars animalis, idque animatum parte illius animæ, quę est forma totius animalis, semine eiaculato, & animal ipsum, & eius anima non mutiletur; & ita soluitur vigesima septima difficultas. Cap. 26. 470

Concluſio totius Operis, & excusatio Autoris. Cap. 27. 472

FORTVNII LICETI IN SVOS TRES LIBROS DE ORTV ANIMÆ HVMANÆ, PRÆFATIO.

In qua habetur vniuersæ Tractationis Propositum, Ordo, Diuisio, Necessitas atq; Vtilitas.

QVÆ ad hæc vsq; tempora plurimum latuêre (BARTHOLOMÆE TVRRIANE) *tria illa nunc indagaturus de Anima humana, Vnde, Quomodo, & Quãdo habeat originem, operæ precium me facturum arbitror, si ordinem illum seruauero, quo passim vtitur Aristoteles, in primis aliorum sententias de re proposita examinans: inde institutum sibi negotium ex rei natura tractans; demum factam doctrinam*

ab omni labe vindicans: atq; ita totum opus in tres libros partitus fuero; in eorumq; primo quotquot circumferuntur de Ortu Animæ opiniones perpendero, in secundo autem propriam hac de re sententiam exarauero; in tertio tandem quæcunq; obstare videbũtur, confutauero.

Qua in re si quid temporis, & laboris impendero, in opere digno, ac vtili me positum iri confido; quod omnibus studiosis æquo animo sũ amplexandum; quippe, ne, quam singulis doctrina hæc opem latura sit exactius ostendendo, prolixior sim, quam modestia requirat: in vniuersum nulla quũ sit homini cuicunq; disciplina vtilior, ac necessaria magis, quàm qua quisq; seipsum nouit: profecto hæc, quæ manifestando quot, quaq;, & vnde sint hominis cuncta primordia, siue agentia siue formalia, siue materialia velis: quomodoq; sese sibi inuicem adnectant ad hominis constitutionem: perbelle naturam humanam detegit. doctrina vtilissima, & summe necessaria futura est: Et eo magis, quo nemo hactenus hac in re, quibus arcte irretiebatur animus, nodos plene

dis-

dissoluit. Quamuis huic semper omni ingenio studuerim, vt subortos mihi scrupulos aliorum, sed præsertim Aristotelis Philosophia explanaret: id tamen, vt ab animo sincero, ac minime iactabundo pronunciatur, quæso ita lectori accipiatur.

Proposita mihi vbi ex voto succedant, immensas, quas potero, semper illi gratias habebo, qui nobis est Via, Veritas, & Vita; sin autem in aliquo deliquero, vnumquemque deprecor, vt mihi ipsi ostendat non retro obiiciat, quæ sibi ab re dicta esse videbitur; me namq; habebit sui obseruantissimũ; atq; (si quando ad id præstandum mihi suppetat facultas) quam gratissimum de tanto officio, quo potiorem animi mei partem cæcutientem extra errorum tenebras incolumen duxerit in lucem Veritatis. Illum tamen prius rogatum velim, qui harum lucubrationum censuram editurus est, vt longe omnem abiiciat passionem, & non nisi accurate toto opere perlecto, suum de ipso promat iudicium.

Opus ergo aggrediamur; quod felix, faustumq; sit,

FORTVNII LICETI

DE ORTV ANIMÆ HVMANÆ

LIBER PRIMVS.

In quo omnes aliorum opiniones cum ſuis fundamentis afferuntur, allatæ confutantur, & ad oppoſitiones reſpondetur.

CAPVT I.

Prima proponitur opinio dicentium totam animæ humanæ naturam eſſe ſimplicem intellectum immediate à Deo creatum, & quadrageſima die à conceptionis initio corpori iam organizato infuſum.

DE Ortu Animę humanę non ſimiliter in ætate ſuperiori, & hac noſtra etiam tempeſtate ſentiunt ſcientiarũ Cultores: Nã prout Animam vel ſimplicem, vel multiplicem: haſq; aut ſimul eo-

dem temporis momento humano conceptui contigisse autumant, aut successiue, ita vt vel anteriori anima pereũte, posterior fœtui adiungatur, vel illa hanc recipiente tanquam sui actum, & complementum essentiale, ex duabus vna numero anima resultet: diuersimode Animæ originem esse iudicant alii à Superis, à Parentibus alii, alii demum partim à Superis, partim à Parentibus. Singulos itaque audiamus.

Verum quoniam ex proposito passim occurrent hæc nomina legentibus, simpliciter prolata. Mens, Intellectus, Animus, Anima, Semen, Sperma, Genitura, Fætus, Embryon, Conceptus: ne æquiuocationum tenebris rem offundamus, quam ex aduerso dilucidare intendimus: ante omnia quisque sciat priora duo vocabula gradum animæ rationalem à sensitiuo, vegetalique distinctum denotare: at duo proxime sequentia nobis vsu venire ad significandam hominis Animam gradus animæ rationalem, sensualem, vegetalemque formaliter in se continentem: tria vero infra hæc ad denotandum humanum semen, atque virile: reliqua tandem singula ad indicandum conceptum humanum; nam de alio tum animæ, tum seminis, tum fætus genere, non nisi cum adiectione illius, cuius est animantis, in posterum nobis erit men-

mentio. Iam ergo his prælibatis ad aliorum sententias accedamus.

Secta, quam plurimi sequuntur hac in re, illa est, quæ censet essentiam Animæ humanę totam à superis indi fœtui in vtero degenti. Sunt autem in ea quatuor opiniones diuersæ.

In quarum vna plerique Viri magni nominis Embryoni nullam concedunt animam, nisi simplicem rationalem, quam non à Parentibus conceptui imperturi, sed aūt ab immortali Deo immediate, ac ex nihilo creatam eodem instanti, nullaque temporis intercapedine fœtui iam plane organizato, omnibusque futuro animali partibus necessariis insignito, infundi quadragesima die ab actu conceptionis: totoque hoc primo quadragenario Embryonem dicunt omni penitus anima carentem nullā habere vitam; ac proinde quæ tunc temporis in eo fit, augumentationem non esse veram, sed spuriam, factam per iuxta positionem potius nouæ materiæ ad præexistentem: quemadmodum inanimata incrementum suscipiunt: quam per legitimam nutritionem, quæ actio est animæ vegetatricis, quo modo animantia vniuersa crescunt, ac proprie augeri dicuntur.

Qui sane sua dogmata scholastice ita confirmare nitūtur: Quotoquoq; tempore quid

non nutritur, toto plane illo idem omni anima, omnique vita priuatur, quod omnes fere concedunt: At fœtus hominis primis saltem diebus absque nutritione in vtero permanet igitur Embryon primis diebus à conceptione omni vita carens est inanimatus: tunc vltra subdunt, si fœtus hominis primis diebus inanimatus existens vlterioribus animari debet; ergo is eiuscemodi animam sortitur, vel à semine paterno, vel à matre, vel à Deo: non quidem à semine, quia toto conceptu inanimato existente, impossibile est semen Embryonis partem, animæ compos esse, illamque proinde, quam non habet, fœtui communicare; Neque vero à matre, vt quæ secus in actu generationis maiorem vim agendi sortiretur quam masculus, quod tamen nemo sanæ mentis affirmaret. Necessarium ergo est asserere conceptum totam à Deo summo nanciscì animam, non vegetalem aut sensitricem, vt quæ longe absint à perfectissima natura efficientis, sed sibi similem rationalem, idque non ante quadragesimam diem ab actu conceptionis, quod & Aristoteles docuit, & ratio confirmat, quoniam ante diem quadragesimam Embryon adhuc est informis, atque ideo ineptus cui perfectissima animarum rationalis adsocietur.

7. De hist. an. cap. 3.

Quod autem primo dicebatur fœtum hominis

minis primis diebus à conceptu in vtero non nutriri omnino, ex eo patet, quia nutritio necessario præsupponit coctionem, quæ non potest obiri, nisi formata adsint membra, tum in quibus ipsa celebratur, stomachus, epar, venæ: tum quæ tenuia & crassa excrementa per coctionem necessariò caloris ope ab alimento segregata suscipiant: lien, vesica fellea, renes, intestina, & vrinaria vesica; At vero fœtus ipse primis illis diebus à conceptione caret adhuc vel omnibus prædictis partibus, vel plurimis: Ergo fœtus in vtero primis saltem diebus à conceptu nullum concoquit sibi alimentum, neque nutritur. Hæc primam opinionem sectantes habent viri magni nominis, & de hac philosophiæ parte alioqui optime meriti.

Cap. II.

Confutatur allata opinio, ostendendo, fœtum in vtero, antequam sortiatur intellectum à Deo, aliud genus animæ ab alio agente nactum fuisse.

Qvæ dum pleno ore proferunt, cuius doctrinam dissimulant, mendacem reddunt Aristotelem, qui, & scribit, & ratione confirmat, *neminem vnquam dicturum, conceptum animalium, & semen esse inanimatum, vitaq; omnibus modis priuatum*: imo apertissime fate- 2 de gen. an. cap. 3.

tur conceptui humano post animam vegetalem, qua cum semine communicat, sensualem impertiri, tempore que procedente rationalem extrinsecus aduenire.

7. de hist. an. cap 3. 2. de gen. an. cap. 3. Adde apud Aristotelem, conceptum fieri intra septem dies à coitu, vbi (quod alibi docet) excrementum fœminæ receperit à semine maris principium, quo animatum est, quod principium nihil esse potest, nisi anima aut vegetalis, de qua ipse paulo ante tractauerat, aut sensitiua. Authoritati adiungo rationem.

Quum enim in abortu viginti septem dierum aquis macerato, vel secus ea, qua circumambitur membrana exuro, sensibus conspicere liceat membra principalia: insuper & initium spinalis medullæ, vt obseruauit Al-

9 de animal. cap 5. bertus, & in eo, qui triginta sex dies agat, sensibiliter etiam caput à spatulis diuisum appareat, & venter cum vtroque latere: ne dicam

Lib de Princ. cum Hippocrate, septimi diei fœtum: quod

7 de hist. an. cap. 3. tempus apud Aristotelem est conceptionis initium, seu potius finis, si quæ intra septimum diem corruptiones incidunt, effluxiones vocantur, non autem abortiones, vt quæ à septimo ad quadragesimum: est enim abortus præcox & immaturus exitus iam conce-

Lib. de Gen. pti animalis: ne, inquam, cum Hippocrate dicam, septimi diei fœtum habere cõspicuas,

& ocu-

& oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum: Et in summa (quod ipsi quoque sentiunt aduersarii) ante ingressum rationalis animæ corpus Embryonis ita quum sit organizatum, vt in eo vniuersa futuro animali necessaria instrumenta iam sint efformata: quod etiam docuit Aristoteles, inquiens, fœtum die quadragesima, quo tempore conceptui à Deo mentem indi fatentur aduersarii, habere tum membra cætera omnia, tum genitalia. Quum autem nullibi hæc reperiri queant, vbi non est anima; siquidem & Aristoteli caro, facies, vel cor quidpiam non est, nec dici potest, quod animam non habeat, eamque sensualem: & Alexandro organicum corpus, in quo est anima, ab anima habet esse organicum: nec, priusquam animam haberet, erat organicum: nec, quum abiit anima, est amplius organicum. Falsum est ergo illorum fundamentum, quando iam certum est, ante aduentum intellectricis animæ, hoc est, primo quadragenario, alterius generis animam reperiri in humano conceptu. Id quod & alio euincitur argumento, siquidem ex Aristotele habemus, quadragesimam diem circiter (id autem tempus est ante aduẽtum intellectus) fœtum

7. hist. cap. 3.

2. de gen. an. c. 1. & 4.

2. que. nat. cap. 25.

7. hist. cap. 3.

fœtum masculeum in vtero magna ex parte moueri; quum autem longe pateat, conceptui motum non aliunde, quàm ab anima sensitrice communicari; quippe facultas secundum locum motrix alterum quid est, quo definitur animalium anima sensitrix nuncupata, conspicuum satis est, fœtum hominis ante animam intellectiuam, quam aduersarii à Deo mundi opifice sortiri volunt non ante quadraginta dies ab actu conceptionis sentientem obtinuisse.

3. de an. t. 40.

Amplius, si humano conceptui in vtero degenti nulla prorsum adiungeretur anima præter intellectiuam, profecto Embryon per eandem animam rationalem simul fieret vegetans, & animal, & homo; siquidem apud illos idem intellectus eodem temporis momento à Deo creatur, & corpori infunditur: oppositum tamen censuit Aristoteles, dum ex eo, quod idem non fit simul, & animal, & homo, animam sensualem in conceptum recipi, ostendit post vegetalem & rationalem adhuc procedente tempore post sensitricem.

3. de gen. an. cap. 3.

Neque appositè prorsum, licet acuta & ingeniosa responsio videatur, huic rationi occurrunt, dicentes, eandem animam intellectiuam, quæ reuera semel tantum, ac vno eodemque temporis momento tota simul corpori associatur, quum vel formaliter, vel præ-

stan-

stantiorum formarum more, eminenter in se cõtineat animas inferiores, vegetalem nempe, ac sensitricem: quocirca est, ac dici potest anima vegetalis, & anima sentiens; non secus atque anima sentiens est, diciturque anima vegetalis: nec non perinde ac homo ipse est, diciturque & animal, & vegetans: non omnino, inquam, nodum hunc explicant, dicentes, animam intellectiuam natura prius corpori adiungi, quatenus est vegetalis; atque ideo fœtum primo viuere vitam plantæ: secundo autem instanti naturæ conceptui eandem vniri, prout habet rationem animæ sentientis, proindeq; illum postea viuere vitam animalis: tertio ac postremo naturæ momẽto (quod vna cum prædictis duobus in eodem temporis instanti continetur) intellectum corpori accedere, propriam indutum essentiam, atq; vt est rationis particeps, propterea que tandem Embryonem agere vitam hominis; quamuis tempore sit simul vegetans & animal & homo. Et hoc modo intelligendus est Aristoteles, aiunt aduersarii: sed perperam, quoniam primo loco falso assumitur, animam intellectiuam, quæ à Deo est immediate, esse dicique animam vegetalem, & animam sensitricem: hancque pariter esse dicique vegetalem, desumpta similitudine ab homine, qui reuera est ac dicitur homo & animal,

animal, & vegetans : etenim differt valde (quod infra patebit) anima rationalis, quæ simplex substantia quædam est, à solo Deo immediate creata, immaterialis & immortalis, ab anima humana, quæ composita natura est ex rationali anima prædicta, & irrationali (sentiente, inquam, & vegetali) à parentibus mediante semine genita materialis, & corruptioni obnoxia. Quandoquidem si anima humana, quia in se continet tum vegetalem, tum sentientem, tum rationalem animam, est reuera, ac dicitur & vegetans & sensitrix, & rationalis, quemadmodum Sortes, quia re ipsa habet naturam vegetatiuam, sensitricem ac mentis compotem, est, vereque dicitur vegetans, & animal, & homo. Anima porro intellectiua, quia simplex essentia est, inferioribusque animabus minime constituta, ideo illarum nomen & naturam subire nequit, vt dicatur & sit vegetans ac sensitiua : alioqui sicut illæ sunt, ipsa esset etiam corruptibilis atque mortalis; quod tamen aduersarii negant.

Deinde loco citato Aristoteles distinguit participationem animæ vegetalis à participatione sentientis in generatione animalis, non solis naturæ momentis, sed temporis diuersitate, quoniam ipse formalia hæc habet verba : *Animam vegetalem primum haberi : sensualem*

lem vero, qua animal est, tempore procedenti recipi in conceptum: sic & rationalem, qua homo, certum est.

Denique figmentum est, atque opus nostræ mentis, non quid in rerum natura contingens, eandem animam semel, totamque simul, ac eodem temporis momento reipsa corpori vnitam, illi eidem adiunctam esse prius, vt est vegetalis, posterius vt sensitrix, postremo vt rationalis. Nos autem cum Aristotele physice loquimur de ortu animæ in generatione hominis, ac circumscripto quocunque opere intellectus, extra cuius actum nullum aliud momentum reperiri potest à temporaneo ac physico diuersum: atque ita generationem hominis pure considerantes, prout à natura reipsa celebratur, dicimus reuera, vel nullo intellectu animaduertēte, aut speculante, hominis fœtum in vtero, tum cum ipsis aduersariis, intellectum suscipere immediate à Deo vno, eodemque temporis momento, ac non per interualla, sed totum simul, tum cum Aristotele, non simul fieri animal & hominē; sed prius animal per participationē animæ sensitiuæ, postea hominē per susceptionē intellectiuæ. Non ergo conceptus hominis ante aduentū intellectus omni prorsum anima, omnique vita priuatur; quod erat precipuū aduersariorum fundamentum.

Sed

Sed neque maioris momenti est illud alterum, quo dicebant, augmentationem Embryonis in primis illis quadraginta diebus immediate post conceptionem, non esse verum incrementum per nutritionem, quo solum animata gaudent; sed spurium, factum per iuxta positionem tantum nouæ materiæ ad præexistentem; quod obseruatur in inanimatis, vt quum augeri dicitur turris, vel cumulus tritici: namque binæ sunt præcipuæ differentiæ inter prædicta duo genera incrementi; quoniam augmentum, quod in animatis fit per nutritionem, ex Aristotele id præstat necessario, vt viuens, dum augetur, crescat, & secundum omnes sui dimensiones, & iuxta quamlibet sui particulam sensu perceptibilem: ex aduerso inanimata, quum suo more per solam iuxta positionem nouæ materiæ crescant, non augentur necessario, neque secundum omnem sui dimensionem, neque iuxta quamlibet sui particulam sensibilem, sed solum penes illam, cui adiicitur noua materia. Quum itaque conceptus in vtero primis diebus sic augeatur, iudice vel sensu in abortionibus, vt secundum omnem dimensionem crescat; nec non in eo vnaquæque particula augeatur: satis apertum puto, Embryonem in vtero primo quadragenario augeri vere, ac proprie vt animatum

2. de gen. & cor. tex. 35.

per

per nutritionem, beneficio animæ vegetalis; non metaphorice, vt inanimata per meram iuxta positionem nouæ materiæ ad præexistentem absque interuentu nutritionis.

Cap. III.

Respondetur argumentis obiectis: ex quo monstratur, animalia nutriri posse sine multiplici coctione alimenti.

At vero neque ad id probandum satis firmam rationem adducunt aduersarii, dicentes: Quotoquoque tempore quid non nutritur, toto plane illo idipsum omni anima omniq́ue vita carere; propterea q́ue fœtum humanum, qui saltem primis diebus à conceptu nutriri non potest, illo etiam tempore, quin & toto primo quadragenario nullam habere vitam, esseq́ue inanimatum penitus; etenim (quicquid sit de veritate maioris; quodcunque animatum est, ac viuit, tamdiu anima vitaq́ue frui, quamdiu nutritur: quam exactius examinabimus in opere nostro de Vita, quod, Deo fauente, propediem in lucem edituri sumus) tollitur in præsentia aduersariorum argumentum, negando minorem. Ad rationem vero, quæ ita in eius confirmationem afferebatur, nutritio necessario, quum præsupponat coctionem, coctioq́ue membra tum sibi dicata, stomachum, epar,

venas; tum excrementis, intestina, lienem, renes, felleam vrinariamque vesicam, quibus ideo, quia caret fœtus in vtero primis diebus latitans sub rudi carnis frustulo; necessario videtur tunc temporis non nutriri; non est difficile responsionem adhibere. Quum enim nutritio (quam certum est esse instaurationem eius substantiæ, quæ à corpore nutriendo effluxit, mediante alimento) eatenus coctionem supponat, quatenus persæpe alimentum multis scatet partibus, ita à substantia partis nutriendæ diuersis, vt nequeant illi assimilari, in ipsamque conuerti: atque ideo hæ omnes actione caloris, cuius munus est heterogenea disgregare, ab alimento per coctionem segregandæ veniunt, vt illud in substantiam nutriendi transmutari valeat; atq; hinc est, quo alimentum nutriendo corpori dissimilius est, eo ipsum vlteriori coctione indigere. Quo factum est, vt in homine, qui vesci debebat cibis, longe dissimilem essentiam habentibus ab humana substantia, tres prouida natura coctiones instituerit: primam quidem in ventriculo, qua mediante, cibaria quæcunq; per os ingesta in lenem quandam & albam materiam chyli nomine donatam conuertuntur; vbi à ventriculi calore naturali, adiuto tamen à propinquorum viscerum, hepatis, lienis, diaphragmatis, seu cordis, &

dis,& omenti caliditate depurata fuerint,& à sordibus illis crassis, quæ per intestina protruduntur ad aluum, & ab excremento tenui,quod aliquibus vrina est per renes ad vesicam labens: aliis vero mucus ille pituitosus, quo interiores ventriculi, & intestinorum tunicæ infarciuntur: secundam vero in iecore ac venis, cuius merito materia chylosa in iecur ac venas à stomacho & intestinis per meseraica vasa recepta transmutatur in sanguinem defæcatum, & à tenui excremento, quod plærique vrinam esse iudicant, alii vero bilem ad cystim fellis delatam, & à crassiori, quod est melancholicus ille succus, qui ad splenem propellitur: tertiam & postremam in singulis partibus corporis nostri solidis: qua coctione sanguis ad partes hasce transmissus ab hepate, ac venoso genere in propriam ipsarum substantiam conuertitur (quæ vera nutritio est) vbi prius ab eodem sanguine secretum fuerit vtrumque genus excrementi, tenue, inquam, quod per cutis meatus euaporat in halitus insensibiles: & crassum, quod per eosdem poros effluit aliquando in sudores,frequentissime vero in sordities illas, quæ polluunt indumenta. Ex his habeo nutritionem necessario quidé, vt quæ post duas priores coctiones, at simul tempore cum tertia fit, præsupponere hãc vltimam

coctionem in eo, quod nutritur: aliàs autem duas priores absolute, non magis in eo, quàm in alio aliquo. Dum ergo dicebatur: Nutritio necessario præsupponit coctionem, si coctionis nomen duas priores indicet, falso id assumitur in animali, quod nutritur: nam aliunde potest alimentum illi aduenire ita simile suę naturæ, quod non nisi postrema vna illa coctione indigeat, quæ fit in partibus similaribus vniuersis, cuiusmodi sane alimentum est sanguis maternus, quo alitur conceptus in vtero. Verum est equidem, nutritionem præsupponere duas priores coctiones absolute, sed falsum esset asserere, fœtum in vtero eo alimento carere, quod tales mutationes expertum fuerit: alitur namque fœtus eo sanguine, qui coctionem iam antea passus est, cũ in ventriculo matris sub specie chyli, tum etiam in hepate, ac venoso genere eiusdem.

Si vero coctionis nomen aduersariis significet vel coctionem indefinite quamcunque, vel tertiam solùm; falso dicunt, pariter coctionem obiri non posse absque ventriculo, iecore, venis, intestinis, liene, renibus, fellea, & vrinaria vesica; siquidem hæ partes, vt duabus tantummodo coctionibus prioribus per se primo famulantes ad coctionem in genere non sunt necessariæ: non enim ad tertiam, quæ sola citra aliarum interuentum viget, cum

cum fortasse in plantis, vt quæ non valde disparem suæ substantiæ escam ex humo radicibus haurientes multiplicata coctione non indigent; tum etiam in Embryone primo eius ortu in vtero: quum enim certum sit, conceptum hominis primis illis diebus rude quid esse, ac veluti carnis frustum impolitum, cuiusmodi vrsæ partus esse fertur; ipsum eundem similarium partium more nutriri per tertiam coctionem verisimile est, nimirum Embryone, quibus pollet fibris rectis, viq; attractrice per vasa vmbilicalia sanguinem à matris hepate, ac venoso genere exsugente: obliquis, virtuteque retentrice iam attractum in se retinente: proprio, quo gaudet, calore innato retentum concoquente, sibique assimilante: ac tandem transuersis fibris, facultateque expultrice, quæ coctioni superfuerunt excrementa, & crassa & tenuia extra se propellente ad placentæ ac membranarum, quibus obtegitur, generationi materiam suppeditandam. Atque hæc est nutritio fœtus humani à principio suæ constitutionis, dum veluti carnis massa quædam rudis & indistincta in vtero permanet, hoc est, primo quadragenario ab actu conceptionis. Quomodo autem hic ipse nutriatur, vbi procedente tempore in illo iam grandiori membra & organa omnia humanæ naturæ necessaria

saria efformata fuerint, posterius suo loco fusius explicabitur. Atque hæc sufficiant pro solutione primæ obiectionis.

Quod vero in secunda dicebatur primo loco, fœtum in vtero primis diebus inanimem, vlteriotibus animari, non à semine paterno, neque à matre, sed à Deo, tum exactius commodiori loco examinabitur: tum in præsentia leue est, non solum quia viget in robore primi argumenti confutati; verum etiam, quia falso statuit, conceptum non posse animari à semine; quod contra dogmata Philosophi, & gratis, assumit esse inanimatum penitus.

2 de gen. an. cap. 3.

Deinde vero non recte aiunt aduersarii, Deum glorioſum fœtui conciliare animam, non quidem vegetalem, aut sentientem, eo quia hæ distent maxime à summa perfectione agentis, sed tantummodo sibi similem rationalem; quandoquidem, adnuentibus vel ipsis, anima sensitiua, & vegetatrix multo nobiliorem essentiam obtinent, quam terra, cæteraque elementa inanimata; cur ergo, qui in principio creauit terram inanem & vacuam, Deus Omnipotens, nuncanimas illas ipsum creare non deceat in homine, quas tunc etiam in stirpibus & animalibus produxit?

2. de an. t. 34. Adde, apud Aristotelem conditionem esse natu-

naturaliſſimam, non omnium agentium, ſed phyſicorum tantum generare ſibi ſimile in ſpecie; modo Deus Optimus, licet Ariſtoteli phyſice aliquando agat, nunquam tamen agens phyſicum nuncupari poteſt: neque in ſpecie ſimilis eſt cum anima rationalli. 1 *phyſ.tex.* 34.

Non ergo neceſſario concludunt, Deum fœtui conciliare animam rationalem, non vegetalem, aut ſentientem aduerſarii, quamuis id alia ratione verum ſit.

Cap. IV.

Affertur ſecunda opinio Auicennæ, dicentis, animæ noſtræ partem rationalem proxime oriri à Cholcodea, à qua & prodeunt partes eius ratione carentes. ſed mediante ſemine, quo vtitur tanquam inſtrumento.

EAndem plane ſectam, quod omnis anima fœtus humani à Superis trahat originem, cum primis tutaſſe videtur Auicennas, ſed longe aliter: hic enim illis animam humanam ſimplicem intellectum eſſe non concedit; verum quas ante rationalem in generatione hominis animas tum vegetalem, tum ſentientem fœtui ineſſe cognouit, illas ei non à parẽtibus inditas, ſed ab iſta, quam cõmentus eſt, formarum datrice intelligẽtia, ſub nomine Cholcodeæ impertiri credidit: nõ quidem 6. *nat. parẽ.* 4 *cap.* 4.

dem immediate, vt rationalem, cæteras à Cholcodea oriri voluit; sed contra opinatus est, cœlestem hanc mentem vti semine, tanquam instrumẽto ad producendam animam vegetalem, ac sentientem fœtus, quemadmodum scalpro vtitur sculptor ad efficiendam formam statuæ in marmore. Itaque à semine ortum non ducit vegetalis, ac sentiens anima hominis, nisi tanquam ab instrumento operante in virtute agentis principalis; quod secundum mentem Auicennæ, vt refert etiam
9. de animal. Albertus Magnus, est mundi Rector Deus Optimus, vel aliquis alius intellectuum superiorum, nomine Cholcodea. Qui sane intellectus, vbi mediante semine fœtui primas indiderit animas, vegetatricem nempe, ac sensitiuam procedente tempore, illi ipsi nullo mediante instrumento, ex se communicat perfectissimam omnium animarum rationalem. Quam sententiam Auicennæ sectatores ita corroborant, dicentes, quod animæ substantia, etiamsi corpore vtatur, & in opere quoquo pacto à materia dependeat, corpus tamen non est, neque materia (vt aliquando
3. de an. in pr. scripsit etiam Aristoteles) quum autem effectus omnis vbique naturam causarum referat, causarum, inquam, potissime efficientium, & inter effectrices immediatarũ, pro-
gulduˆbio animæ humanæ causa efficiens immedia-

mediata esse debet omnino incorporea, quoad sui naturam, & essentiam, & si oporteat eã in agendo vti instrumento corporeo quoquo pacto; ita ergo inter supernas intelligentias Cholcodea est, quæ primum mediante semine inferiores animas à materia dependẽtes producat, vegetalem, ac sentiẽtem; deinde vero immediate ex se rationalem à materiei commercio absolutam creet, corporiq; prioribus animabus informato infundat.

Cap. V.

Expenditur opinio Auicennæ, & ostenditur semen in generatione hominis non subire vices instrumenti, quo Cholchodea proxime vti debeat.

Sed neque Auicennæ opinio satis firmo nititur fundamento; apertum namq; puto instrumentariam quamque causam quidquã non moliri, nisi moueatur, regaturque ab agente proximo, & principali, cui per se primo competit ratio causſæ efficientis. Quum autem eiusmodi principale. proximumque agens, quo moueri simul, ac regi proxime necesse est semen in generatione hominis (si semen solius instrumenti vicem gerit, vt ipse iudicat) neque Deus optimus, neque superiorum corporum intellectus vllus esse queat, tum quia vniuersales, & remotissimæ causſæ

animalium generationi non modo incumbentes, verum etiam quorumcunque effectuum naturalium, seu sublunarium quum existant cælestes intelligentiæ, ac inter illas Deus glorioſus: quumque idem esse nequeat simul, ac eiusdem rei causſa tum proxima, & immediata; tum remota, & communis; nõ poterunt profecto intelligentiæ superiores, & proxime semini præesse, illudque ceu instrumentum immediate regere, ac gubernare ad generãdas animas in humano cõceptu; simulque & statui causſæ hominis, humanæque animæ vniuersales, atque remotissimæ. Adde & ex Aristotele dedecori esse diuinis mentibus ipsas fædum sperma contrectare, illoq; proxime vti tanquam instrumento ad propria obeunda munera; iure igitur cum Aristotele ablegandæ sunt diuinæ mentes à tã vili operatione. At vero esto quod citra dedecus Cholcodea id agere valeat, quando quaſcunq; fætus habet animas, hæ illi à Cholcodea sunt siue mediante semine, vt vegetalis, ac sentiens, siue nullo mediante instrumẽto, vt rationalis; qualẽ homo in generatione hominis rationẽ effectiuã habere: quomodoue homo, à quo semen deciſum est, constituti conceptus genitor, paterque vocari; quave ratione homo ab homine proprie generari possit, ego quidem non video: neque enim scal-

2. *De gen. an. c. 3. & lib. de Mun. c. vlt.*

ſcalprum vllam habere poteſt rationem, agẽtis, aut ſtatuæ cauſſa efficiens eſſe dicitur, niſi improprie admodum: ſi quidem effectrix ea eſt cauſſa, vnde primum motus principium: inſtrumentum vero non mouet, niſi prius ipſum moueatur ab agente principali, quod inſtrumento vtens totam rationem agendi in ſe retinet. At hominem eſſe veram, propriamq; cauſſam effectricem conceptus humani: illudque animalium, à quo ſemen deciſum eſt, vere patrem appellari; hominemque ab homine vere generari, ſic vel vulgo notum eſt, quod vlteriori confirmatione non indiget. Ita ergo corruit ſententia Auicennę.

Cap. VI.

Satis fit rationi in oppoſitum: imo ea retorquetur ad hominem, monſtrando maiorem eſſe ſimilitudinem inter animas rationis expertes & agens materiale, corruptibileq;: quam inter eas, & Cholcodeam Auicennæ.

QVod vero pro ea confirmanda ſectatores Auicennæ afferebant argumentum deſumptum à ſimilitudine effectuum cum ſuis cauſis, ac propterea humanæ animæ adſcribi nõ poſſe niſi agens incorporeum, quod mentem procreet ex ſe immediate, cęteras autem partes animæ mediante organo corporeo, quale nihil niſi ſemẽ eſſe poteſt; quippe

pe quod & anima secundum se incorporea est, cuius pars rationalis ad agendum corporeo famulatu non vtitur, quo bene vti solet necessario altera pars animæ nostræ ratione vacans, continens animam tum vegetalem, tum sentientem; facile tolli potest. Quoniam existimantes inferiores animas, vegetalē scilicet, ac sensitricem, vt quæ sunt omnino materiales (quod infra longe patebit) & corruptibiles, dependere non quidem à superis omnino immaterialibus, & immortalibus, sed à parentib. non tanquam à caussa instrumentaria, sed veluti ab agente principali, ac proprio; nihilominus, imo melius seruant similitudinem inter effectus, & eorundem caussas; si quidem animabus materialib. atq; mortalibus (cuiusmodi sunt vegetatiua, & sensitrix) materialem caussam adscribunt, atque mortalem; quales sunt animalium genitores. Quā similitudinem prorsum negligere videntur Auicennæ sectatores cum ipso Principe: qui vegetalem, sentientemque animas mortales ac materiales ab immateriali penitus, & immortali Cholcodea originem habere iudicant.

Cap. 16.

Sed sit Auicennæ Cholcodea vndique similis animę humanæ, amplius, dico intercedere apud Aristotelem similitudinem solum inter effectus, & agentia naturalia vniuoca.

7. Met. t. 29.
2. de an. t. 34.

Quum

Quum ergo Cholcodea nequaquã esse possit ad mentem Aristotelis efficiens naturale, etiam si physice operetur; quippe non mota mouet; verum transnaturale; neque vniocũ vllo modo cum anima humana; differunt enim plusquam genere intelligentia abstracta & anima hominis; quum illa sit incorruptibilis, hæc autem naturam habeat mortalẽ; qua de re infra latius: at vero ea, quæ sunt proprie vniuoca, eiusdem speciei esse oportet: Non recte profecto Auicennæ sectatores, neque necessario ex eo quod anima vegetalis, ac sentiens in homine est non corpus, neq; materia, demonstrare potuerunt, eandem originẽ habere ab ipsa Cholcodea, quæ pariter neq; materia est, neque corpus, tanquam ab efficiente proprio, ac principali.

2. De phys. t. 73.

Cap. VII.

Adducitur opinio Platonicorum existimantium animæ humanæ partem intellectiuam immediate à Deo summo prodire: partes vero irrationales à diis iunioribus oriri.

Tertia succedit superiori nõ multum dissimilis in hac secta quorundam Platonicorum sententia, iudicantium humanæ animę partem immortalem, seu rationalẽ proxime à Deo Maximo proficisci in generatione hominis ad fœtum: partes vero caducas, experte-

perteſque rationis humano conceptui à ſuperis pariter impertiri, nempe à diis iuniori-bus, qui apud ipſos ſunt vel cœleſtia corpora, vel eorum aut ſpiritus, intellectusque mouẽtes: aut partes nobiliores, nempe ſydera, vel Dæmones, vel tandem cum dictis anima mundi.

Quam ſane opinionem tum grauiſſimorum virorum autoritate, tum etiam ratione confirmant. Sic enim (aiunt) aperte teſtatus eſt Plato, & in Epinomide, vbi ait *Animatum à nemine quam à Deo fieri poſſe*: Et clarius in Timæo (quod etiam obſeruat Themiſtius) inquit *Deos iuniores quum animam immortali origine praditam*, quæ eſt rationalis, *accepiſſent à Deo ſummo mundi opifice, obduxiſſe ei corpus mortale, quod vti fieri poſſet, vtique immortalis forma in mortali corpore clauderetur texuiſſe genus animæ alterum fragile, ac mortale* (ſentientem animam puta, & vegetatricem) *nam vinculum id, quo immortalis natura cong utinatur mortali, ipſum quoque haberi mortale oportuit: atque hæc ſunt, quæ de anima dici potuerunt, & quantum in ea eſſet tum mortalitatis, tum immortalitatis.*

3. De an. c. 27. 28.

Hoc ipſum confirmauit Ficinus ſuper libro Platonis de ſanctitate, inquiens ita, *corpus quidem (vt Plato in libro de Natura diſputat) ab elementis quatuor: naturalem ſpeciei complexionem, quæ temperamentum dicitur, à cæleſtibus ſphæris:*

ris : partes animæ, quæ trahuntur affectibus: à Dæmonibus, & animis ſyderum, ſpherarumque ſuſcepimus: rationem vero, ac mentem noſtris Parentis imaginem ab ipſo mundi totius opifice ſine vllo cælicolarum, aut Dæmonum miniſterio. Et ſuper Timæo Platonis inquiens. *Hactenus patere cuique poteſt ab intellectu diuino mundi opifice animos, Deosque mundanos, & Dæmones, & omnes mundi ſphæras, ſpecieſque ipſarum abſque mediis cauſis proceſsiſſe. Mandat ergo poſthac Architectus mundi filiis ſuis, id eſt, animabus ſpharum, ſtellarumque, & Dæmonum, vel etiam inferioribus Angelis, vt ad imitationem ſui miſtionem ſub Luna rerum aggrediantur, hominique ſubijciant omnia, rationalemque eius animam ab ipſo acceptam corpori caduco concilient per vitam quandam irrationalem partim ab ipſis, partim ab animo hominis dependentem.* Cap. 37.

Sic & Alcinous in libro de doctrina Platonis ſcriptum reliquit, *animam hominis immortalem à primo Deo ſuſcipientes Dij mortalium generum conditores partes illi duas mortales adiunxerunt, quoniam de hominum genere, vt pote Diis cognatiori, tum patri Deo, tum etiam natis cura erat.* Cap. 25.

Hanc ipſam opinionem Plotinus quoque profeſſus eſt paſſim in ſuis operibus, ne ſingula eius dicta longiori ſermone recenſeam.

Quin

In lib. de ad. & inuid. Quin & Empedocles, qui referente Plutarcho ait, *animum nostrum non habere principiũ à sanguine, & contẽperato spiritu: sed huiuscemodi ortum corporis esse: namque animus huc tanquam peregrinus, & exul profectus est aliunde, nempe à superis.*

Li. de potest. & sapi. Dei. Addunt Mercurium Trismegistum hominis procreationem in Deum referre, quem vocat Patrem omnium, intellectum, vitam, & fulgorem. His & similibus aliis quamplurimis autoritatibus obstant aduersariis, & propriam opinionẽ roborant Platonici. Sed & rationibus etiam certant non vulgaribus. Quarum prima est, quia plurium causarum in eodem genere ordinem inter se habentiũ nunquam priores cum vltimis absque intermediis vniuntur ad generandum effectum: neque enim ars medica, vel calor naturalis ægrotantium, nũcupatus ab Hippocrate morborum medicator, sine remediis parit, ac generat sanitatem in male se habente, aut conseruat in sano animali. Modo in genere causarum efficientium hominem inter Deum summum, & hominem generantem intercedunt mediæ cælestes animæ, quas vocat Plato Dæmones, Deos iuniores, Deorumque filios: ergo in generatione hominis non solus Deus cũ patre sufficit ad generandam animam fœtus: sed necessarii sunt quoque ad

hoc

hoc opus, & cœli, eorumque virtutes infra Deum: hisque quum non possit delegari procreatio animæ rationalis, quæ à Deo est, adscribenda est procul dubio generatio animæ tum vegetalis, tum etiam sensitricis.

Secunda vero ratio est, quia effectus omnis referre debet naturam caussæ, vnde ortum habet; quomodo ergo potest vegetalis anima, & sensitrix incorpoream naturam habens, ab animali aliquo generari, quod materiale est, atque corporeum? sed si aliqua intercedere potest inter effectum & caussam disparitas, hęc tamen ea esse nequit quod caussa minus perfecta præstantiorem effectum generet; quia nihil agit vltra suas vires, est autem simpliciter præstantius immateriale materiali, incorporeum corporeo, simplex, & vnum composito, ac multiplici. Quocirca rationi non consentaneum quod anima vegetalis, ac sensualis secundum se immaterialis existens, incorporea, simplex, & vna, dependeat ab homine materiali, corporeo, compositæ, atque multiplicis naturæ. Reliquum est ergo, vt à cœlestibus spiritibus, Diisq; iunioribus, quos Plato appellat Dei filios, oriatur animi nostri pars ratione carens, nam à Deo summo sola mens animarum præstantissima proficisci potest.

Hæc illi.

CAP. VIII.

Platonicorum sententia expenditur, ostendendo vegetalem & sentientem animam in nobis, non à superis, sed à Parentibus originem habere.

SEd neque desunt autoritates doctissimorum scriptorum, neque rationes, quæ oppositam sententiam persuadeant. Plutarchus enim, qui vt Philosophiam Aristotelis nunquam non magnifecit, ita Platonicam doctrinam diuinam potius, quam humanam semper existimauit, in libro De virtute morum; primum ex Aristotele ait, eam animi partem, qua sentimus, nutrimentumque suscipimus, & vegetamur, ex carne germinasse, & penitus in corpore demersam esse. Deinde infra dicit, Id quod irascitur in nobis, & cupit, & dolet, & lætatur, hoc est animi nostri pars rationis expers, à natura dependet; per naturam innuens agens naturale, cuiusmodi in generatione Hominis parens est, non superos, qui potius agentia sunt transnaturalia, licet agant physice. Clariusque hoc ipsum scribit adhuc inferius inquiens, Quum ratio sit diuinitus Homini data, conueniens est eam præstare, atque imperare ei, quæ caret ratione, tum quia originem ducit à corpore, tum quia natura sua completur affectibus, & illorum fit similis, & eos induit, & cum illis cõmiscetur.

Addo

Addo & Aristotelem scribere in excrementum fœminæ afferri à semine maris principium, quo tale excrementum fit animatum. At aperte magis infra dicit, genitia animalis corpus ex fœmina esse, animam vero ex mare. Et paulo post subdit, animam sensualem masculum conceptui dare aut per se, aut per genituram. Quæ loca omnia diligentius suo loco expendemus. 2. De gen. anim. cap. 3. Cap. 4.

Verum præter allatas autoritates ratio ipsa est, quæ propositam Platonicorum sententiam euertat, nam patrem generare, ac efficere, producereq; filium, sic vel notum est vulgo, vt pudeat Aristotelis testimonio confirmare. Si ergo munus caussæ efficientis, generantis, ac producentis est educere de sinu subiectæ materiæ formam substantialem eius, quod efficitur, ac generatur ad actum existendi; non poterit profecto animæ humanæ gradus omnis à superis originem trahere, sed aliquomodo anima ipsa & à parentibus ortum habebit. 2. Phy. tex 18 & 26. & alib.

Prætera, quomodo possit vegetalis, sensualisque anima, vtraque corruptibilis, ab astris, Dæmonibus, Diisque iunioribus, quorum omnium natura est immortalis, proximè, ac immediate generari, difficile est assequi, si illud verum est, quod vulgatissimum, omne caussatum referre naturam suæ

7. Met. tex. 28 2. De gen. an. cap. 1. 2. De an. tex. 51. 54. & alib.

causſæ efficientis proximæ; & omne generans actu tale eſſe, quale potentia eſt id, quod generatur, dogma apud Ariſtotelem in vſu frequentiſſimo.

CAP. IX.

Soluuntur Platonicorum rationes, interpretando multa obſcura loca veterum, monſtrandoq; Deos iuniores, quicunq; illi ſint, eſſe efficientia remota non autem proxima vegetalis, ac ſenſualis animæ.

VErum quoniam ad euertendam quamlibet opinionem non ſat eſt rationibus, atque autoritatibus oppoſitam aſtruere, niſi ea, quibus ipſa innititur, fundamenta deſtruantur; iccirco confutata Platonicorum opinione, noſtra nunc intereſt eorum rationibus, ac autoritatibus ſatisfacere.

Illud ergo imprimis reuocandum eſt in memoriam, Platonem, ac ſectatores eius circa naturam animæ, ac Dei, caute legendos eſſe; namque vt plurima ab antiquis Theologis Mercurio, Orphæo, Homero, Empedocle, Pindaro, Sybillis, & aliis dicta ſine vlla rationis indagatione, ſola talium virorum autoritate fræti in ſuis operibus inſeruerunt; ita quæ ipſi ſua Minerua protulere, ob phraſim ſermonis altiſſima miſtetia non omnino adæquantem, non ſic ac vnguem, vt verba ſonant,

nant, sunt intelligenda; illud enim maximè verificatur in doctrina Platonis, quod & in sacra scriptura, in qua verba non habent efficaciam ex se plene significandi sensus ineffabiles, Littera occidit, sensus autem viuificat.

Quare quod primum afferebatur dictum Platonis in Epinomide, *Animatum à nemine quam à Deo fieri posse*, licet ad aliud propositum, & fortasse in alio sensu in vsum venerit Platoni; ipsi tamen non significat solius Dei munus esse animantia procreare (nisi loquatur de prima viuentium creatione, quæ facta fuit in principio mundi) nanque omnibus notum est Deum Optimum tribuisse cunctis animatis virtutem, qua illa ex seipsis absque vllo alio Dei particulari interuentu, generare possunt animatum sibi simile. Concurrit quidem Deus in cuiusque rei productione tanquam caussa prima, & vniuersalis; at id, ex quo proximè oritur effectus, sunt caussæ secundæ; quippe inter animal productum, & Deum physice operantem necessario mediat animal producens; quod quidem vltro concedimus, tanquam id quod vltimum mouet, mouere non posse nisi motum ab eo, quod primum mouere dicitur, nempe à Deo. Quare inquiens Plato animatum à nemine quam à Deo fieri posse, perinde est ac si Plato dixisset, animatum à nemine sine Deo fieri posse;

hoc autem non tollit quominus pater in generatione filii habeat rationem cauſſæ effectricis proxime generantis formam ſui effectus; quod probare nituntur aduerſarii. Deus enim dicitur omnium rerum cauſſa efficiens, non quia omnia ſigillatim ex eo immediate prodeant, ſed quia ipſe tribuit cauſſis ſecundis, & immediatis vim, ac facultatem producendi ſuos effectus, ſine qua virtute hæc agentia proxima ex ſe nihil omnino generare poſſent. Sic enim Ariſtoteles aut vir non multum Ariſtotele ipſo inferior, in libro de Mundo, de Deo ſcribit. *Vetus igitur ſermo eſt à maioribuſq; proditus inter omnes homines, vniuerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata*: pauciſque interpoſitis: *Etenim cunctorum, quæ rerum Natura complectitur, cum ſeruator eſt Deus, tum vero quæcunque hoc in mundo quoque modo perficiuntur, eorum omnium genitor eſt.* Hoc autem quod ait Deum eſſe rerum omnium genitorem, intelligendum eſſe quod à Deo omnia fiant, non immediate, ſed mediantibus cauſſis ſecundis, apertum facit autor hoc ipſo in capite pluribus in locis: & primo dum talia ſcribit. *Summam igitur & primam ſedem mundi ſortitus, ea de cauſſa ſupremus appellatus eſt, & (vt inquit Poeta) in ſumma culmine vniuerſi cæli ſuum habet ipſe domi-*

Cap. vlt.

cilium

eilium situm, & collocatum. Maxime vero vim eius sentit, numineque eius ante omnia fruitur id corpus, quod proxime eum situm est: tum quod secundum ab hoc situm habet, & vnumquodque deinceps, prout situum ortu ad nostrum vsque locum natura constitutus est.

Quo fit vt terra, & terrena omnia quam longissime ab diuinitatis adminiculatione abscedunt, tam infirmitate summa sint ipsa, concinnitatisque sibi consentaneæ maxime expertia: atque ideo multo tumultu exagitata. Atqui quum ita sit numen diuinum natura sua comparatum, vt quoquouersum permeet, nimirum ea in quibus ipsi versamur, ac superiora nobis, pro eo quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoq; sentiunt. Quæ sane dicta ap- *Tex. 100.*
prime consentiunt iis, quæ habentur in primo de Cœlo, vbi scribitur conciliari à Deo rebus omnibus mundanis esse, & viuere, aliis quidem clarius, aliis autem obscurius. Subiungit autem autor libri de mundo. *Proinde id præstabilius esse censemus, Deoque tum decentius, tum magis consentaneum ita de eo opinari, vt dicamus potestatem illam in cœlo sedes suas habentem, incolumitatis causſam rebus vniuersis præstare: iis quoque quæ longius ab eo remota sunt: nec illis assentiri, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendentem, & ventitantem ad ea quoque, quæ nec adire ipsam honestum est, nec dictu*

ſpecioſum ſua illic opera efficere contendunt, reſq; terrenas adminiſtrare. Atqui ne ex hominum quidem Principium dignitate eſſe dixeris cuilibet operi incumbere: vt, verbi gratia, Exercitus Ducis, aut vrbis Præfecti, atq; etiam domus primarij Diſpenſatoris, ſi faſciculum ſarcinarium componere, aut viliorem aliquam operam obire vſu venerit, vt neceſſe ſit cuiuſmodi munere magni regis tempore ne quouis mancipium eius facile obiuiſſet. Quod fuſius oſtenditur exemplo Cambyſis, Xerſis, ac Darii, inde ſubdit, *Atqui ſtatuere nos oportet magni ipſius Regis faſtigium, prout quidem eſt Dei eminentia, qui pro poteſtate mundum tanquam prouinciam obtinet, tam eſſe infimum, quam eſſe ſummum hoc ipſum regis faſtigium, ſi cum animante quodam viliſſimo componeretur. Quapropter ſi è dignitate Regis haudquaquam eſſet Xerſem functione propria adminiſtrare omnia, & abſoluere quæcunque facta cuperet, ne ipſum quidem operibus inſtantem curatoris operum officio perfungi, longe id nimirum minus Deo conuenit. Quare auguſtius id, decentiusq; exiſtimandum eſt Deum ſummo in loco ita eſſe collocatum numinis vt tamen eius vis per vniuerſum mundum pertinens tum Solem, Lunamq; moueat, tum Cœlum omne circumagat, ſimulq; cauſſam præbeat eorum, quæ in terra, ſunt ſalutis, atque incolumitatis.* Infra vero ſubdit idem autor. *Atq; ea quidem, quin aere fiunt quoquomodo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certe Dei*

te Dei opera esse merito dixerimus, Dei inquam opera, cum imperio summo mundum hunc ac pro potestate obtinentis. Ex quo Deo vt inquit Empedocles Physicus,

Omnia quotquot erunt, quot sunt præsentia quotq;
Orta fuere ante hac, stirpes, hominesque feraque
Inde etiam volucres, piscesque humores alumni.

Subintellige, prodeunt veluti à causa remota, ac omnium prima, adiuncta tamen causis hisce propinquis.

Hæc omnia diligentius contemplari voluimus, vt appareret ex Aristotele, aliisq; antiquis Philosophis, ac omnino duce Natura de efficientia Dei nos nihil aliud posse asseuerare, nisi quod ad omnes effectus peragendos concurrat vt causa prima, & vniuersalis, non proxima, & immediata, sine qua tamen inferiora hæc agentia peculiaria nihil omnino possent efficere; at vbique generationes rerum referendas esse in agentia hæc immediata, vtpote vniuoca, & eiusdem naturæ. Ita quod in Meteoris testatur Aristoteles, *Necessarium fuisse mundum hunc inferiorem contiguum extare superioribus lationibus, vt omnis eius virtus gubernetur inde*: ad id maxime facit, quod diximus superos esse horum causas vniuersales, ac remotas, non immediatas, & proximas; alioqui multum derogaret, neque conueniret diuinæ naturæ statui causam immmedia- 1. *Mete.c.2.*

te producentẽ omnia viuẽtia, quare & vermes puliceſq;, & alia fœda, & turpiſſima animãtia.

Quod vero deinde ex Themiſtio de Platonis ſententia dicebatur genus animæ caducum, & fragile fieri, ac texi à Diis iunioribus: vt idem locus eſt, ac ille, qui quarto ex Ficino afferebatur: ita iuxta illius ſenſum, & hic intelligendus eſt. Habetur autem ex vicino vitam illam, animamq; irrationalem, per quam rationalis anima caduco corpori aſſociatur, non à ſuperis tantum dependere, ſed partim à ſuperis, & partim ab animo hominis generantis, hoc eſt, ab hoc tanquam à cauſa proxima ob innatũ deſiderium æternitatis, quam, vt Deo aſſimiletur, tentat aſſequi ſecundum ſpeciem, generante ſibi ſimile: ab illis vero veluti à cauſa remota gubernante, & adiuuante proximam.

Ita plane quod ex Themiſtio affertur gloſſandum eſt, Deos iuniores, non immediate, ac proxime, ſed interuentu Parentum, vtpote cauſarum vniuocarum, & immediatarum, texere animas illas mortales, quibus immortales animæ à Deo proxime orituræ mortali, caducoque corpori coniungi valeant.

Verum quod tertio proponebatur ex Ficino de mente Platonis, vti toto cœlo veritati repugnat nos ſuſcepiſſe tum corpus ab elemẽtis immediate, quippe quod proxime formatur

matur in vtero ex sanguine, ac semine parentum, quæ tamen constant ex elementis inuicem mistis: tum complexionem à cœlestibus sphæris, vt quæ (quum primis careant qualitatibus, caliditate nimirum, frigiditate, siccitate, atque humiditate, ex quarum mistione adinuicem cõplexio resultat) complexionem nobis tribuere nequeunt, nisi mediantibus elementis, ac sanguine, semineq; Parentum, rectis adiutisq; à superis in omnibus, eorum actionibus eo modo quo, causa prior, atq; remotior secundas, proximasque adiuuat, atque gubernat. Sic falsum est omnino partes animæ, quæ trahuntur affectibus, proxime oriri à dæmonibus, & animis syderum, ac sphærarum; sed vt Mentem, quæ quum sit immortalis, immaterialisque, Diuinamq; naturam referens, proxime, ac sine vllius alterius causæ ministerio à Deo creari fatetur loco citato Ficinus; ita partem animæ, quæ trahitur affectibus, à dæmonibus & animis cœlestib. immediate oriri, dicere non est ausus: sed partim ab illis, partim ab animo hominis generantis eam pendere statuit: & merito, namque animi nostri pars irrationalis, quum non sit immortalis vt dæmones, cœlestesque orbes, ac spiritus, illis non est vndique similis, vt esse debet omnis effectus suæ causæ vniuocæ, ac immediatæ in omni generatione physica.

Hoc

Hoc modo intelligenda etiam est quinta autoritas Alcinoi, Deos mortalium generum conditores animæ hominis immortali à primo Deo susceptæ, partes duas mortales, vegetalem nempe, ac sentientem, adiunxisse; nam quemadmodum tales Dii non nisi mediantibus causis proximioribus generum mortalium sunt conditores; ita partes duas animi nostri mortales immortali adiungere non potuerunt nisi Parentum interuentu.

Sed & Empedoclis dictum, non de animi nostri partibus irrationalibus, verum de rationali parte intelligendum est; quæ sola non habet principium à sanguine, & contemperato spiritu, vt corpus virtusque omnis immersa corpori: atque huc tanquam exul ac peregrina profecta est à superis.

Similiter Mercurii placitum, quo dicebatur. *Pater omnium intellectus, Vita, & Fulgor existens hominem sibi similem procreauit*; nisi intelligatur de creatione primi hominis facta à solo Deo in principio mundi absque aliarum causarum ministerio: dicendũ est quando idem effectus proficiscitur à pluribus causis, illius generationẽ referendam esse in causam præstantem magis, magisq; præcipuam, quæ rem præ cæteris digniorem effectui est elargita, & sine qua cæteræ causæ talem effectum procreare nequeunt, quẽ tamen ipsa sine cæteris pro-

producere potest. Quum ergo Deus præstantissima sit omnium causarum, nedū efficientium hominum, magisq; pręcipua, Hominiq; intellectum cunctis rebꝰ in homine existentibus nobiliorem largiens; quumq, sine Deo à cæteris Homo generari nequeat, contra tamen à Deo sine aliis causis fieri possit Homo; merito retulit Mercurius in Deum generationem Hominis. Nō obstant ergo autoritates obiectæ. Nunc expendamus argumenta.

Quod itaq; primum afferebatur, plurium causarum in eodem genere ordinem inter se habentium nunquam prima cum vltima sine intermediis coit ad procreandum effectū; sed in genere causarum efficientium hominē inter Deum, & Parentes mediæ intercedunt cœlestes sphęræ, earumq; spiritus, ergo in generatione hominis, præter Deum, & Parentes, necessarii sunt cœli, eorumq; virtutes ad generandam hominis animam, facile tollitur declarata maiori, nam vbi plures causæ simul coeunt ad generationem vnius effectus, nunquam priores vniuntur ad opus cum vltimis absque intermedlis, dummodo sint diuersæ coordinationis, ac sese habeant ad inuicem vt causæ subordinatæ, nempe vt proximæ ad remotas, alioqui si causa vna alteri non subordinetur, veluti proxima se habet ad remotam. Quum ergo Deus ad hominis generationem

nem

nem respectu animæ rationalis non concurrat tanquam causa remota, nam proximè à Deo pendet Intellectus, ideo iuxta hunc sensum falsa est minor inter Deum, ac parentes in generatione hominis intercedere alia efficientia media, vbi enim coordinatio abest, ibi non est primum, vltimũ, aut medium; Vbi autem talis est coordinatio, vt in generatione animæ vegetalis & sentientis, vt quorum efficiens proximum est parens homo, remotũ vero cœlum, at Deus remotissimum: nunquam Deus physice operando sine cœlorum ministerio cum parentibus nostris iungetur ad nostri animi partes mortales efficiendas, hinc tamen non sequitur eos proxime oriri à superis sine interuentu Parentum, vt putant obiicientes.

Secunda vero ratio conuincere videtur animas mortales in homine à superis tantum oriri, quia vt ii sunt immateriales, & incorporeæ, ac simplices: sed soluitur primum dicendo eadem lege prorsus animas ex se incorporeas, & simplices oriri ab animali corporeo, ac naturę multiplicis, qua & formę inanimes, & qualitates ipsæ, aliaque accidentia incorporea, simpliciaq; à corporibus vel inanimatis, compositisque quotidie nasci experimur.

Deinde, quum hæ inferioris gradus animæ caducam naturam habeant, materialemque aliqua-

aliquatenus, & corpoream, nam & materia, corporeque vtuntur in suis operibus obeundis, & ab eisdem pendent in esse, atque ad subiecti corporis mutationes & ipsæ mutantur: diuiduntur enim ad illius partitionem, ac etiam intereunt ad corporis dissolutionem, quum inquam hæ animæ mortales sint, & quoquo pacto materiales, & corporeæ, non à superis, sed à parentibus potius veluti à similioribus oriri debent.

Tertia demum ratio, qua dicebatur animas rationis expertes, vtpote immateriales, incorporeas, simplices, & vnas, proindeque nobiliores, pendere non posse à parentibus, quimaterialem, corpoream, compositamque & multiplicem substantiam habent, ideoque imperfectiorē; quia nihil agit vltra suas vires aliquid seipso perfectius generando: præterea quod supponit formam esse quid nobilius composito, quod tamen adhuc est cōtrouersum inter grauiores Philosophos, ne dicam falsum in proposito, etenim satis clarum puto hominem ob participationem melioris naturæ, nimirum animæ rationalis, longe nobiliorem naturam sortiri quam vegetalis, quam sensualis anima. Si enim viri doctissimi negāt totam animam humanam, gradum etiam intellectiuum amplectentem, esse digniorem Homine ipso cōposito ex anima & corpore;

mino-

minorem sane controuersiam, vel nullam iure habebit existimans totum hominem esse nobiliorem anima vegetali, ac sentiente, ideoque quidquam illum vltra suas vires non agere vtramque generando. Apertissime etiam profert obiecta ratio partes animi nostri caducas, & irrationales naturam obtinere immortalem, & incorpoream, quod satis falsum esse constabit ex inferioribus. At vero & quis non dicat hominem licet materialem & corporeum, secundum sui aliquam portionem tamen, mentem dico, immortalem, & immaterialem penitus esse perfectiorem animabus irrationalibus, secundum omnem sui partem caducis, & quoquo pacto materialibus, atque corporeis? Non ergo anima humana oritur à superis, vt aiunt Platonici.

Cap. 16.

CAP. X.

Promulgatur opinio quarta Fernelii arbitrantis Animæ Humanæ partem tum rationalem, tum ratione vacantem à cœlo mediante spiritu fœtui in vtero degenti communicari.

SED longe subtiliorem huiusce rei Philosophiam habemus à doctissimo Fernelio in suo primo De abditis rerum causis, Ibi enim acriter contendit nullam formam, nullamq; animam aliunde oriri quam à superis, hoc est à cœlestibus corporibus. Quum enim ponat

ponat mundum, & quæcunque in eo continentur omnia, non ab æterno extitisse, sed aliquando incepisse, vult ab initio omnia tum caduca, tum incorruptibilia à Deo condita, & creata fuisse; quæ vero postea genita sunt, nunc generantur, ac oritura ea omnia suas formas non amplius à Deo, sed à cœlo accepisse, continueque accipere, atq; acceptura esse, nam si quæ dicuntur apud nos causæ effectrices rerum infra cœlum, eæ non sunt efficientes quia formam genito impertiant, sed quia materiam præparant, ac idoneam reddunt, quæ ideo possit diuinitus, siue cœlitus formam sibi conuenientem excipere. Atque suam hanc opinionem multis corroborare nititur argumentis, quibus etiam oppositam infirmare studet. Ne autem nos illi hæc falso imposuisse quis putet, ac vt melius hanc eius opinionē postea cribrare possimus, illius verba in medium afferre decreuimus. Habet ergo de effectrice formarum causa talem sermonem, *In animalium procreatione semen conceptum vteri vi, ac benigno tepore, ad agendum impellitur, non vt animam, animalisque formam de se excitet, aut edat, sed tantum vt exsuscitata, aut impulsa ipsius potentia, aut facultas, deinceps que aucta, subiectam sibi materiam omni præparationum genere instruat, vt substantiæ tandem particeps forma extrinsecus assumatur,* 1. *De abd. rer. caus. c. 5. in fin.*

At in capite septimo eiusdem libri eadem de re sic scribit. *Quicquid sit ex subiecto, in quo potentia inest, effici assero ab eo quod actu iam est & subsistit, non quod efficiens illi actum formam q3 impertiat, sed quod cum semine potentiam conferat, quæ suopte impetu ad perfectionem adolescens, idonea fit subiecti præparatio, quæ speciem extrinsecus deinde excipiat, vel alliciat in materiam.*

Mox paucis interpositis in eodem capite subiungit, *Rerum omnium, quas Parens rerum Natura progenuit, constitutio prima è substrata materia & specie fieri intelligitur è quib. quum longe maxime præstet species, naturæ nomine multo sæpius quam materies appellatur. Vt autem quod genitum sit stabile nihil, aut permanens cernimus, sed occidere aliquando & euanescere, sic ea species, per quam res vigebat, non potuit perpetuo, materiæ inhærere. Immigrauit illa quondam, idque repente admodum, & vno temporis puncto, quem illius ortum appellamus: Emigrabit item aliquando, & vno temporis momento, isque erit illius interitus. Sed priusquam illuc appelleret, ornatum quendam, & præparationem materiæ desiderabat, per quam & sine qua eo appellere non posset. Hæc præparatio potentia dicitur, quæ non quidem portio, non minimum quidquam est aduentantis formæ, sed vt dixi, illam tantum præcurrens instructio. Quisquis rem aliquam genuit, potentiam hanc cõtulisse putatur, alias per se & solitarie, alias cum semine, aut quodam semina-*

rio

rio illi respondente. Itaque quum multiplex illa sit & varia corporis præparatio, tum ex quatuor illis rerum initiis haudquaquam corruptis, sed minutissime, & ex toto inter se confusis reddita temperatio, tum concinna corporis confirmatio, & partium apta secum coniunctio, tum vero ingeniti spiritus omnis commoderatio, totus hic potentiarum ordo à facultate, & vi seminis, & ab eo, qui semen iecit, dependet. Vbi vero iam omnis ad plenum absoluta est præparatio, quo tempore consummatam potentiam dicimus, tum extrinsecus accedit ipsa species naturali quadam, & quasi dicas ineuitabili necessitate.

Ea simplex est quidem omnino, nullam ex subiectorum formis compositionem sortita, sed quæ multa tamen pro variis, quas habeat facultatibus, gerere & moliri possit: Qui sensibus omnia metiuntur, proximamque causam duntaxat animaduertent, illam de materia potentia educi, suscitarique contendunt, quæ sententia multis est & efficacibus argumentis prosciſſa. Non enim efficiens ac genitor, dum per se, aut seminis, seminariive interuentu aliud quiddam sui nominis ac generis gignit, illius speciem, vel facit, vel immittit, sed hic huius vnius concursus causa est, vt nempe in materia sit forma. Atque id est, quod geniti causa esse, ipsumque genuisse perhibetur, sed est certe supra illum sublimior & præstantior opifex extrinsecus formam ceu quodam afflatu inspirans.

2. Phys 26. 12. Meta. 4. Deinde in fine capitis hæc habet eadem de re. *Ex Aristotele tum in Physicis, homo hominem generat & Sol: tum in Diuinis, homo hominem generat, præter hoc autem id quod est omnium primum omnia mouens; quibus in locis non vult Aristoteles hominis aliam esse causam efficientem quam homo, sed ne quis crassius putaret eum, qui vel hominem, vel equum progenuit, quæcunque illius sunt vna procreasse, caducæ mortalisque naturæ limites hic prætergressus Aristoteles duplicem rerum autorem opificemque constituit, alterum compositi totius, ceu hominis hominem, alterum solius formæ conditorem, quem sempiternum & immortalem esse profitetur. hic rursum se bifariam secat, vbi rerum causas physica ratione scrutatur, species rebus immitti putat ab illa quinta natura, quam solis nomine exprimens cœlestium omnium corporum conuersiones immutabilesque cursus comprehendit. Quum vero quæ supra naturam sunt subtili contemplatione rimatur, rerum omnium opificem Deum, solutamque mundi mentem, Platonis æmulatione, causam esse decernit.*

Et rursum in capite octauo demonstrans quomodo formæ omnes è cœlo prodeant, hæc ait. *Vt à Sole, cui lux ingenita est, effluit non quidem ipsa lux, sed lumen splendorque, qui perspicua corpora collustrans, non splendida modo sed lucida quoque illa exhibet. Sic vnaquæque efficiens causa, maximeque supera illa cœlestia corpora rerum ortus*

tus promouent, rebusque ſpecies impartiunt. Non enim perennes illas, ſibique inſitas rerum ideas ac ſpecies à ſe excutiunt, aut ſuæ ſubſtantiæ quidquam genitis rebus elargiuntur, aut iam in cœlis genitam, abſolutamque formam ſolam, ac per ſe, incommode præparatum ſubiectum ſubmittunt; ſed hac vna ratione res nouas excitant & edunt, quod ſuperæ illæ cœlorum vires motu, lumine ac ſpiritu tanquam vehiculis huc deuectæ, circumfuſæq; nobis in ſubiectum potentia præparatum ſeſe inſinuant, & ſubſtantiarum, à quibus dimanarunt, vim ac naturam recens genitæ rei imprimunt, & ſpeciem ſic inducunt, vt à Solis luce in perſpicuum, inſtructumque corpus, irradians lumen, ipſumque colluſtrans, illi lumen non modo, ſed ſuam quandam lucem tandem immittit. Hac itaque ratione mundus hic inferior à ſupero illo gubernatur, & quæ gignuntur omnia, ſuam inde formam ſuſcipiunt.

Tandem totam ſuam hac de re ſententiam Epilogo complectens, ait in capite decimo: *Quocirca cœlum nullo ſemine multas profert tum animantes, tum ſtirpes: at ſemen nihil quidquam ſine cœlo generat; ſemen gignendis rebus materiam concinne duntaxat, & conuenienter apparat, & inſtruit; cœlum in apparatam illam ſpeciem, ſummamque perfectionem immittit, vitamque ſuſcitat in omnibus.*

Et paulo poſt in eodem capite ſubiungit hæc verba: *Quæ Deus olim propriis operibus in-*

choauit, eadem nunc quasi feriatus cœlo, tanquam administro, continuanda credidit. Et quæcunque Naturæ legibus existere dicimus, eadem primum processerunt à Deo, qui certe nunc admodum pauca proxime, nec cœlo, nec Natura, nec semine interuenientе ingenerat, sed conditis Naturæ legibus omnia per cœlum administrat.

Mox vltimo loco ibidem subdit iste autor. *Quæcunque olim Deus tum in cœlis, tum in terris progenuit, omnia vnus tuetur, atque regit, cœlestia quidem per se ac proxime, animantia vero, stirpes, aliaque mortalia, cœlorum ope & interuentu, quibus Naturæ leges tum procreatrices, tum conseruatrices indixit & imposuit. Itaque animantium stirpium, lapidum, & metallorum omnium, quæcunque & fuerunt, & esse possunt formas vna cœli forma potestate comprehendit, & innumerabilibus illa quasi grauida formis omnia gignit & fudit ex sese, vna illius vis & facultas præ se fert omnium caducorum vires, quæ vel olim comparuerunt, vel posthac vnquam comparebunt. Has autem mundi vector spiritus cœlo in totam vniuersitatem diffusus reb. omnibus impertit simul & speciem, & natiuum vitalemque calorem gignendis illis, atque conseruandis accommodatum. Is omnia continet, omnia calore vitaque fouet, vt nihil vsquam non sit huius vbertate confertum. Huius vi, & ope, & inanima quæque per se sunt, & animata sui quæque generis animam habent, alia quidem nutrientem, alia sentientem, alia*

alia mentis rationisque participem. Sic illa sese rebus accommodat, sic singulorum naturis inseruit, vt quantum cuiusque natura & conditio desiderat, quantum ipsa subiecti præparatio ferre potest, tantundem illa exhibeat. Sol quanquam abest longissime, aduersis tamen corporibus lumen sic impartit vt niteant splendeantq; illa fulgoribus: sed aliter aqua, aliter lapis, aliter lignū, aliter argẽtum. Ita propemodum & vis illa cœlitus dimissa, & omnibus quidem est vitalis, sed ita vt aliis tantum hoc largiatur vt sint, & aliis animam insuper habeant, & idque aut nutrientem, aut sentientem, aut mentis compotem, non enim vno modo ab omnibus illa suscipitur. Sed hoc velim postremo admonere ne illam quidem ipsam vim semper sui similem esse, & vno se semper modo rebus exhibere, sed alias aliter pro stellarum statu multiformi, quarum commistio, complexioque plærumque euariat, tametsi vectoris spiritus vna est & impermutabilis substantia. Fieri igitur non potest quod quidam interpretatur, mundi spiritum vitam statumque rebus sic impertiri vt ne minimam quidem astrorum opem desideret. Hoc si est, cur quaso non similia, & similiter perpetuo generet, quum semper æque præsens rebus adsit? Hæc ille sentit De Ortu Animæ.

Quæ sane & multis, iisque acutissimis argumentis roborat, quorum nunc illa tantum proponã quæ formas omnes proxime à cœlo nasci confirmant, cætera vero quæ tum for-

mas omnes esse simplices substantias, tum à peculiaribus agentibus apud nos non prodire contendunt, commodiori loco in tertio libro examinabũtur. Ea igitur, quib. ostendere conatur animas, & formas omnes cuiusq; generis à cœlo immediate ꝓficisci, argumenta sunt numero duodecim, quorum primum est huiusmodi. Quicunque frutices aut animantia ex putri materia prosilierunt nullo semine, nulloque patre, nullo satore, vt ait Themistius, propriam profecto animam cœlitus à summa & totius mundi gubernatrice anima hauserunt, quę quum omnes omnium rerum formas in se potestate contineat, Datrix formarum à pleriſq; est appellata. Perfectiora vero animalia, quæ semine propagantur, si animas non item è cœlo hauriant, sed à semine, vel à parentibus, id profecto sequetur absurdum, quod imperfectis animalibus vermi & culici præstantior, ac longe diuinior inerit origo quam Homini, Leoni, & aliis perfectioribus animalibus ex semine ortis; attamen Aristoteles aperte fatetur minoris rei, & imperfectioris minus esse originis principium, & imperfectius.

64. probl. sect. X.

12. Meta. t. 3. Secundo dicebat, apud Aristotelem in procreatione cuiusq; rei quod generatur, ac fit, non est materia, neque forma seorsim, sed compositum ex his; nõ enim fit æs, aut rotunditas,

ditas, sed æs rotundum; ergo à generantibus hisce peculiaribus non producuntur formæ, sed composita; forma autem si non generatur à nostratibus hisce efficientibus, relinquitur plane vt huc in materiam sublunarem immittatur à superis corporibus.

Tertio vero afferebat Aristotelem homini tribuisse duas caussas effectrices, dum alicubi ait, quod homo hominem generat & sol: alibi vero, homo hominem generat, præter hoc autem, id quod est omnium primum omnia mouens; si ergo in hominis procreatione duo sunt efficientia, profecto ab his non potest vnum & idem opus prodire; & eo magis, quo maximo inter se distant interuallo: quare quum duo in omni generatione facienda sint, nempe vt apparetur materia, & idonea reddatur ad formam suscipiendam, & vt forma immittatur in materiam iam præparatam; necessario confitendum est alterum ex his agentibus materiam apparare, alterum vero apparatæ illi formam conciliare; sed decentius est hominem, vtpote imperfectioris naturæ, materiam apparare: solem vero ac Primum Motorem in idoneum subiectum formam immittere, quam vicissim; igitur Hominis anima, & huius exemplo omnis alia forma in generatione rerum à cœlo in subiectum immittitur. 2 phys. t. 26. 12. met. t. 24.

Quarto, si forma, & anima extrinsecus materei non accederet, sed ex materiæ potentia (quod aiunt) à sublunari agente educeretur, sequerentur omnia hæc absurda, Quod materia esset efficiens; ex ea enim oriretur forma: Quod formarum varietas penderet à varietate subiecti, quare & forma esset gratia materiæ: Quod omnes formæ essent corruptibiles: & denique, Quod actiones non proficiscerentur ab anima vtente corpore tanquã instrumẽto, sed vicissim corpus esset id, quod agit vtens anima; quare quum instrumentũ sit ignobilius artifice, qui instrumento vtitur, anima dubio procul corpore esset ignobilior.

Quinto, si quicquid habet mistũ proxime ortum ex elementis, id omne ab iis sortiretur; quum elementa talem habeant formã, cuius actio est motus rectus; proculdubio & mistũ non nisi motu recto cieretur; at vero mistum tali gaudet forma, quę illas actiones edit, quas nullum elementorum obire potest, ergo forma misti proxime orti ex elementis, quum ab iis nasci non potuerit, necessario in mistum cœlitus est delapsa.

Sexto, Generatio est quædam motus, siue mutationis species: sed inter motus, circularis est omnium primus, à quo reliqui omnes defluunt; ergo corpora cælestia, quæ sempiterna latione feruntur in gyrum, omniũ quæ generantur, causſa sunt. Se-

Septimo, ex Aristotele rerum generationes, & corrupriones attribuuntur accessui, & recessui solis ad nos; igitur quæcunque generantur, è cœlo ducunt originem. 2. *de gen. t.* 58

Octauo, scribit Aristoteles necessarium fuisse mundum hunc inferiorem contiguum extare superioribus lationibus, vt omnis eius virtus gubernetur inde. Si itaq; omnis huius mundi virtus à cœlo gubernatur, qui fieri potest vt formæ rerum, quæ hic generantur, à cœlo non confluant, atque in materiam immittantur? 1. *mete. c. 2.*

Nono, Ea prima seu proxima caussa omnibus putanda est, vnde omnibus est motus initium; sed cœlum est principium omnium motuum; ergo cœlum est prima, seu proxima caussa cunctarum rerum, quarum ideo formę non nisi à cœlo esse possunt. *ibid.*

Decimo, fatetur & Aristoteles aperte ab elementis materiam, à cœlo speciem genito conferri, dum inquit, *Itaq; rerum quæ in ipso eueniunt caussas, quod quidē ad materiæ genus pertinet, ignem & terram, & his cognata corpora existimari conuenit, hoc enim modo appellamus id quod subiicitur, & quo aliquid fert: id autem quod ita caussa sit vt motus sit principium, ad eorum vim referri debet, quæ semper mouentur*; hæc autem sunt cœlestia corpora. *ibid.*

Vndecimo, si geniti omnis substātia ab agēte sub-

sublunari ortum duceret, profecto cœli tum essentia, tum motus inutilis esset, ac frustra huic mundo elementari.

Postremo, Omnis anima vnitur corpori huic crasso mediante spiritu, & calore naturali; calor autem innatus, & spiritus ab elementis non oritur, sed proxime à cœlo pendet, vt nos edocet tum Aristoteles, tum ipsa ratio, qua videmus in animante, dum moritur, permanere per multum spacium temporis, & elementa omnia simul mista, & temperamentum ex illorum mistione prodiens: calorem vero naturalem, & spiritum simul cum anima euolare; indicium certissimum illi non esse originem à temperamento, aut elementis, sed cœlestem. Si ergo natiuus calor, qui est animæ vehiculum, & vinculum, quo ipsa corpori adnectitur, adnexaque permanet, à cœlo ortum habet; quanto magis anima ipsa à cœlo principium, naturamque trahere debet?

2. de gen. an. cap. 3.

Hisille acriter suam opinionem confirmare contendit fusius in primo libro de abditis rerum caussis.

CAP. XI.

Fernelij placita trutinantur, probaturq; nullam animi nostri partem sic à cœlo pendere: multaque loca Aristotelis explicantur: ostenditurq; quomodo Sol hæc inferiora illuminet, quod in exemplum affertur.

Quę

QVæ tamen si intimius perscrutemur. ea profecto reperiemus, nec Aristoteli (quod ipse opinatur) nec veritati consentanea; Inprimis enim quod ab eo scribitur, In animalium procreatione semen non animalis futuri formam gignere, sed tantum prę parare materiam, eamque aptam reddere ad suscipiendam formam extrinsecus: non ne aperte repugnat Aristoteli scribenti tum principium, quo oua animalium animata fiunt (id enim nihil est nisi anima) à semine maris afferri: tum masculum fœtui animam sensualem dare aut per se, aut per genituram? 2 de gen. an. cap. 3. & 4.

Quod autem secundo dicebat, Quicquid fit effici ab eo quod actu iam est, non quod efficiens illi actũ formamq; impertiat, sed quod cum semine potentiam conferat, quæ est idonea præparatio subiecti: non minus à ratione dissentit; nam quid oportet hoc efficiens actu esse, & eundem actum cum effectu in specie habere, si effectui non tribuit actum, sed solam potentiam subiecto? nonne sufficeret, & ipsum illius generis potentiã obtinere, quam subiecto indit sine actu? At vero & id, quod dicitur agens conferre subiecto potentiam, totam plane Philosophiam euertit: qua docemur potentiam omnem vel esse ipsam essentiam subiecti, vel ab illa prodeuntem affectionem: quomodo ergo quis recte asserat po-

tẽ-

tentiam ab efficiente materiei conciliari ſi potentia ſecluſo quocunque actu efficientis ſubiecto ineſſe reperitur?

Sed & ſibi obeſt in iis, quæ mox adducit, & primo dum inquit formam omnẽ, antequam in materiam feratur, deſiderare in illa præparationem quandã, ſine qua in talem materiam ferri non poſſet: verum ſane dicit: ſibi tamen aduerſatur dum hanc præparationẽ efficiendam tribuit agenti ſublunari; nam quæ ex putredine oriuntur, quum apud ipſum ex toto à cęlo prodeant, nec vllũ habeant efficiens ſublunare; profecto dum fiunt vel dicendũ eſt eorũ animam demitti in materiã non præparatam, q̃ ipſe hic negat: vel etiã hæc (licet nobis ignotũ) habere tamen propriũ efficiens ſublunare, à quo non ſolũ præparationes præuias ſed & formã ſortiri nos dicere poterimus ſoluentes primã illius rationẽ; de qua etiã poſterius. cap. 6.

Quod mox proponitur, Ariſtotelem in generatione hominis duo conſtituiſſe agentia hominem & Solem, ambo immediata: ſed quorum vnũ, nempe homo ſolummodo materiam præparet: alterum vero, quod eſt Sol, ſeu cœlum, aut Deus, in apparatam materiam formam immittat: multa habet incommoda, & primum illud falſo dicitur hanc ſentẽtiam vſu venire Ariſtoteli ſub exemplo hominis comprehendenti generationẽ cuiuſcunq; alterius

terius; quia reuera (vt ostendetur suo loco) eam protulit Aristoteles de homine ad differentiam cæterorum animalium, & entium, quæcunque generantur.

Falso deinde assumitur Aristotelem duo efficientia tribuisse generationi hominũ, quia alterum materiã præparet: alterum in apparatam formam immittat; sed idcirco hoc præstitit, quia vidit hominẽ præ cæteris animalibus habuisse animã diuersi admodũ generis, quæ ab vno eodemque agente prodire non potest; quare dixit in generatione hominis duo efficientia concurrere, hominẽ scilicet, ac Deum, quem appellat nomine Solis, à quibus tota anima humana ꝓficisceretur: ab homine quidem secundũ sui partem caducam, & rationis expertem, à Deo a. iuxta partẽ rationis compotem, atq; immortalẽ. Sed de his alibi fusius.

Adde circa hæc perperam afferri locum illum ex Metaphysicis, tanquã superiori ex Physicis allato consentaneũ, *homo hominem generat, præter hæc autẽ id quod est omnium primum omnia mouens*; In his enim verbis non assignat Aristoteles homini duo agentia immediata, ꝙ putat Fernelius hominẽ, & Deum: sicut in Physicis hominem & Solem; nam quum paulo supra dixisset Aristoteles causas, & principia rerum esse quatuor, materiam puta, formã, efficiens, finẽ; quia sæpe contingit vt forma, & efficiens coin-

c.24.12.mtt.
t.26. 2.phys.

coincidant in ſpecie, hinc in dubium vertit quod prius ſtatuerat de numero cauſſarum; nam ex eo colligitur non vbique quatuor eſſe genera cauſſarum, ſed alias tria, nempe in quibus coincidit in ſpecie agens cum forma: alias vero quatuor; Quod autem in multis id contingat, vt efficiens ſpecie coincidat cum cauſa formali, ibidem triplici exemplo demonſtrat Ariſtoteles; primum eſt, Quia medendi ſcientia eſt quodammodo ſanitas, in medicina vero ſanitas eſt forma introducenda in ſubiectũ medicinæ, corpus humanum, at medendi ſcientia eſt cauſſa efficiens talis formæ; Alterum exemplum eſt de arte ædificatiua, quam eſſe dicit Ariſtoteles ædium formam, quum ipſa eadem ſit ædium cauſſa efficiens: Tertium eſt de homine, qui hominem generat ſibi ſimilem in ſpecie, quare & in generatione hominis cauſſa efficiens ſecundum ſpeciem coincidere videtur cum cauſſa formali.

Sed ſoluit ſtatim Ariſtoteles hanc difficultatem inquiens, *Inſuper præter hæc eſt id quod eſt omnium primũ omnia mouens.* Cuius ſolutionis vis conſiſtit in hoc, quod certum eſt ſumma genera cauſſarũ eſſe quatuor in omni productione; nam ſi prẽter hẽc agentia particularia, quę multoties coincidunt cũ forma, non eſſet quidpiã aliud agens; fieri quidem poſſet vt nõ vbiq; eſſent quatuor ſumma cauſſarũ genera, ſed

sed alias tria, alias quatuor, quemadmodum obiicitur: Verum quoniam in omni mutatione, etiam in dictis, in quibus agens peculiare coincidit cum forma, prẽter effectricem causam peculiarem, est id quod est omnium primum omnia mouens, Deus optimus, qui cũ nulla forma à se creata in specie coincidere potest: Ideo statuendum est in omni mutatione adesse simpliciter quatuor genera caussarum, non tria solum.

Et sane nostræ huic interpretationi fauet litera contextus, quam omnino peruertit expositio Fernelii: conuertitur enim adagium in doctrina Peripatetica, quippe Aristoteles quum vbique, & de quauis re, etiam incorporea loquatur sensu ductus, aut ratione à sensu desumpta: verba profert quæ proprie indicent conceptus animi, non quæ ab iis superentur: scribit enim loco citato Aristoteles, *homo hominem generat*. Hic autem punctũ facit autor, significans, completam esse superiorem orationem, & quæ sequitur esse nouam: deinde subdit, *Adhuc præter hæc*, supple efficientia peculiaria, quę notauimus coincidere cum forma: vel etiam quod est in alia lectione *præter hoc*, puta itidem genus efficientis, quod peculiare existens sæpe coincidit cum forma: *est id quod est omnium primum omnia mouens*, puta Deus optimus efficiens

vniuersale ac remotum concurrens ad omnem mutationem, quod cum nulla forma à se effecta coincidit in specie: Quumque id sit omnia mouens, hoc est, reperiatur in omni generatione tanquam causa prima, & remotissima, ideo fit vt vbiq; sint quatuor causarum genera.

Adde hoc in loco Aristotelem considerare Deum, non vt est causa hominis immediata, quod præstitit in Physicis: sed vt causa remota, & vniuersalis, quod significant verba illa, *id quod est omnium primum omnia mouens*: Quare quum formę genitis non accedant nisi à causis immediatis, quæ tangendo agunt: male Fernelius hunc locum putauit, & consentire cum loco citato ex Physicis, vbi de Deo agit Aristoteles sub nomine Solis, quatenus est causa immediata mentis humanæ: & sibi fauere dicenti animas, formasq; omnes proxime à superis oriri.

Plenum dubiorum deinde est, quod ipse ait de modo, quo à cœlo immittantur formæ rerum generandarum in apparatam materiã nimirum non esse, quod formæ in cœlo genitæ, sine subiecto demandentur in materiam, sed quod quædam cœlorum vires motu lumine, ac spiritu, tanquam vehiculis, huc apud nos deuectæ, in subiectum præparatum propriam formam imprimunt, ac generant,

perinde

perinde ac lumen à Solis luce prodiens in hęc noſtratia corpora, & lumen immittit, & ſuam lucem quandam: Primo etęnim illud Ariſtoteli aduerſari videtur, quod corpora cœleſtia in hæc inferiora agant mediante ſpiritu ſupra lumen & motum: nam vbique vires cœli huc demitti ad nos fatetur beneficio luminis, ac motus, nulla facta mentione Spiritus: ſi quidem vbi docet quomodo Sol ſit cauſſa generationis, & corruptionis, ſola facta mentione motus ait Solis lationem congregare, & diſgregare: cauſſamque eſſe generationis, & corruptionis, alibi motui addidit lumen, ſed nuſquam ſpiritus illius meminit, quem commentus eſt Fernelius hoc in loco. 1. met. 2.

Amplius, ſi formæ rerum immediate non generantur à cœlo, quia non in cœlo, ſed huc apud nos oriuntur: immediatum vero agens omne tangendo mouet: ſi inquam formæ rerum ſubſtantiales hic fiunt à viribus illis cœleſtibus huc ad nos delatis motu, lumine, ac ſpiritu (ſi placet) quęri poteſt de hiſce viribus ſintne accidens, an ſubſtantia: alterum enim horum eas eſſe oportet: ſi profecto ſunt ſubſtantiæ, vt quid egerent accidentibus motu, ac lumine, quibus innixæ à cœlo huc deſcenderent? Perturbari namq; ſic videtur ordo naturæ, vbi aſſeritur accidentia ſubſterni

substantiis,& hasce secundum locum moueri ad illorum lationem: sin autem hę vires sint accidentia, quomodo eas asseuerare possumus genitrices substantiarum, imprimentesque subiecto formas cum Fernelio, qui enixe negat mixti formam, quia substantia est, prodire ab elementorum temperatura, quæ est accidens? Accidens namque omne imperfectius est quacunque substantia: si ergo nihil supra suas vires agit, nihilque gignit seipso perfectius: sique agentium physicorum naturalissimum est generare sibi simile in specie: qua ratione vires hæ cœli, quæ sunt agentia physica (mouent enim motæ) & de genere accidentis, generare queant formas substantiarũ, difficile admodum est quod assequatur. c. 3. & 5.

Sed neque appositum videtur exemplum desumptum à lumine Solis, quod à Solis interna luce prodiens in hæc corpora & lumen, & lucem quandam infundat: Quia quum lux sit quid lumine prius, imo vnde lumen per se primo prodiit, proindeque lumine perfectius, non potest profecto ab vllo lumine lux vlla ortum habere: sed corpora quæ ab extrinseco lumine lucida fiunt, non id patiuntur quia ex eo lumine lucem aliquam nacta sint ab eo diuersam: hanc enim retinerent eo absente: quod non contingit: nam Luna, quæ à Solis lumine fit lucida, vbi eo priua-

tur,

tur, lucem nullam obtinet, sed statim obscura remanet, ac tenebrosa: ratio inquam cur corpora multa ob præsentiam externi luminis, non illuminata solum, sed lucida, & luminosa reddantur, est, quia tale lumen repercutiunt: Et quo magis apta nata sunt lumen reflectere, ob suæ substantiæ lenitatem, densitatemque, ac perspicuitatem, seu (quod aiūt) diaphaneitatem: eo magis irradiantia, & lucida conspiciuntur, ita vt appareant in se habere lucem quandam, & ex ea lumen fundere: at reuera hic non est noui luminis exortus, sed veteris reflexio.

Quod vero tandem afferebatur, à spiritu tertio illo virium cœlestium vehiculo in totā hanc nostram vniuersitatem diffuso & in anima, & animata omnia, quæcunque fiunt, suam habere formam, & animam tum vegetalem, tum sensitricem, tum rationalem, eodem prorsus modo, quo à Solis lumine diuersa corpora diuersimode illuminantur, pro sua cuiusque natura: maximas habet controuersias: tum quia inprimis ponit eodem modo, ab eademque vi cœlesti oriri animam rationalem, quo & aliæ cæteræ formæ tam animatorum, quam corporum anima carentium: hoc enim aperte repugnat Aristoteli demonstranti solam mentem genito extrinsecus accedere, quia non habet actiones cor- *2. degen. an. c. 3.*

porales: at vegetalem animam, & sensitricem, quarum actiones non fiunt sine corpore, non indi fœtui extrinsecus: si ergo id verum est, quod ait Aristoteles, quomodo assentiemur Fernelio scribenti eodem prorsus modo, & ab eadem vi cœlesti oriri, atque extrinsecus indi genito in animam & nutrientem, & sentientem, & mentis compotem? Sic enim oporteret omnes extrinsecus fœtui adiungi, non solam mentem ad aliarum differentiam forinsecus aduenire.

Apertius hoc ipsum repugnat rationi, si n. eodem modo materię imprimitur mens, quo cęterę formę, & ab eodem efficiente: quomodo dicere potest Fernelius illam esse incorruptibilem, hasce vero cũctas mortales?

At vero, & vires illæ cœli, quæ indunt Embryoni animam rationalem, quæ est apud ipsum immortalis, quomodo ab eo statui possunt variabiles pro varietate aspectuum stellarum? Neque enim vel sana mente concipi potest incorruptibile quidpiam pendere à natura mutabili, atque obnoxia corruptioni: sed si sunt inuariabiles, semperque eædem, quomodo diuersa generant, puta & caduca, & immortalia formarum, animarumque genera? Ab eodem namque agente eodem modo semper affecto nunquam non idẽ efficitur.

Ne-

Neque hic locum habet obiectio ab eodem Sole eodem modo disposito simul indurari lutum, & picem colliquari: nam diuersitas horum effectuum, vt qui competunt cõposito quatenus constat ex materia, pendet à varietate materiæ subiectæ: at formæ rerum substantiales, & animæ, suam mortalitatem, ac immortalitatem, quæ illis per se primo inest secluſa habitudine illa, qua referuntur ad materiam, nanciscuntur proprie ab efficiente, à quo & naturam sortiuntur, non à materia: qua quum sint priores, ante illam ipsæ suam naturam habent mortalitatis, vel immortalitatis conditione affectam: id quod satis apparet in eisdem formis, vbi mẽtis ope abstrahantur à materia: Nam formæ naturales omnes (mente excepta) ex se habent naturam mortalem, atque finitam, sine ministerio materię, licet actu nõ intereant nisi in materia: quippe ab ea reipsa separari nequeunt; mens vero quam habet immortalitatem, à materia sortiri non potest, quæ vbiq; radix est, & seminarium corruptionis, iudice vel Aristotele. 7. met. t. 53.

Præterea: Quomodo potest anima rationalis à cœlo esse, quum illi tales insint actiones, quæ nullatenus à cœlo dependent: imo cœlo quodammodo vim afferunt, inclinationibus cœlestibus obstando, reluctandoque,

quod & testatur ipse Ptolęmeus dicens, anima prudens cœlos superat? Si enim mens habet actiones inde pendentes à cœlo, vti sunt, quæ ex voluntate fiunt, liberoque arbitrio, necessario & ipsa secundum sui substantiam independens erit ab astris; ita enim Aristoteles & ipse animæ separabilitatem, ac inseparabilitatem colligebat à separabilitate, ac inseparabilitate operationum eius.

1. de an. t. 13.

Cæterum quum non consentiat doctrina hæc Fernelii neque Aristoteli, neque rationi, consentiet ne forsan (quod ille prędicat) Platoni, vel sacris literis?

6. 9. & 10.

De sacris literis res ex se ipsa loquitur.

De Platone vero illud tantum adducam, ipsum in Timæo dicere Deos iuniores animã rationalem immortali origine præditam accepisse à Deo summo mundi opifice, obduxisseque ei corpus mortale mediantibus vegetali, ac sensuali anima, quas ipsi condiderunt, vt pote caducas.

Ita ergo satis constat neque huic opinioni subscribendum esse.

CAP.

Cap. XII

Diluuntur argumenta Fernelij, ostendendo. Deum ac cœlum esse efficientia remota animæ nostræ vegetalis, ac sentientis, nõ proxima: & monstrando, spiritum caloremq; naturalem in nobis à cœlo non esse, sed elementarem omnino.

ET eo magis, quo nec argumenta, quibus illam corroborat, sunt necessaria. Quod enim primo loco obiiciebat, si homo, cæteraque omnia, quæcunque generantur, suam formam à cœlo non haurirent; quum certum sit, imperfectissima animalia ex putredine orta, suam non aliunde, quàm à cœlo proxime suscepisse; inde fieret, vt diuinior esset origo imperfectis illis animantibus, quàm perfectis: iam solutum fuit in superiori capite: sed exactius illi nunc occurrimus dicentes, falso assumi, quæcunque ex putredine oriuntur, nullum habere efficiens, nisi cœlum; prodeunt ipsa quidem è cœlo, tanquam à causa remota, & vniuersali: sed insuper habent peculiarem ac proximam causam, vnde immediate hauriunt proprias formas; hæc autem est vel Solis calor, quod innuit Aristoteles; vel est potius quid nobis ignotum, vtens calore Solis, tanquam instrumento: Solis autem calor quum proxime non à cœlo

2. *de gen. an. cap.* 3.

pendeat, quod est expers omnium qualitatum, sed à motu & radiis atterentibus aërem, qui quanto atteritur, tanto naturam igneam acquirit; non est quid nobilius ipsis agentibus, quæ semine vtuntur ad prolem, sed imperfectius: ipse etenim est accidens, illa substantiæ; ita causa illa ignota vtens calore Solis ad propaganda ea, quæ fiunt ex putri materia, imperfectioris & infimæ naturæ censenda est. Quum itaque orta suæ originis nobilitatem maiorem, vel minorem sortiantur, non ab vniuersali causa, & remota, quæ omnibus vna est, Deus Optimus, & cœlum; sed à causis immediatis ac proximis: hinc factum est, vt quæ semine propagantur, nobiliorem habeant originem, quàm orta ex putredine, quia causæ illorum immediatæ sunt digniores causis, à quibus proxime fiunt orta ex putredine: Si enim cœlum sine semine generat aliquot animantes, non tamen id præstat sine interuentu agẽtis alicuius particularis, quicquid illud sit, cui per se primo competit actio generandi: sic autem saluabitur Aristoteles, inquiens, minoris rei minus esse principium, quem vti saluet is, qui censet omnia è cœlo proxime suas formas haurire, ego quidem nunquam assequi potui.

Quod secundo obiiciebatur: Quod fit in generatione cuiusque rei, est compositum, non

non materia, non forma; ac proinde si forma non fit, neque illa potest fœtui à parentibus indi, sed huc ipsa demandatur à Superis: tenue satis est, tum quia ex eo, vnde ipse colligit formam non indi conceptui à parentibus, licet nobis inferre eam, neque à cœlis oriri, si ea non fit; tum quia vere quidem, quod propriissime fieri dicitur, est compositum: non materia, vt quæ præexistit: non forma, vt quæ non fit ex subiecto tanquam inexistente, quomodo fiunt omnia, quæcunque proprie generari dicuntur; Verum quoniam forma aliquando incipit esse, quum antea non fuerit, ideo & ipsa quodammodo fieri dicitur; hæc autem formæ productio non est quidem ex alio, tanquam ex subiecto inexistéte, sed productio quædam sui generis, quam nusquam formis denegauit Aristoteles, qui eisdem loco citato priorem interdixit. Fit ergo suo modo & ipsa forma, atque ideo inesse dependet ab aliquo agente immediate, id autem in homine quale sit, mox explicabitur: in cæteris vero generabilibus nos dicimus esse agens sublunare, à quo proxime vereq; generatur compositum.

Quod tertio asserebatur, Aristotelem tribuisse homini duo efficiẽtia, hominem & Solem, aut Deum: quæ quum maxime diuersa sint, opus est, vt diuersa quoque obeãt munia: quare

quare si in hominis constitutione duo hæc præstanda sunt, vt materia apparetur, atque in eam iam apparatam forma immittatur, rationi consentaneum est, alterum illorum agentium apparare materiam, alterum vero apparatæ illi speciem imprimere; sed agentia debent proportionatas suæ naturæ operationes edere: & ex consequenti nobilius agens, digniorem actionem habere oportet: Quum ergo præstantius longe sit, formam parere, quam materiam disponere; propterea Deus & cœlum formam procreabit, homo autem solummodo materiam præparabit: facile etiam tolli potest; & primo, quia non inconuenit diuersa efficientia in eadem generatione idem omnino præstare, vbi se habeant ad inuicem, tanquam causa remota & proxima, vniuersalis & particularis. Sic Deus, & cœlum præparant materiam mediantibus hisce causis sublunaribus: sic causæ nostrates tribuunt formas suis effectibus gubernatæ à superis. Falso ergo assumitur simpliciter, vbi in vna generatione sint duo agentia, hæc diuersa munera præstare: id enim tantummodo est verum, vbi hæc agentia sint æquè immediata: vt fortasse mas & fœmina in eadem generatione fœtus, cui hæc producit corpus, ille vero formam, vt alicubi nos docuit Aristoteles: sed cœlum, ac Deus sunt causæ vniuersales

2. de gen an. cap. 4.

es & remotæ : Homo vero quoad animas mortales, & aliud omne agens sublunare est efficiens proximum, & particulare. Deinde in generatione hominis, quod pertinet ad Deum, quum Deus sit æque causa immediata, ac homo parens, & longe præstantior, diuersum quid facit ab eo, quod facit homo, & multo perfectius: non tamen homo solum materiam præparat, Deus vero totam illi formam humanam impertit: sed quum homo sortitus sit animam duplicis naturæ, partim mortalem, partim immortalem, in procreatione hominis parens homo indit materiei partem animi nostri mortalem, Deus autem immortalem; quæ omnia fusius suo loco patebunt. At quod pertinet ad cœlum, id est solum causa remota, & non recte dicitur esse nobilius homine : hic enim ob participationem mentis longe dignior est corpore ipso cœlesti, quod, secluſa intelligentia, est inanime : habent autem composita suam nobilitatem à forma, & ab actu essentiali, per quem sunt id, quod sunt.

Sed quarta ratio non minus facilis est solutu, quia tamen multas habet consequentias, vnamquamque sigillatim examinemus. Dicitur ergo primo loco : Si forma ex materiæ potentia educeretur : Ergo materia esset efficiens formæ. Id argumentum falso nititur funda-

fundamento, quod omne, ex quo aliquid fit, sit causa efficiens eius, quod fit: nam fit ex æro statua, tanquam ex materia: ex non ente ens, tanquam ex priuatione: ex nocte dies, tanquam ex termino, quorum nullum est efficiens: Ita ergo forma educitur de sinu materiæ, non tanquam ex efficienti, nec tanquam ex subiecto inexistente, nec tanquam ex priuatione, sed tanquam ex fundamento, siue subiecto subsidente, ac rudi sua inchoatione.

Si forma educeretur de sinu materiæ, secundo colligebatur: ergo formarum varietas penderet à varietate subiecti: & ita forma esset gratia materiæ: sed id quoque tollitur, quoniam aliud est cõsiderare formam, quantum ad fieri, seu ad suam originem, & aliud quantum ad esse: quia forma non potest indi, nisi subiecto sibi proportionato: hinc factum est, vt formæ varietas, quantum ad fieri, pendeat aliqua ratione ex varietate subiecti: verum quia forma existens iam facta determinat subiectum, alioquin ex se indeterminatum, ad certam speciem: ideo sic varietas subiectorum pendet à varietate formarum, & subiectum est gratia formæ, non viciſſim.

Tertio dicebatur, si formæ elicerentur de potestate materiæ: igitur omnes essent corruptibiles: Respondetur, verum esse omnes formas

formas eductas de sinu materiæ subire notam mortalitatis: sed ab his vnam segregamus animam rationalem, quæ extrinsecus materiei accedit: cæteræ omnes generabilium formæ sunt caducæ, vt sunt vegetalis ac sensitrix animæ humanæ portio.

Tandem arguebat, si forma eliceretur de gremio materiæ: igitur actiones non prodirent ab anima vtente corpore, tanquam instrumento, sed potius corpus esset id, quod agit vtens anima: quare & illud esset anima nobilius, opifex enim est supra omnia sua instrumenta: Concedimus primam sequelam: actiones enim sunt compositorum, non materiæ, non formæ: imo dicere animam intelligere, perinde est, ac si dicas, animam texere ac ædificare: sed homo est, qui per animam intelligit apud Aristotelem: neque se habet anima ad corpus, tanquam artifex ad instrumentum, sed tanquam actus ad potentiam, & perfectio ad perfectibile. 1. *de an.* t. 64. 3. *de an.* t. 1.

Quod quinto obiicitur, si mistum non esset sortitum aliquid à cœlo, sed totam sui naturam haberet ex elementis: profecto id non posset efficere, nisi ea, quæ ab elementis, contra quod sensus docet: falsum habet suppositum, totum non posse habere actionẽ diuersam ab actionibus suarum partium: nam & decem homines simul mouent pondus, quod

à nul-

à nullo seorsim moueri potest: & quatuor voces faciunt harmoniam, quam nulla earum per se edere valet: & theriaca tales morbos curat, quos nullum ex ingredientibus theriacam à seipso sanat.

Sexta ratio nihil aliud conuincit, nisi cœlum, ac eius motum esse simpliciter causam omnium generabilium: quod nos non negamus, dum dicimus, cœlum esse eorum causam remotam & vniuersalem, non tamen proximam & immediatam.

Idem dico de septima, octaua, & nona ratiocinatione: eas non colligere à cœlo immediate oriri formas, sed tantum illud esse causam primam, hoc est, supremam & vniuersalem, non proximam: duplici enim significatione pollet particula (primum) aliquando enim significat id, quod supremum ac primum in ordine, vt loco citato: aliquando quod proprium, & proximũ quasi primum, quoad nos, vt sæpe alibi; Sic omnes formæ generabiles proxime oriuntur ab agente sublunari, sed gubernato à virtute cœlesti.

1. met. c. 2.

1. post. tex. 5.

In decima ratione perperam ipse interpretatur Aristotelem, dicẽtem: *Id autem, quod ita causa est, vt vnde motus principium, ad eorum vim referri debet, quæ semper mouentur*, vt velit à cœlo speciem genito conferri: nihil enim aliud his sibi vult, quam cœlum esse causam effectri-

1. met. c. 2.

effectricem omnium generabilium, sed nos intelligimus primam, seu remotam ac vniuersalem, quæ regit fouetque proximam, vnde proprie forma enascitur; Et quidem, sicut eo loco agit Aristoteles de materiali causa remota, vti sunt elementa; sic par est, ibidē eundem de cœlo, tanquā de efficienti causa agentē, de remoto, nō proximo efficiēte tractare.

Vndecima ratio falsam habet consequentiam: licet enim à cœlo nulla forma proxime oriatur; non tamen ideo cœlum cœlive motus frustra est; imo necessarius, quia conseruat hæc inferiora, quorum est causa communis, ipsaque gubernat, quæ propterea sine illius ope nihil vnquam facere, quinimo neq; consistere possent vllo modo.

At maioris momenti non est, quod vltimo loco proponebatur argumentum: Anima omnis corpori elementari adnectitur mediante spiritu, & calore naturali: hic autem spiritus natiuusque calor non oritur ab elementis; sed & Aristoteli ortum ducit è cœlo, cuius etiam apertissimum est indicium, quod eiuscemodi calor simul cum anima euolat è corpore in obitu animantis, in cuius tamen cadauere permanent elementa eadem, & ex horum commistione orta temperies per notabile spacium temporis: non enim corrumpitur animal simul, & vt viuens, & vt mistum;

quia corruptio animati vt viuens est, mors appellatur : corruptio autem misti propria, est putredo : sed dum moritur animatum, id simul non putrescit, verum multo postea : si ergo vinculum & vehiculum animæ proxime à cœlo prodiit, non ab agente aliquo sublunari : multo magis asserendum est, cœlestem esse & ipsius animæ originem.

Nam primo loco sibi ipsi inconstans valde videtur hic author circa principium & originem huius sui spiritus, & caloris : aliquando enim ipsum proxime à cœlo ortum habere fatetur : aliquando vero (fortasse veritate coactus) à facultate & vi seminis : nec non ab eo, qui semen iecit, & omnino ab agente sublunari.

Cap. 4. in fin.

Cap. 8. & 10.

Cap. 7.

Falsum enim est, reuera calorem nostrum natiuum appellatum, ac primigenium, non ex elementis esse, sed à cœlo immediate prodire : nam calor noster innatus, quem insitum appellant, reipsa nihil aliud est, quam temperamentum singularum partium nostri corporis, ortum ex mistione elementorum, ac primarum qualitatum : Verum quia calor illud est in temperamento, cui per se primo debentur omnes operationes animæ : frigidum enim non ingreditur opera naturæ, hoc est, per se nihil efficit in animantibus, sed solum temperat ac moderatur calorem, vt reli-

quæ

quæ duæ qualitates, quæ passiuæ nuncupantur: Et quoniam in misto ignis, & omnino calor, continet simul vnita elementa reliqua, alioqui, vt discrepantia atque contraria, abinuicem sese disiunctura: Et demum, quia vinculum, quo anima corpori adnectitur, est talis temperies cum certo ac determinato gradu caloris: ideo calor noster natiuus, qui est determinati gradus, dici solet primum animæ instrumentum, vinculumque, quo illa corpori adnectitur: quare eo disoluto, necesse est corpus anima priuari. Est ergo calor noster natiuus ex elementis, quia quascunq; is actiones edit, easdem obire potest elementaris calor in certo gradu gubernatus ab anima: sed iccirco, dum morimur, dicitur cadauer non habere calorem innatum hunc, qui est principium vitæ, quum tamen habeat elementa, & ex his ortam temperaturam: quia quum calor noster insitus consistat in certo gradu, qui si intendatur, aut remittatur, ita vt transgrediatur vel amittat hūc sibi proprium gradum: iam non amplius calor innatus dicitur, sed igneus ac febrilis, aut simpliciter calor vel temperies: hinc factum est, vt, dum morimur, quia id fieri nequit, nisi ob extinctionem vel imminutionem caloris nostri natiui vltra propriū sibi gradum, dicatur calor insitus aboleri, & remanere tēperamentum;

tum; sed vere idem reipsa calor est, qui vige
in viuente, cum eo, qui est in cadauere ex ele
mentis ortus: at in viuente, verbi gratia, et
vt octo: in cadauere vero imminutus est v
quatuor: Quo factum est, vt quum anim
corpori nequeat vniri, neque in eo operari
nisi mediante calore, qui est intra sex & de
cem; ille calor, qui in aliquo viuente est, vt o
cto, si aliqua ex causa imminuatur infra sex, &
fiat vt quinque, non amplius possit adnecter
animam corpori; vnde ex horum vnionis so
lutione mors; huiusque rei apertissimum ar
gumentum præbet id, quod obseruatur i
proxime morituris: in iis enim sensim conti
nue calor imminuitur; quæ caloris decreti
vbi deuenerit ad certum terminum, necessa
rio animal interit; in eius tamen cadauere ad
huc supereſt aliquid caloris, parum distans i
quantitate ab eo, quo animal pollebat, dun
adhuc viueret, sed in vltimo vitæ; qui sane ca
lor sensim identidem imminuitur vsque a
vltimam sui extinctionem: non enim ince
pta caloris imminutio in vita animalis, i
ipsius obitu desinit: nam calor competit vi
uenti, non quatenus viuens est, sed quatenu
mistum: viuens autem mistum permaneri
etiam post obitum, nuper ostendebamus: a
dicta caloris diminutio etiam post mortem
animalis continue perennat vsq; ad vltimum
calo-

aloris exterminium, quo tempore, quia sol-
itur vinculum, quo elementa simul mista
ontinebantur, ideo singula separantur abin-
icem, ac in suum quæq; locum commeant;
que hæc est putredo cadaueris.

Vnde obiter apparet ratio, quare tum ani-
alium calidiorum cadauera tardius cæteris
utrescant: tum cadauera aliqua balsamo, &
doratis, aliisque rebus calidioribus atque
ccioribus seruentur imputria: primum et-
nim contingit, quoniam maior calor tar-
ius ac difficilius absumitur: secundum ve-
o, quia calor ille, qui post mortem animalis
dhuc remanet in cadauere in eo gradu, qui
ossit continere cætera elementa simul mi-
ta, continue fouetur à rebus illis calidiori-
us, à quibus etiam magna ex parte absumi-
ur humiditas, quæ alioquin calorem extin-
gueret; ob cuius consumptionem ea etiam
corpora & cadauera seruantur incorrupta, si-
ne à putredine intacta, quæ igne, seu fumo,
vel Sole, aut etiam sale solent exsiccari.

Sed vnde digressi sumus, iam pedem rese-
camus. Ita ergo corruit ea ratio, qua probare
conabatur Fernelius, calorem naturalem seu
primigenium non esse elementarem, sed cœ-
lestem omnino.

Ad Aristotelem vero dicentem, calorem in animalibus contentum, nec esse ignem, 2 *de gen. an. cap.* 3.

Cap. 51. nec ab igne originem ducere, infra opportuniori loco respondere conabimur: in præsentia id tantummodo sufficiat, Philosophum nobis non aduersari, qui constituimus, calorem innatum esse temperamentum, non ignem; & ortum habere à mistura omnium elementorum, non à solo igne.

Et hæc de primæ sectæ opinionibus dicta sint satis.

CAP. XIII.

Exponitur opinio quinta ex Pomp. & alijs iudicantibus, animæ humanæ partem, & rationalem, & irrationalem, originem ducere à parentibus, non à Superis.

SVccedit nunc secunda secta omnium angustissima, vna solummodo opinione suffulta, quæ statuit, totam animæ humanæ naturam, vegetalem scilicet, sentientem, ac rationalem gradum complectentem, originem habere à solis parentibus, mediante semine. Hæc autem est Hierardi, Pomp. & aliorum quorundam opinio, hoc innixa fundamento, Quod anima humana, qualemcunque naturam habeat, siue simplicem, siue compositam, est in hominibus ad subiecti corporis partitionem diuisibilis: quamuis per se sumpta sit non quanta, & indiuisibilis, qualis secundum se est forma quæuis alia. Ex quo fundamen-

damento hunc in modum argumentantur, dicentes, quod quemadmodum & quæ in vipera, aliove quouis insecto animali sensitrix anima vna numero existens, vbi animalis corpus diuiditur, illa etiam fit multiplex: quum in cauda entomi præcisa sensitrix anima eiusdem speciei cum ea, quæ in reliquo insecti corpore remaneat solo numero diuersa: Et quæ in stirpibus vegetalis anima vna numero quum sit, si tamen ramus ab arbore separetur, illa ad subiecti diuisionem pariter diuisa in ramo auulso anima eiusdem speciei cum anima totius reliquæ plantæ remanet ab ea solo numero diffita, qua mediante, ramus in humum iterum immissus nouam arborem solo numero à paterna, seu à priore distinctam in eadem specie constituit; ita plane in homine, quæ est anima rationis mentisque compos, vna numero existens, diffusa per singulas humani corporis partes, vbi in Venere à reliquo corpore semen effunditur, ad proprii subiecti diuisionem & ipsa partita, in spermate permanet anima humana eiusdem speciei cum anima totius residui corporis, vnde semen exiuit, ab ea solo numero differens; qua mediante sperma in vterum eiaculatum nouum hominem solo numero varium ab eo, qui semen genuit, in eadem specie constituere, plane est verisimile.

Suæque hi opinionis fundamentum præcipuum, nempe, animam humanam esse saltem per accidens, hoc est, ad proprii subiecti partitionem, diuisibilem, atque multiplicabilem, tum superiori argumento desumpto ab exemplo animæ vegetalis in plantis, & sentientis in brutis: tum præcipue hac ratione tueri possent, dicentes:

5. Metaph. text. 18.

Quum apud Aristotelem diuisibilitas sit differentia de intrinseca ratione quanti; Quumque ea, quæ sic alicui competunt secundum substantiæ rationem, illi insint secundum quod ipsum; apertum cuique est, omne quantum, quatenus est quantum, eatenus esse diuisibile. Quum igitur anima humana more cæterarum formarum secundum se quidem quantitatis expers, quatenus tamen in homine est, extensa sit in tota corporis quantitate, ac per accidens quanta, hoc est, ad subiecti corporis quantitatem; ipsa eadem proculdubio licet ex se sit indiuisibilis, in homine tamen, ad cuius dimensiones dimensa est, per accidens pariter, hoc est, ad subiecti corporis diuisionem partibilis esse debet, ac multiplicabilis. Verũ quod alicui suspectum esse poterat, animam humanam ad corporis nostri dimensiones expansam esse, atque ita per accidens quantam, plærisque aliis argumentis late se cõfirmare arbitrãtur; & primo dicen-

dicentes: Quodcunque augetur, docente Aristotele, crescere debet secundum quamlibet particulam quæ possit sensu percipi, & hę particulę augentur, non penes materiam, sed secundum formam, quę est anima; quum itaque homo vere hoc modo augeatur, necesse est formam illius, quę est anima humana, extensam esse in singulis corporis particulis etiam minimis: quæ tamen sint sensibiles. 1. De gen & cor. tex. 35.

Deinde, si anima hominis secundum sui quantitatem non esset extensa in omnes, ac singulas humani corporis partes, ita vt anima & tota esset in toto, & sui partem haberet in qualibet parte corporis: sed (quod Alberto, Simplicioque placuit) si anima omnino quantitatis exors, penitusq; indiuisibilis, in solo corde, vel alia quauis parte Principe residens, indeue tanquam Rex in regno vniuersas corporis partes mediantibus facultatibus sibi ministris regeret, ac viuificaret: multę profecto essent in humano corpore partes, quæ reipsa in se animæ essentiam non haberent: Quum autem, testimonio Aristotelis, principium quo primo viuimus, sentimus, loco mouemur, ac intelligimus, sit animi nostri essentia, dubio procul partes omnes in nostro corpore, illa excepta principe, in qua est animæ nostrę substantia, sigillatim ex se non alerentur, non viuerent, non 2. De an. tex. 24.

2. De an t. 9. 2. De gen. an. c. 1.

crescerent, non sentirent, non mouerentur secundum locum: imo nec vere Aristoteli dici possent partes hominis, nisi æquiuoce, perinde ac manus lapidea, manus dicitur. Adde quod in corpore nostro sola pars princeps, cor, aut cerebrum, per se primo nutriretur, augereturque, non ad alterius nutritionem, & augmentum.

1. De gen. & cor. tex. 35.

Sed hæc omnia tum Aristoteli repugnant dicenti partes dissimilares, cuiusmodi est cor, manus, caput, nutriri, ac augeri, non per se primo, sed ad nutritionem & augmentum similarium, ex quibus constat, carnis inquam, nerui, venæ, & id generis: tum sensui refragantur, quo experimur, præcipue in sensu tactus, sectam, aut punctam quamlibet particulam in corpore nostro per se vere sentire, statimque dolere, adhuc vel nulla communicata passione parti principi, cui dicitur inesse anima: ad cuius sensationem subinde fieri possit vt pars proprie læsa lædens sensibile sentiat: neque enim sic à materia sunt absolutæ, ac liberæ species tangibilium sensatorum sensiterio impressæ, vt momento, vel tempore imperceptibili à pede, verbi gratia, cordi aut cerebro, partibus tam remotis communicari valeant, quo pes illico doleat punctus, non quidem, per se, sed sentiendo noxam ab obiecto improportionato

in

in virtute animæ residentis in corde, aut cerebro: Si quidem & species audibiles, tangibilibus immaterialiores, per spacium effatu dignum non feruntur nisi in euidenti ac notabili differentia tẽporis, vt in tonitru, q̃ non sentitur à nobis nisi post visum fulguris, cui tamen origo est ex præcedente tonitru; eiusdẽq; rei habemus argumentũ familiare magis in iis, q̃ eminus scindunt ligna, quos videmus secundum, vel ẽt tertium ictum securi repetere super lignũ, antequã audiamus crepitum, ac sonum, quem primus ictus peperit. Quæ omnia satis ostendunt species audibiles moueri de vno loco ad alium in tẽpore sensibili, quanto ergo magis id verum erit in tãgibilibus, quæ sunt materialiores?

Tertio idem confirmant ex eo quia quantitas quum sit de intrinseca ratione augmenti & decrementi apud Aristotelem. procul dubio omne augmentabile, & diminuibile, quatenus est huiusmodi, eatenus est quantũ: Itaque anima humana, quæ saltem per accidens, hoc est, ad corporis incrementum, & decrementum, augmentabilis est, ac diminuibilis, necessario pariter erit quãta ad quãtitatem subiecti corporis. 1. De gen. & cor. tex. 25. & sequẽtib.

Sed quod non minus erat suspectum, animam humanam esse sic augmentabilem, & diminuibilem, alia etiam ratione confirmãt,

dum

1. De gen. & cor. tex. 33.

dum ſupponentes ex Ariſtotele animam eandem numero permanere in nobis ab ortu vſque ad occaſum, dicunt quod Anima, quæ prius erat in puero quantitatis bipedalis, exẽpli gratia, vel eſt extenſa ad quantitatem pedalem, quæ bipedali adiuncta eſt nunc in puero eodem aucto ad quantitatem tripedalem: ſed ita eſſet aucta per accidens, ad incrementum corporis: quod quærimus: vel non eſt extenſa, ſed coarctata remanet in ſola bipedali quantitate priori: at vero ſic quæ ex alimentis per nutritionem adiuncta eſt pedalis ſubſtantia bipedali præexiſtenti in eodem puero nunc aucto ad quantitatem tripedalem, vere non informabitur anima, nec erit proprie animata, nec viuens, ideoque non nutrietur, ſecta vel puncta non ſentiet: quæ tamen ſenſui non reſpondent: eſt igitur anima humana ſaltem per accidens, hoc eſt, ad ſubiecti corporis incrementum augmentabilis.

Deinde vero arguunt, Animã, quæ prius erat in homine integro, aut bicubitali, exempli gratia, vbi vel illi brachium abſcinditur, vel ipſe ſenio confectus ad cubitalem magnitudinem decreſcit: neceſſario aut contrahitur & ipſa ad reliquum corpus, ac imminuitur ad imminutionem ſubiecti: atqui hoc eſt quod volumus: aut non contrahitur: ſi quidẽ

in

in homine integro, quando illi amputatur brachium, aut alia pars eo superstite, animæ portio, quæ ante actuabat, informabatque membrum illud, tunc non contrahitur ad reliquam animam remanentem in residuo corpore: igitur remanebit adhuc in parte illa à corpore seiuncta: ergo quæ prius vna erat in integro homine, anima diuisa nunc erit, ac multiplicata in duas: quod & nos arbitramur.

Sic præterea in homine bicubitali, vbi is in senio per decrementum imminuitur ad quantitatem cubitalem, illa animæ portio, quæ perficiebat, viuificabatque cubitalem illam corporis magnitudinem deperditam nisi contrahatur ad reliquum animæ, quod est in residua cubitali quantitate: necessario fiet, vt anima obtineat aliquam sui partem extra corpus, alia corpus actuante: quod est absurdum: imo sic anima secundum se, non ratione subiecti, haberet partem extra partem, quare esset per se quanta, & diuisibilis, ne dum per accidens, quod nos contẽdimus.

Id quod & tertio hoc argumento ostendimus quia vt habetur ex Aristotele contra dicentes aerem esse animatum colligente id tãquam absurdum, fore vt anima non ineſſet in quacunque aeris parte, proprium est, formarum informantium ita dare esse corpori vt illi vnian- 1. De an. t. 88.

vniantur extensibiliter secundum omnem sui dimensionem.

Adde & hoc esse proprium animarum, quæ sunt actus corporis organici: id enim cõstat ex multis partibus similaribus: at quod inest multis partibus corporeis, necessario illis inest quantitatiue, ac extensibiliter: Quũ itaque anima humana, etiam penes gradum intellectiuum, sit informans corpus organicum, oportet eandem partem animi nostri rationalem expansam esse in omnes corporis particulas.

1. De an. t. 92. Amplius, & ex eodem Aristotele patet intellectum per vniuersum corpus diffusum esse, non autem applicitum vni tantum particulæ: si quidem scribit difficile esse vel fingere quam partem, aut quomodo contineat eã intellectus, contra Platonem, qui mentem locabat in cerebro solo, non in omnib. corporis nostri particulis.

2. Aph. 6. Sed & ipse Hippocrates censuit mentem esse extensam per singulas corporis partes, dum scribit, quicunque dolẽtes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat: Qui enim fieri posset vt facultas tactrix in pede, verbi gratia, non sentiens caussam dolorificam, arguere possit mentem ægrotare, si hæc á pede lõge absit in cerebro, aut corde: non facile assequi potest.

At

At vero & alio insuper argumento suam opinionem roborant dicentes quod si in semine, ex quo in vtero constituitur conceptus hominis, dum à mare decidit, non remaneret tota anima humana, etiam penes gradum intellectiuum, sed vel animæ gradus tantum sensitiuus, vel vegetalis, vel nullus semen informaret: quum nihil vltra suas vires agat, nec quicquam generet aliud seipso præstantius: imo quicquid immediate generat agentium Physicorum, & præsertim vniuocorum, quale semen esse dicit Aristoteles, id semper sibi simile in specie producat, docente eodem Aristotele: profecto reipsa homo non generaret hominem mediante semine, sed aut animal ratione carens, aut vegetans animatum, aut quidpiam inanime: id quod & à veritate abest, iudice vel sensu, & ab Aristotele scribente hominem ex materia generare hominem.

7. Met. t. 32.
2. De an. t. 35.
2. Phys. t. 26.

Addunt vltimo loco tum illud Plinii apud Democritum, in Venere hominem alium ex homine exilire: tum illud Auerrois ex Aristotele, seminis virtutes similes esse arti & intellectui, atque differre à virtutibus naturalibus: quod plane falsum extaret, nisi in semine adesset animæ gradus rationalis.

Lib. 28. c. 6.
7. Met. t. 31.

CAP. XIV.

Examinatur opinio Hierardi, & Pomp. proposita, demonstrando animi nostri partem rationalem proxime oriri, non à Parentibus, sed à Superis eamq; non esse vllo modo quãtam per accidens.

CÆterum quamuis huius opinionis assertoribus, quibus vere neque ætate, neque ingenio, neque alia quauis in re sum cõparandus, subscribendũ & mihi esset alio nomine: Vbi tamen potior me vergit ratio, ab eorum autoritate recedere cogor: siquidé ea nec firmis ita innititur fundamentis quæ validior non prosternat ratio: quod enim primo dicunt in semine reperiri totam hominis anima, ét quoad gradum intellectiuum, tum falsum est alio nomine, tum quem inprimis venerantur, Aristoteli aperte repugnat, qui partitus animam humanam in vegetalem: sentientem, qua fœtus est animal: & rationalem, qua homo: in menstruo vegetalem animę gradum esse negauit eo ductus argumento quod menstruũ (quamuis tanto à seminis natura non distet interuallo, quin illud Aristoteles semen esse dixerit) indignum est cui vniatur præstantior essentia vegetalis animæ: quippe non solet Natura inuicem illa connectere, quæ valde dissita sunt: quanto sane ma-

2. De gen. an. cap. 3.

nagis animæ noſtræ gradus rationalis, in perfectione cum vegetali haud comparandus, aſſociari ſemini ac excremento non debebit a Natura, quæ nihil niſi admirabili cum ordine, ac proportione perficit apud Ariſtotelem? ſmo iure optimo Ariſtoteles demonſtrat partem animi noſtri rationalem nobis non indidum ſimus, à parentibus mediante ſemine, ſed extrinſecus aduenire à ſuperis; quæ omnia fuſius ſuo loco explicabuntur. 8. Phyſ. tex. 15. 2. De gen. an. cap. 3.

Adde ſi in ſemine eſſet anima humana penes gradū intellectiuum, & ſenſitiuum; quum abortus ſit intempeſtiuus, ac immaturus exitus animalis ex vtero matris; mulieribus profecto quæcunq; corruptiones accidunt non ſolum vltra ſeptimum diem à coitu, ſed & effluxiones puri ſeminis, quæ accidunt intra ſeptimum, abortiones eſſent; quippe ſemen in vtero habent etiam tunc mulieres, quod ob participationem ſentientis, & rationalis animæ, animal eſt, ac homo; oppoſitum tamen opinatur aliquando Ariſtoteles. 7. Hiſt. cap. 3.

Amplius, quum illud vel aduerſariis in anteriori capite in vſum venerit, nihil vltra ſuas vires operari, neque quidquam aliud ſeipſo perfectius generare poſſe; ſi profecto animæ humanæ pars intellectiua à paterno ſemine, ſeu à patre ipſo trahens originem, mediante ſpermate fœtui adiungeretur; quum homo

ipse quatenus compositum naturale est, caducam naturam habeat atque mortalem, quæ profecto ab eo nascetur anima rationalis, immortalis esse non poterit.

Idipsum ex iis plane sequitur, quæ statuunt in anima rationali augmentum, decrementum, quantitatem, ac diuisibilitatem; si enim mens nostra sic à corpore dependet, vt ad huius auctionem, decretionem, quantitatem, ac diuisionem, ipsa pariter augeatur, imminuatur, quanta sit, ac diuisibilis; cur eadem non erit quoque ad corporis dissolutionem atque interitum, mortalis?

Hoc autem licet secundum ipsos fortasse Aristoteli non repugnet (si modo vera opinentur, nam secus Aristotelem sentire inferius patebit) est tamen reipsa falsum, & absurdum iis Philosophis, qui in omni contemplatione nudam veritatem affectantes non iurarunt in verba Magistri; nam quæ ipsi ve Aristoteli supra Socratem, supraque Platonem erat amica veritas, cur vel apud nos ipso Aristoteli, & cuiuis alteri præferenda non erit?

Cap. 33. 42. 43. 45. 46.

Vlterius falso etiam, gratisque sibi assumunt animam rationalem perse quidem non quantam, ac omnino indiuisibilem, in homine tamen ex commercio corporeo redd aliquo modo quantam, ac diuisibilem; quan

do vul

lo vulgatum non minus, quam verum passim in Philosophia legitur axioma, quod per se tale est, nunquam à sui natura deflectere, sed tale semper permanere in quocunque, & vbicunque ponatur.

Præterea si sufficeret vniri, & habere commercium cum subiecto quanto ad hoc, vt formæ per se non quantæ per accidens quantæ fierent; inde profecto contingeret vt mentes diuinæ substantiæue separatæ, ex consortio corporis cœlestis, cui assistunt, & magis vniuntur, testimonio Auerrois, quam formæ naturales materiei huic sublunari; euaderent aliqua ratione quantæ, atque diuisibiles per accidens; quod satis constat repugnare tum aperte Aristoteli, tum apertius ipsi veritati. 3. Cæl. com. 3. 8. Phys.

Non est igitur vera positio Hierardi, Pomp. & aliorum existimantium essentiam animæ humanæ, non solum quoad portiones ratione carentes (vegetatricem scilicet, ac sensitricem) verum etiam quoad partem rationis, mentisque participem, esse corpori coextensam, seu quantam per accidens, atque ab ipsis parentibus ortam.

CAP. XV.

Resoluuntur aduersariorum rationes, ostendendo mentem humanam esse omnino indiuisibilem, ac immaterialem, non in vniuersum corpus extensam, sed in præcipua corporis parte residentem, nec à Parentibus ortam.

NEque sane quæ iidem pro sua opinione argumenta nectebant, sic firma sunt, vt rei naturam intimius perpendentibus facile non sit ea diluere; Propterea quod notum est quantitatem, ac extensionem esse accidens perse primo prodiens à materia, quo ideo materialia ab immaterialib. differunt in eo quod talia; quare & eatenus quid esse quantũ quatenus est materiale: Non minus certum est actus, & formas trifariam esse materiales, vel quod inesse, ac operari à materia dependeant, vel quod in sui definitione materiam accipiant; vel tandem quod, instar materiæ, sint vlterius subordinatæ ad alios actus, tanquam perfectibile ad propriam perfectionem. Formæ quæcunque vno, aut pluribus, aut omnibus hisce modis sunt materiales, hæ penitûs à quantitate non absoluuntur, vt dici queant perse non quantæ; non sunt tamen perse quantæ; etenim apud Aristotelem perse est nexus, qui reperitur inter definitionem, & definitum; inter causſam immediatam, seu ad-

1. *Post. tex. 9. & 10.*

adæquatam, & effectum; modo nulla forma oritur à quantitate, nec viceuersa vlla forma est causſa immediata, & adæquata quantitatis, ſed materia: neque omnino vlla forma recipit in ſui definitione quantitatem, neque viciſſim; licet enim aliquæ formæ definiantur per materiam, à qua perſe primo eſt quantitas, diuerſum tamen quid eſt quantitas à materia; ſed & ex Ariſtotele ſcribente phyſicum non definire per materiam, non tamen ſine materia, clarum eſt materiam in definitione formarum poni, non tanquam quid eis internum, & eſſentiale, ſed veluti vehiculum, ac fulcrum, & omnino ſine quo non; perſe vero eſt nexus eſſentialis, & internus. Non poteſt ergo vlla forma vere dici perſe quanta. Sunt tamen hæ formæ materiales media quadam ratione quantæ, hoc eſt per accidens, puta ad quantitatem ſubiecti, cui extenſibiliter vniuntur. Quæ vero formæ à materia ita ſunt liberæ, vt per eam neque ſint, neque agant, neque definiantur vllo modo, neq; eius more in potentia ſint ad vlteriorem perfectionem, eæ ſunt perſe non quantæ, atque omnino indiuiſibiles. 2. *Phyſ.* t. 21.

Quum ergo tria præcipua ſint formarum genera; aliæ nanque ſunt merè naturales, vt formæ omnes inanimes; aliæ ſupranaturales, vt diuinæ mentes; aliæ inter has mediæ,

Loc. cit. vt animæ; Naturales formæ omnes vndique materiales, tum quia à materia in esse, ac operari dependent; tum quia non sine materia definiuntur; tum quia, more materiei, sunt subordinatæ, ac in potentia ad alias formas; non sunt perse non quantæ, sed ad quantitatem subiecti, & ipsæ fiunt dimensionum aliquomodo participes.

Formæ supernaturales vtomnino à materia liberæ, quia sunt, ac operantur, & diffiniuntur sine illius interuentu, nec in potentia existunt ad alios actus, sunt penitus indiuisibiles, atque perse non quantæ.

At vero animarum genus, vt pote mediam naturam habens vtriusque extremi participem, partim est materiale, ideoque aliqua ratione quantum; partim immateriale, ac idcirco perse non quantum; nam sicuti formæ elementorum, ac mistorum omnium inanimatorum in esse, ac operari dependent à materia, non sine illa definiuntur, ac generatim subordinatæ sunt ad alios actus; forma quidem elementi ad eam, quæ est in misto, & hæc ad animam; Ita in genere animarum vegetalis, ac sentiens sunt omnino materiales; etenim à materia in esse, ac operari dependent, non sine illa definiuntur, & sunt in potentia, vegetalis quidem ad sentientem, & hæc ad intellectum; quare non sunt perse non quan-

quantæ, sed extensæ ad subiecti dimensiones.

Et veluti mentes diuinæ ita sunt à materia abstractæ, vt sine illa sint, agant, ac definiantur, nec subordinentur ad alias formas; sic in genere animarum mens nostra à materia nec in esse, nec in operatione dependet, & sine materia definitur, nec subordinatur ad vlteriorem formam; vt infra latius apparebit cum ex Aristotele, tum etiam ex Themistio; Quare mens humana est perse non quanta, & prorsum indiuisibilis, more Intellectuum superiorum, ac veluti punctus in corpore. Neque ideo dicenda est mens nostra materialis, atque in operari, dependens à materia, quia operationes eius sint circa phantasmata, quæ non sine materia; nam & Diuinæ mentes, quarum actiones sunt circa corpora tum cœlestia, tum sublunaria, quæ non sine materia, non tamen ideo materiales dici possunt, aut à materia in agendo dependentes; At de hac re suo loco fusius.

2. De gen. an. cap. 3.

3. De an. c. 23

Quum itaque anima humana contineat in se gradum vegetalem, sensitiuum, & rationalem; potest illa quidem & absolute, & quoad gradus rationis expertes, esse quanta, diuisibilis, augmentabilis, & imminuibilis per accidens, & secundum quam apud Aristotelem corpus, seu animal augetur, quod probant aduersarii, eo quia vegetalis ani-

Cap. 41. 43.

1. De gen. tex. 35.

ma, & sentiens, quum sint materiales, & proinde aliqua ratione quantæ, in hominis constitutione corpori vniuntur secundum omnes dimensiones, perinde ac spiritualis altera corporeitas, ac tanquam lumen, radiique Solis per omnem aeris dimensionẽ diffunduntur. Sed eandem animam humanam, quoad gradum intellectiuum, esse pariter quantam, ac diuisibilem, non concludunt rationes oppositæ; quippe mens nostra vt perse nõ quanta, ac prorsus indiuisibilis, in generatione hominis, seu ad constitutionem humanæ animę prædictis animabus vegetali, ac sensitrici per totam corporis quantitatem extensis adiungitur, non quidem secundum omnem illarum dimensionem, ceu spiritalior altera corporeitas (vt ita loquar) trinæ alteri dimensioni; sed tanquam punctus perse indiuisibilis trinæ dimensioni in vna tantum parte ipsius; quæ illa est sane, qua materiales animæ actuant partem corporis, non quamcunque, vt semen, sed omnium membrorum principem, quæ Platonicis, ac Medicis est cerebrum, Aristotelicis autem cor.

Anima igitur humana quum (licet ab eo aliquatenus dependeat) verum corpus non sit, sed incorporea substantia; nihilominus quasi spiritalis altera corporeitas (quod legitimo, ac vero corpori denegatur) corpori

nostro

noſtro vnitur, perinde ac lumen aëri, quantitatiue, hoc eſt, ſecundum omnem ſui dimenſionem, non quidem quoad ſui partem rationalem, quæ exiſtens per ſe non quanta nullatenus quantitatis compos reddi poteſt, ſed quoad animas materiales, quę ſolę ſunt quantitatis aliquomodo participes.

Quod itaque opponebatur, quemadmodum & anima tum vegetalis in ſtirpibus, tum ſenſitiua in brutis, & forma quęuis alia inanimata, quanta eſt per accidens, extenſaq; corpori, cuius eſt actus; quare & diuiſibilis, ac multiplicabilis ad partitionem ſubiecti, ſic anima humana, quum actus formaque ſit ſubſtantialis vegetatiuum, ſenſualem, ac intellectiuum gradum in ſe continens, plane quanta eſſe debet, ſaltem per accidens, extenſaque noſtro corpori, & ex conſequenti diuiſibilis, ac multiplicabilis ad partitionē ſubiecti, proindeque ad effuſionem ſeminis in Venereo congreſſu; licet verum eſſe poſſit de anima humana iuxta illius gradum vegetalem, pariter ac ſenſitiuum, non tamen tenet in gradu rationali, quippe ratio, humanaque mens præſtantiſſimam naturam Diuinæ ſimilem obtinet, ſupra quaſcunque alias tum animas, tum formas inanimes, immaterialem, per ſe non quantam, & indiuiſibilem omnino, quamuis forma ſit, & actus, neque

iuxta hanc partem animus noſter vel brutorum, ſtirpiumque animabus, vel inanimatis formis, vt iuxta partes materiales, vegetalem nempe ac ſenſualem, in re propoſita eſt comparandus, quod faciunt tria priora aduerſariorum argumenta.

Sed & ex his habeo, vnde diluam cætera ſupra quatuor vltima ratiocinia, diſtinctionem hanc, Anima humana eſt extenſa, quanta, augumentabilis, diminuibilis, diuiſibilis, multiplicabiliſq; per accidens iuxta gradum vegetalem, ac ſenſitiuum, qui quum ſint materiales, habent rationem corporis ſpiritalis, vt lumen, non autem penes intellectum, qui omnino abiunctus à materia, ſubit vicem puncti in corpore, nullum autem corpus diuiſibile eſt ſecundum punctum, ſed bene ſecundum dimenſiones; quia diuiſio neceſſario fit inter duo puncta, at inter quælibet duo puncta media intercedit quantitas aliqua diuiſibilis.

Quod autem in ſeptima ratione dicebatur, Proprium eſſe formarum informantium, & maxime animarū, quæ ſunt actus corporis organici, ac proinde corporis vt habet multas partes, ita dare eſſe corpori, vt illi vniantur extenſibiliter ſecundum omnem ſui dimenſionem, quare animam humanam etiam penes gradū intellectiuum, iuxta quem eſt forma

ma informans, ac tribuens esse corpori, necessario expansam esse in omnes corporis dimensiones, dupliciter, tolli potest, & primo negando simpliciter vnionem quantitatiuam cum subiecto ita esse propriam formarum informantium, vt omnibus, ac singulis formis conueniat: Neq; obest Aristoteles contra veteres, qui conscripsere philosophiam quibusdam carminibus, quæ Orphica vocabantur proprio nomine, non ꝙ ab Orpheo fuerint edita, in quibus ii dicebant mundum totum, eiusque partes singulas, quare & aërem animam habere; dū scribit quod si aër esset animatus, fieret vt anima non inesset in quacunque aëris parte, quia id non colligit Aristoteles tanquam absurdum simpliciter (vt aiunt aduersarii) sed tanquam negatum ab Autoribus carminum Orphicorum, vt suis argumentis, ac fundamentis (quamuis non absolute veris) illorum opinionem euertat. 1. De an. t 88

Deinde soluitur idem nodus dicendo Animam, & formā omnem informantem posse accipi & secundum se totam, & secundum partes eius, concedimus formam informantem secundum se totam vniri corpori extensibiliter, ac iuxta omnem illius dimensionem non tamen id etiam necessario contingit in singula eius parte, vt ipsa quoq; corpori insit quantitative, sed nihil prohibet aliquā ipsius

partem

partem vniri subiecto veluti punctus corpori; ita hominis anima secundum se tota expansa est in omnes corporis partes, quum tamen potior illius pars intellectus, tanquam punctus omnino indiuisibilis non possit toti corpori extendi, totusque esse in quauis parte corporis; alioqui saltem per accidens dimensus, ideoque diuisibilis; sed in vna tãtum corporis parte cæteris animabus adiungatur, ceu illarum actus, ac perfectio essentialis.

1. De an. t. 92 Multo minus turbat nos Aristoteles inquiens difficile esse vel fingere quam partem corporis, aut quomodo contineat intellectus; Et primo, quia per hæc non innuit Philosophus intellectũ extensum esse in omnes corporis partes; sed solum negat eundem in suis operationibus obeundis vti vlla parte corporis, tanquam instrumento, cui ideo sit alligatus; quæ iis valde consentiunt, quæ alibi scripsit actionem mentis non communicare cum actionibus corporalibus.

2. De gen. an. cap. 3. Deinde, dicimus hoc in loco inuehi Aristotelem fortasse aduersus Platonẽ, qui (si verum est quod censuit Galenus) tripartitus animi nostri essentiam, nempe in animã vegetalem, quam vocat concupiscibilem, sentientem, quam appellat irascibilem, & rationalem; non putauit ipse ex his tribus inuicem coniunctis fieri vnũ aliud, quod esset vna anima

ma humana actuans totũ corpus, ita vt secundum gradum vegetalem, & sensitiuum esset in singulis corporis partibus, ac penes omnes gradus simul esset in parte omnium principe; sed existimauit hasce animas in corpore ita distingui loco, & subiecto, vt poneret sic vegetalem, seu concupiscibilem in hepate, quod neque hæc esset in alia vlla parte, neque in iecore vllam aliam animã comitem haberet, ita statuebat sensitricem, siue irascibilem, citra vegetalem, ac mentem, esse in solo Corde; ac demũ ponebat mentem, siue interuentu irascibilis, ac vegetalis, tãtummodo in Cerebro. Id negat Aristoteles hoc in loco supponens irascibilem, atq; vegetalẽ, quia materiales existunt, vnitas esse corpori secundũ omnem sui dimensionem propterea que nullam esse partem in corpore, quæ vegetalẽ, ac sensitricem animam non habeat; ita ergo difficile erit vel fingere quam partem solus citra aliarum animarũ interuentum contineat intellectus: aut quomodo non mediantib. inferioribus animabus, si hæ insunt singulis corporis particulis. Nihil ergo contra nos habet Aristoteles dum dicimus mentem nõ esse extensam toti corpori, sed vniri priorib. animab. in vna tantũ corporis parte, quæ est omnium princeps.

Quod postea ex Hippocrate adducebatur, ipsi etiam mentem extensam esse per singulas

corpo-

corporis partes; vt qui dicat iis mẽrem ægrotare, quicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, leue est; Quia quum duplici polleat homo facultate sensitrice: altera, qua immediate percipit sensibilia in proprio organo, cuiusmodi sunt sensus particulares, visus, aditus, tactus, gustus, odoratus: altera vero, qua sentit se sentire, cuiusmodi est sensus communis appellatus ab Aristotele; Quũ autem hi sensus abinuicem re, loco, & subiecto differant; nam se habet communis ad particulares, tanquam punctus in centro ad ea, quæ sunt in circumferentia, docente Aristotele; Hinc factũ est vt lædi quilibet illorũ possit altero illæso. Quotiescunq; igitur lædatur sensus communis, hoc est, habeat suum organũ male affectum (secus enim facultates animæ ex se à morbo lædi nequeunt) sensu particulari existente illæso, tunc si occurrat extrinsecꝰ, vel intrinsecus obiectum sensibile sensui particulari, vt puta, tactui, necessario quidem illud percipietur à proprio sensu, nã sensus bene valens, in debita distantia constitutus, medioque recte disposito existente, non decipitur circa proprium obiectum; sed homo non sentiet se sentire ob vitium sensus cõmunis; Quoniam vero sensus cõmunis reipsa, aut saltem subiecto idem est cum phantasia, quæ non raro à veterib. nuncupatur

3. De an. tex. 136. & 149.

cupatur mens, & intellectu, idcirco bene scribere potuit Hippocrates quod Quicunq, dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, iis ægrotat, non sensus particularis, quia hic probe fungitur suo munere, quum doleant aliqua parte corporis: sed mens, hoc est, phantasia, siue sensus cõmunis, qui læsus ob organi indispositionem nõ facit quod est sui muneris, vt nos sentiamus nos sentire, atque dolere. Ex his clare patet quam inepte inde colligant apud Hippocratem intellectum proprie, ac potiorem partem animi nostri mentem extensam esse in singulas corporis partes, hoc etenim loco sub nomine mentis, non rationalem animæ gradum, sed phantasiam intelligit, ac sensum communem pertinentem ad gradum sensitiuum.

Quod vero in alio argumento dicebatur, si in semine, dum à mare in vterum decidit, non remaneret tota anima humana, etiam quoad gradum intellectiuum, ergo homo mediante semine generaret non hominem; quod est absurdum, & Aristoteli non consentaneum; facile tolli potest, primo quidem, quia vegetalis, ac sentiens animæ nostræ pars, quib. vna cum intellectu constituitur essentia humanæ animæ, ita est homini vtraque propria, vt specie differens à quauis alia cuiusque viuentis, conceptum solo ab homine genitum in

primo

primo quadragenario hanc vtramq; tantum habentem ſpecie quoque differre faciat ab omni planta, & ab vniuerſo irrationalium brutorum genere; quare is fœtus, licet careat intellectu, tunc etiam quadantenus homo vocari poteſt: imo reipſa eſt homo incompletus: Itaq; ſic homo quoq; hominem generat.

Lib. 28. c. 6. Sic etiam intelligenda eſt ſententia Democriti ex Plinio, In venere hominem alium ex homine exilire, nam exit à generante ſemen, quod ob participationem animæ vegetalis, ac ſentientis homini propriæ, homo & ipſum imperfectus vocari poteſt, atque inchoatus.

Deinde vero tollitur idem nodus, quia non ſolus homo apud Ariſtotelem hominem generat, vt aduerſariorum argumentum ſupponit, ſed homo, & Sol, hoc eſt, Deus Optimus, quod infra latius apparebit commodiori loco: Quum enim inter cætera generabilia fortitus ſit homo formam, ſiue animam duplicis naturæ, partim ſcilicet materialem, & corruptibilem: partim vero immaterialem, & æternam: Hinc factum eſt vt idem ad aliorum generabilium differentiam in ſui origine duplici quoque cauſa effectrice particulari, ac immediata gaudeat, materiali nempe, atque corruptibili, quæ eſt homo parens, ex materia, ſeu mediante materia vegetalem, ac ſenſitricem conceptus animam producens: & immateriali,

teriali, atque incorruptibili, Deo nimirum, qui quoque Aristoteli sub nomine Solis nulla mediante materia infundit fœtui humano immaterialem, & æternam animi nostri partem rationis participem.

Quæ autem postremo afferebatur autoritas Auerrois, & Aristotelis, nihil noui adstruit; quoniam dicere virtutes seminis esse similes arti, & intellectui, non est ponere intellectum in semine; alioqui & dicere virtutes hirundinis in nidificando, formicæ in recondendo tritico æstate ad hyemem, aranearum in texenda tela, & rete ad muscas capiendas, & Apum in fingendis alueolis, in creando, custodiendoq; rege, in præstando illi honorem, & obedientiam, esse similes arti, & intellectui, quod verum est; esset ponere mentem, ac intellectum in brutis, quod est falsum penitus; sed est ponere in semine quid simile intellectui, cuiusmodi est anima sensitrix, quæ in hoc arti, ac intellectui assimilatur, quod est capax cognitionis, licet longe alitèr; similitudo autem, vt ab identitate differat, comitem habet necessario aliquam dissimilitudinem. Et profecto per animam sensitricem, quæ cum aliqua cognitione agit, dici potuit semen, siue seminis virtutes differre à virtutibus naturalibus, vt quæ sine vlla cognitione operantur.

Adde, Auerroi virtutes seminis intellectui similes non vsuuenire ad significandum gradum animæ rationalem, quē velit esse in spermate, sed ad denotandam vim formatricem partium conceptus, quam non animam semen actuantem, sed putat esse diuinam quandam Intelligentiam ab omni corpore seiunctam, quæ in hoc solum incumbat, vt formet, efficiatque in conceptu partes, ac organa omnia futuro animali necessaria cū admirabili illa dispositione, quæ opportuna est operationibus tam variis, quales edit homo, rite obeundis; quicquid sit de hac opinione Auerrois, quam infra expendam. *Lib. 2. c. 5.*

Præterea, dicens Aristoteles sperma facere sicut quæ ab arte, id in eo sensu verificatur, non quod actiones seminis ab anima rationali in eo existente prodeant, sicuti actiones artis à mente artificis, sed (vt ea declarat ibi Aristoteles) quia sicut artifex habet potestatem producendi formam artificiosam in determinata materia, & cognoscit ea, quæ facit, ita semen potestatem habet gignendi formam substantialem in conceptu apud Aristotelem, & fortasse quæ in eo est anima non sine cognitione operatur, quod monstrabitur posterius; ex quo fit, vt sperma sit quodammodo vniuocum, quia scilicet non quamcunq; formam impertit ipsi conceptui, sed illam, quæ *7. Met. t. 31.*

est

est eiusdem speciei cum ea, quam retinet, quę Aristoteli rationalis non est, nec vegetalis sola, sed sensitiua, vt inferius demonstrabitur. Non ergo tota essentia animæ humanæ ortum ducit à Parentibus, quod statuunt autores secundæ Sectæ. 2. De gen. an. cap 3. & 4.

Cap. XVI.

Recensetur opinio asserentium vegetalem, ac sensitricem animæ nostræ partem genitam esse, dum essemus in vtero, ab anima materna sibi similem animam quoad gradus irrationales generante in humano conceptu.

IIs iam confutatis opinionibus, quæ tum à superis tantummodo, tum à solis parentibus animam humanam secundum omnem sui partem oriri contendunt. Postremã nunc aggrediamur sectam omnium ampliſſimam, quinque præcipuis opinionib. confirmantem animam humanã partim à Deo, partim à Parentibus ortum ducere, quæ quum in hoc omnes conueniant, vt arbitrentur potiorem animi nostri partẽ rationalem proxime à Deo creari discrepant inter se tamen de animę partib. irrationalibus; Nam alii tum sensitricem, tum vegetalem animam fœtui à Matre communicari volunt, horumq; multi hoc fieri dicunt anima materna aliam sibi similem, quoad gradus irrationales, generante in fœtu;

Pleriquevero eadem numero anima matern
seipsam communicante, extendenteque ips
conceptui, qui in vtero degit, eodem prorsu
modo, quo in augmentatione anima præexi
stens in membris animalis, quod augetur, ea
dem numero permanens expanditur, cõmu
nicaturque adiunctæ materiei ex alimentis
Alii autẽ has ambas à Patre generari censen
mediante semine, multi quidẽ moto, rectoq
more instrumenti à Patre tanquam ab agente
principali, nonnulli vero proxime, ac imme
diate generante animã fœtus beneficio eius
quam ab eo nactum est, vnde effluxit; Alii de
mum aiunt hasce animi nostri partes morta
les partim à matre, partim à patre ortum ha
bere, ab illa quidem vegetalem, ab hoc autem
sensualem animam in conceptu produci exi
stimantes. Singulas expensuri primam huius
sectæ opinionem aggrediamur.

Pleriquæ sunt, vt obseruabamus, qui in
humano conceptu ante quadragesimã diem,
hoc est ante aduentũ animæ rationalis, quam
in eo reperiri aiunt animam cum sentien
tem, tum vegetalem; hanc non à patre ortam,
sed à matris anima genitam esse contendunt
multiplici ratione, & primo quidem; quia,
quum naturalissimum sit agentium physico
rum generare sibi simile in specie tum essen
tiali, quæ substantialis forma dicitur, necessa
rio;

io;tum accidentali, quæ est corporis figura, frequentissime: profecto, si quod fœtui animam indit agens naturale esset pater, vel paternum sperma,non autem mater,omnis fœtus,quare & is, qui ex parentibus diuersarum specierũ gignitur, patri quidem vel in omnibus. vel in pluribus, iisque essentialibus necessario esset similis, matri vero vel in nullis, vel in minimis, iisq; accidentalibus tantummodo;At vero mulus ex equo & asina,vel asino & equa satus, in omnibus non assimilatur patri, sed multa etiam habet,quibus matrem referat; Quinimo dum asinus equam impleuerit, qui inde mulus oritur, idcirco animam à patre sortiri non potuit; quippe muli natura longe perfectior est asinina; nihil vero potest quid seipso præstantius generare; quando nullum agens vltra suas vires operatur.

Adde mulas ex equo, vel asino impletas quandoq; peperisse,nõ equum,neq; asinum, sed mulũ; qui vt sensu matrem in omnib. accidentalib.formis,non autem patrem referre conspicitur, ita ratione illum in essentialibus eandem quoque repræsentare probabile est.

Amplius,ex Plinio constat in Lusitania circa Vlyxipponem oppidum & Tagum amnem equas Fauonio flante obuersas animalem cõcipere spiritum, idque partum fieri, & gigni *Lib.8.c.42.*

perniciſſimum ita, ſed triennium vitæ non excedere, huic profecto ex patre anima deſtituto animam ineſſe conceptui, non autem ex matre animata, nemo affirmauerit.

Inſuper quid rei huius teſtimonium deſideratur, quãdo ex hiſtoriis noſtris haberi poteſt Attilam Hunnorum Regem Italis flagellum Dei appellatum, & Romæ anno Pont. Alex. Semicanem genitum, ſatumq; fuiſſe ex muliere, & Cane? huius autem ſignum euidentiſſimum creditur illud extare, quod riſum rex ille edere non poſſet niſi leui præmiſſo latratu; Attilam autem hunc, & figurã humanam in corpore habuiſſe, & anima itidem humana conſtaſſe, nulli dubium eſſe debet, quum illud ſenſibus apertum fuerit, hoc autem intellectui, qui eum actiones omnes hominibus conſuetas proprie edidiſſe cognouit; quare, & anima humana conſtaſſe, vnde illæ prodeunt.

Langi. Epiſt. med. li. 2. c. 9.

Sed quid taceam ſimile huic exemplum Minotauri ex Paſyphe Cretenſium Regina bubulum concubitum experta generati, qui matrem & in corporis medietate, vt patrem in reliqua, & in toto animo, quo pollebat humano, vltra patrem æmulabatur?

Fœtus igitur in vtero non à patre, ſed à matre ipſa vitam ſortitur, & animam cum vegetalem, tum ſentientem.

Id

Id quod vel certo monstratur ex Aristotele, qui alicubi scriptum reliquit mures si salem lambant impleri sine coitu. Addé Aristotelem alibi tum dicentem auibus & piscibus partum consistere sine coitu; tum admittentem fœminas parere præter incubitum dum scribit fœminas, quæ non incubant à partu deterius affici; tum demõstrantem in genere piscium Channas, & Erithinos, siue rubros, vel quos vocant rubelliones, absque maribus propagare, ea ratione, quia nullus in eo genere mas adhuc visus sit, sed omnes fœminæ, eæque fœtu plenæ capiantur. Quum autem quod euenit in generatione brutorum, circa productionem animarum ratione carẽtium, verisimile sit quoque contingere in generatione hominis proportionabiliter, ex his patere potest animas mortales humano fœtui non indi nisi à Matre. Hæcilli.

6 Hist. c. vlt.

2. De gen. an. cap. 1. 7. & 10.

3. De gen. an. c. 2.

2. De gen. an. c. 4.

Cap. XVII.

Ponderatur dicta opinio, & ostenditur ab anima materna nullo modo posse generari animas mortales fœtus in vtero degentis.

Et sane nihilo firmiora quam superiores tuentur q̃ sic opinãtur; Necesse est siquidẽ illos vel cũ Aristotele arbitrari seminis substantiam non permanere partẽ in conceptu, cui sanguis tantũmodo menstruus (q̃ omnes

2. De gen. an. cap. 3.

partes fœtus in potestate gerit (cuiusvis ille sexus extiterit) decentem submini-strare materiam queat; verum inde cogerentur asserere fœminam posse concipere absque maris interuentu; etenim sic in fœmina principium conceptus haberetur materiale simul, & efficiens; Ita ergo masculꝰ esset superuacaneus in rerum natura, quum nō alio nomine creauerit homines Natura masculum & fœminam, quā propter generationem, sed huic illud obstat in Philosophia vulgatissimum, Naturam non redundare in superfluis, Deumq; & Naturam nihil frustra facere; Vel potius cū Galeno, & Medicis existimare fœtui necessariam esse seminis corpulentiam, ex qua partes animalis albæ, ab illis propterea spermaticæ nuncupatæ, generari valeant, sed ita masculum conceptui solam impertiri materiam, fœminam vero eidem imprimere formā existimarent; ꝙ sane, licet falsum magis existat, quam dignū vt in eo refellendo diutius commoremur; Illud tamen adnotabimus ab hinc eos iterum vel inuitos, masculum non esse necessarium fœminæ ad concipiendum, asserturos, quando mulieres vltra menstruum sanguinem (testimonio Medicorum, & sensuum in anatome) proprium quoq; obtinent sperma album pariter, & crassum, & si tantum albedinis & crassitiei, imo & vigoris nactum

nactum non fuerit, quantum virile; quocirca dignum illud Aristoteles non existimat quod seminis nomine vniuoce vocetur cum masculeo, quod & Albertus adnotat. Id itaque muliebre semen sufficiens quum sit materiale principium pro generatione albarum partium corpori humano necessariarum; cæterarum vero menstruus sanguis: quid prohibere potest fæminam generandi fætus principium effectiuum simul, & materiale in se habentem, ad concipiendum non egere actione maris? 9. *De animal. cap.* 3.

Nam ob id asserere ad conceptum opus esse & genitura maris, quia semen in fæmina longe parcius existat, quam satis sit, ex quo tot, quot in humano corpore requiruntur, albæ partes procreari valeant, Dissimulantis est animi summam, admirabilemque Parentis rerum Naturæ vim, & prouidentiam, qua sensu vel ipso videmus in stirpibus exiguam vnius seminis corpulentiam ad vastam grandioris arboris molem propagandam sufficere; Si enim vegetalis plantarum anima in terra ex tantulo grano fici potest magnam arborem procreare; quum vegetalis animæ gradus, quo pollet humana natura, longe perfectior existat quacunque anima vegetali stirpes, aut quoduis aliud animatorum genus animante; quumque quicquid potest virtus inferior,

valeat multo melius efficere superior; quanto magis animæ quiuis gradus in homine ex parua seminis portione partes omnes albas pusilli fœtus in vtero degentis generare poterit?

Præterea quod solet sensus ipse fidem facere non paucas fœminas (vt quæ coeuntes magnam genituræ copiam, non modo in vterum, sed & extra illum effundunt) tanto redundare semine, quanto ad tale magisterium, nempe ad spermaticarum animalis partium constitutionem, opus esset.

Idipsum confirmat ratio cum in brutis, tum in mulieribus; si enim (quod sensui liquet) ouа subuentanea, quæ à fœmina parta sunt absque maris auxilio, nihilominus magna, & plena atque illa, quæ sunt aspersa semine maris; profecto hæc vitalia non sunt, non quia fœmina citra marem suggerere nequeat sufficientem materiam pro constituendo corpore fœtus, vt aiunt aduersarii; sed quia conceptus non aliunde quam à patre vitam sortitur, & animam.

Si præterea mulieres aliquæ tanto abundant semine, ex quo cum illius quoque interuentu, quod in vnico congressu à masculo suscepere duorum, imo quatuor, & plurium (quos concipere simul nõ raro contigit vnicæ mulieri, Alberti, & Aristotelis testimonio, vt mi-

9. *De animal cap. 5.*
7. *Hist. cap. 4.*

vt mirabilia recentiorum fileam) fœtuum partes omnes albæ producantur; ex eodem plane fœmineo semine, absque interuentu genituræ virilis (cuius sane exiguam quantitatem vnico initu mas in fœminam immittit) vnius saltem conceptus partes albas vniuersas oriri posse valde probabile esse debet.

Atque huius rationis vis adhuc magis conspicua est in animalibus brutis, quorum & suem viginti porcellos vnico partu edere pluries visum est: & mures (mirum dictu) vno itidem partu viginti supra centum fœtus peperisse aliquando experientia compertum esse scribit Aristoteles; Quis ergo in his neget fæminam tanto abundare semine, quanto vel ad vnum constituendum conceptum opus esset; proindeque illam ad concipiendum non egere pessura maris, si ipsa est illud agens, quod fœtui vitam impertit, & animam? *6. Hist. c. vlt.*

Multo minus veritatem assequuntur hac in re dicentes masculi opus necessarium esse ad conceptum, quoniam concipere non potest mulier, nisi proprium semẽ vna cum sanguine menstruo in vterum effundat; id quod ipsa non præstabit, nisi apertis osculis vasorum, quæ semen tale, ac menstruum continentia terminantur in vteri ceruicem; horum autem vasorum oscula reserari solent actione maris, q̃ suo semine tales vteri partes,

in quas

in quas vasa ista terminantur, humectet; quo humore partes illæ perfusæ flocciditatẽ contrahunt, facilioremque extensibilitatem; hinc prona redduntur, quæ in eis infixa desinunt vasa vt à calore, cuius munus est rarefacere, ac dilatare, qui à motu oritur, & petulanti affrictu facto à marẽ in eis locis, aperiantur; In primis enim falso, & gratis assumunt vasa mulieris spermatica ab earum testibus semen in venere ad vterum deferentia, eiaculatoria nuncupata, in vteri collum desinere, ac implantari: Neq; obstat quod obseruatur à Laurentio in anatome vtrinque ad latera ceruicis vteri ramulum quendam ab eiaculatoriis venis iuxta testium regionem ortum habentem protendi, ac disseminari, quia tam exigua sunt vasa ista, vt plane sufficientem vnico fœtui materiam seminalem impertiri nequeant, Nisi fortasse dicas ea esse vsui mulieribus ad coitum, & in eo voluptatẽ repetendam, grauiditatis tempore, quo vera spermatis vasa eiaculatoria, quæ in vteri cauitatem figuntur, ab embryone obturata semen effundere non possunt.

Lib. 7. cap. 9.

Quare non ab re dixeris, vbi mulierem superfœtare contigerit, ideo illam superfœtatũ conceptum non posse complere, atque perficere ad vitam; quia tantum ex illis ramulis venarum seminalium ad vteri collum descenden-

dentibus (qui soli, aliis dicta de caussa occlusis, effundere valent mulieris genituram ad superfætationem) non effluit humoris, quantum satis esset pro alimento seminis virilis (vt medicorum phrasi vtar) ad constitutionem, & incrementum secundi conceptus.

Atque huc tendunt sine dubio illa, quæ alicubi scripsit Aristoteles, *Solam animalium mulierem, & equam grauidam coitum pati, etiam ad superfætationem, quam tamen fere nunquam perficiunt: quippe homo sua natura prafœcundum animal est, in cuius vtero tempore prægnationis aliquid etiam, tum spacij, tum excrementi*, hoc est, muliebris genituræ, *supereſt, quanquam non tantum, vt vel alterum possit alere superfœtatum conceptum.* Sed hæc obiter dicta sint. 4 *De gen. an. cap. 5.*

Nam satis est ad euertendum aduersariorum refugium, obseruasse venas, quæ à testibus genituram fœminæ ad vterum deferre solent ordinarie, ac fere semper ex instituto Naturæ non ad vteri ceruicem, sed ad ipsius fundum terminari eo prorsum loco, vbi sunt cornua matricis appellata, & quę ad vteri ceruicem terminantur semen non emittere, nisi in ea venere, quæ exercetur tempore grauiditatis: quippe tunc solum tument, quum in non prægnantibus sint admodum exiguæ, vt fere sensum fugiant.

Deinde, ita dicentes confiteri oportet, fœmi-

minam concepturam ſuum ſemen ſemper, & menſtruum eiaculari in actu concubitus, ſimul tempore cum maſculo; vel ſaltem paulo poſtea; quod quidem, quantum pertinet ad menſtruum, falſum eſt omnino; quia, quum vaſa menſtrui quædam in vteri ceruicem diſſeminentur, ac deſinant: ſi profecto inde in coitu ſanguis emanaret, cruentã mas omnem venerem experiretur: quod non reſpondere ipſi experientiæ coniugati aſſerunt.

Quantum vero ad ſperma ſpectat, etſi frequenter contingat mulieres concepturas genituram ſuam emittere vna cum mare, vel paulo poſt: id tamen perpetuum non eſt, ac neceſſarium; mulieres nanque aliquas concepiſſe non ſemel eſt obſeruatum, quæ ſemen dum coirent, nec ſimul, nec poſtea, ſed antequam vir ſuum ſperma eiacularet, effuderũt; quinimo aliæ pariter ſe vtero geſtaſſe confeſſę ſunt abſq; eo quod in coitu ſemen emiſerint vllum: harumque nonnullæ id poſtea vnius, vel alterius diei interſtitio: quædam vero nuſquam poſtea in vterum promanare ſenſiſſe protulerunt: ſed vt mulierem ſine proprii ſeminis interuentu concipere probabile non eſt: ita haſce à concubitu effuſionem ſeminis non ſentientes, dum ſomno poſtea occumberent genituram emiſiſſe, veriſimile eſt.

Amplius, dato etiam fœminam concepturam

pturam ea ratione, qua dicunt aduersarii, eiaculare semen, & menstruum in actu veneris: non profecto opus esset masculo ad conceptum; nam mulier ex seipsa potest arte in ista loca inducere similem calorem, & humorem, quibus vasa illa recludantur, atque ita mare vel neglecto concipere.

Adde aduersarios doctrinæ Aristoteleæ tantum fidei non adhibere, quantum profitentur, dum pro hnius quæsiti solutione ea non afferunt, quæ ipse, inquiens ad concipiendum mulieri opus esse mare, quoniam conceptui à mare inest anima sentiens, quam fœmina procreare nequit: qua de re postea fusius. 2. De gen. an. cap. 4.

Præterea omnem vim effectricem in generatione fœtus hi sic fœminæ adscribentes masculorum generationem destruunt omnino: Quum enim nihil vltra suas vires agat; proindeque quidquam non gignat aliud seipso præstantius: Quumque fœminam, vel Aristoteli, masculus multa perfectione superet: si profecto generandi vis soli fœminæ tota inesset nullus vnquam masculus nasceretur inter homines: quo quid absurdius? 1. Phys. te. 81. 2. De gen. an. cap. 3.

Tandem isti dum in generatione fœtus vim effectricẽ semini masculeo intercipiẽtes eam vniuersam fœminæ conciliant, simul & omnem rationem tollunt, tum cur filii patri potius quam matri, vel alteri cuiuis oriantur similes;

similes: tum cur oua orta sine actione maris, quæ subuentanea vulgo nuncupantur, prolifica non sint, atque vitalia: Si enim fœmina in ouo in se genito absque interuentu masculi animam generare posset cum vegetalem, tum sentientem ad quas est suapte natura in potestate; quamobrem id tale ouum, quod materiale principium sufficienter suppeditat futuro, gignendoque animali, vitale non sit, atque prolificum, nequaquam apparet; naturale nanque agens non impeditum, & appropinquatum passo bene disposito, in ipsum, quam suopte ingenio edere valet, operationem necessario emoliri, sic vulgatum est inter Philosophos, vt notum iis quoque sit, qui vel primis labris doctrinam gustauerint Peripatheticam.

Concludendum est igitur non esse satis firmam, nec tutam illorum opinionem qui existimant hoc modo partes animæ humanæ rationis expertes (vegetatiuam scilicet, ac sensitiuam) generari ab anima materna sibi similem, quoad gradus ratione vacantes, generante in embryone.

CAP. XVIII.

Tolluntur argumenta obiecta, ostendendo tum in quibus fœtus possint assimilari Patri, ac Matri: tum quomodo non semper agentia physica generent sibi simile: tum in omni generatione

tione viuentium esse distinctionem sexus, tum Plantas omnes maris naturam habere, quarū fœmina communis est terra.

VErum neque ideo subscribendum est huic opinioni, quia ipsa non plane firmis fundamentis fulciunt, qui eam tenent: Quod enim obiiciunt, si fœtui à Patre anima inesset, non a matre; igitur ex Parentibus diuersarū specierum satus necessario patri quidem vel in omnibus, vel in pluribus, iisque essentialibus esset similis: matri vero vel in nullis, vel in paucis, iisque accidentalibus, sed hoc refellit experientia: ergo & illud ratio: solutu non est difficile illud in memoriam reuocanti tria præcipue in conceptu iam in lucem edito reperiri: formam substātialem, qua est, id quod est; materiam, ex qua constituitur; accidentia, quibus ornatur, & pollet; atque hæc rursum triplici differentia contineri, nam accidentiū alia necessario, perpetuoque in fœtu reperiūtur ita quod in alio dari non possint; hæc sunt quæ sub nomine proprii circumferuntur accidentia, vt in homine admiratio, & risibilitas; in equo hinnibilitas; alia quidem non necessario, ac semper, sed vt plurimum sunt ingenito, vt in homine rectitudo, talis structura corporis, huiusmodi faciei lineamenta: in brutis pariter talis partium ad totum corpus

proportio, animæ affectus, ac propensiones: alia demum sunt in sobole accidentia, quæ nec semper, nec vt plurimum, sed modo insunt, modo non insunt subiecto, vt colores, quantitatis moles tanta, vel tanta, cicatrices, & similia, quæ sane accidentia tanto a se inuicem quum distent interuallo, non poterunt profecto cuncta ab eadē causſa similiter proficiſci: ideoque ab re non erit si primi generis accidentia dixerimus, non a materia, quę in continuo fluxu versatur, sed à forma prodire, quæ semper est eadem: at accidentia secundi modi retulerimus in formam quidem, sed prout huic, vel illi materiei adiuncta est: tertiæ tandem speciei accidentia ad materiam relegauerimus, quæ nunquam pariter in eodem statu permanet: quippe orta suorū principiorum naturam referre debent.

Ex his plane habetur illum, qui conceptui dat formam, necessario eidem impertiri, & accidentia illa propria primi generis: qui vero materiam, postremo narrata: & vtrumque medio loco posita, quæ vt plurimum insunt subiecto.

Neque prætereundum est cuique agenti physico naturalissimum esse generare sibi simile hoc pacto, vt vbi agens debile, aut impeditum sit in opere, quid seipso imperfectius, sibique ideo dissimile producit: hac enim ratio-

tione Natura masculum semper intendens, apud Aristotelem, vbi infirma, vel impedita illum producere nequit, ad fœminam constituendam se transfert, quæ mas est imperfectus: ita vbi agens robustum sit, & non impediatur, quemadmodum ex se sibi vndequaq; similem partum progignit: sic etiam vbi ab altiori, præstantioriq; natura regatur, adiuueturq;, quid seipso perfectius generare potest, ideoq; sibi dissimile. 2. De gen. an. c. 3. 4. De gen. an. c. 6.

Nos igitur si dicamus conceptui materiam quidem præcipue à matre, formam vero à semine paterno, seu à patre ipso impertiri, adiuto tamen, fotoq; ab anima, & calore matris: ex hoc solvere poterimus rationem obiectam, & primo: Quia fœtus referre potest vtrunque genitorem: siquidem conceptus sortitur formam, & animam à semine virili, seu à patre tanquam ab agente principali: à matre vero tanquam ab adiuuante: materiam autem, & corpus nanciscitur pariter à matre plurimum, à semine vero paterno reliquum.

Deinde speciatim in sobole orta ex diuersis speciebus, dicimus mulum in accidentalibus vtrunque parentem repræsentare, in essentialibus autem neutrum: quia rationi cõsentaneum est, dum equus asinam implet, equinum semẽ impeditum ab indispositione

subiecti (quippe materia asinina omnino tales non habet præparationes, quæ conueniũt subiecto recepturo formam equi nobilioré) & imbecillum, quia destituitur auxilio sufficienti, quo indigeret à calore, & anima fœminæ ad procreandam animam equinam; necessario producit quid seipso imperfectius muli genus, matre vero nobilius; quia materia fœminę admista semini paterno, indę quasi supra se elata aliquanto se ipsa perfectior effecta est, & idoneum mulinę animæ (vt ita dicam) receptaculum.

Si dum asinus equam presserit, semen asselli, quam ex sé non posset, adiutum, fotumque ab anima, & equæ calore, quasi supra sui naturam elatum, animam muli generat sua ipsa perfectiorem.

6. *Hist. c.* 24. 36. *Lib.* 8. *ca.* 44. Non secus, vbi contigerit mulam impleri, quod & Aristoteli quam rarissimum, & ipsi vel Plinio est portentum; non mulus, sed ginnus orietur: Nam quæ in Cappadocia, & Syria super Phœnicem mulæ & coeunt, & pariunt omnes, apud Aristotelem, ac Plinium genetis cuiusdã proprii sunt, ac diuersi à vulgaribus, quæ ex diuersarum specierum parẽtibus oriuntur mulæ, quamuis eis sint valde similes.

Reliqua vero, quæ subdunt aduersarii de equis Fauonio vento impletis, de Attila Hunnorum

norum Rege,& aliis exemplis,sunt fabulæ,vt viri doctissimi arbitrantur. Sed aliter etiam mihi liceat illis occurrere.

Fert Lusitania, vt omnis etiam Hispaniæ regio,animantia vniuersa calidioris temperamenti;eo quia sub calidiori cœlo prope Zodiacum est sita;quę igitur ibi degunt equę receptum semen ab aliquo alio animante cogeneæ naturę,si non ab equo,clãdestine (qui mos est plurium brutorum, præsertim Elephanti apud Aristotelem)suo,quo pollent intensiori, calore adurerent, absumerentque penitus , nisi tepidiori aura Fauonii tantus illarum vteri æstus temperaretur ad sobolem propagandam;quę plane & leuissima,seu velocissima est,&breuis durationis;quoniam à temperamento calidissimo ob leuitatem pernicitas,seu velocitas; ob citam humidi radicalis consumptionem vitę breuitas proficiscitur: quemadmodum à frigidiori temperie ob grauitatem tarditas,& segnities:ac ob exiguam, & lentam substantifici humoris absumptionem vitę longitudo emergit.

Sed cachinnus ille latratum referens in Attila Rege, corporis potius, vultusque, ac faucium structurę , & animi etiam feritatis, quam caninæ originis argumentum prębet: nam & hominum aliquorum risum si aduertas,non raro senties,qui tibi primum nescio

quem latratui similem auribus tonum videbuntur insonare.

Quod autem à Langio scribitur nobis nõ obest concedentibus mulierem ex cane peperisse semicanem, non hominem, quasi tertiam quandam speciem ab vtroque parente dissimilem, vt ex equo & asina mulus oritur.

Porro de Minotauro illo fabuloso quid habent, quo ipsum humana potius, quam bubula forma pollere demonstrent: quando is aliter, loco materni eloquii, paternis vbique impleret mugitibus auras?

Quinimo an experimento compertum non habemus mulieres aliquas ex viro peperisse monstra, quibus caput, vel pedes erant canini, caprini, vel aliorum brutorum, reliquo humano existente corpore?

Sed si ille Minotaurus est tertia quædam species ex humana, & bubula; perinde ac mulus tertia species est ex equina, & asinina: vt nuper de mulis, ita de Minotauro nunc dicere possumus, semen taurinum à mulieris anima, & caliditate naturali supra sui naturam elatum quid seipso perfectius edere potuisse.

Nihilo firmius est argumentum de muribus, auibus, & piscibus quos vt Aristoteles non ex seipso, sed ex aliorum dictis referens ait, si salem lambant impleri sine coitu, & eis par-

partum consistere sine coitu: ita quia tales autores non laudat, illis ipsum non consensisse omnino est arbitrandum: ideoque & nos, nisi vrgeant magis, eis haud subscribemus.

Nihil ergo contra nos aduersariorum ratio: Imo eam sic nobis licet ad hominem retorquere maiori cum efficacia dicendo quod fœtus ex diuersarum specierum parentibus ortus in omnibus fere, ac præsertim in essentialibus patrem repræsentat, in nullis vero, vel saltem non in essentialibus, matrem refert: Ergo fœtus animam, sui partem essentialem, à patre nanciscitur, non autem à matre. Antecedens confirmari potest multipli- 2. de gen. an. ci autoritate: nam & ipse Aristoteles fatetur c. 5. aliquando in India ex cane, & bellua quadam alterius generis, sed simili, oriri canes patrem semper in omnibus referentes: Et Lib. 8. c. 44. Plinius ex asina domestica, & asino Syluestri, qui Onager dicitur, non asinos domesticos, sed onagros generari scribit: Et inter vulgares nostri temporis Speronius mulierem peperisse serpentes aliquando pro vera historia affirmare non dubitauit: hosce tamen fœtus vt in vtero ex semine concipi nullo pacto crediderim: ita è cœnoso illo sanguine menstruo, qui sępe venenatã naturam habẽs canes eum lingentes enecat, per putredinem in vtero gigni affirmauerim, non secus ac tũ

lumbrici, ac vermes in inteſtinis ex putri excremeutorum colluuie generari ſolent, atq; aluo excludi: tum mola nuncupata ex menſtruo ſanguine puriori, ſola fortaſſe quantita-
10. *Hiſt. c. 9.* te peccante, citra putredinem procreatur, ac tandem mingitur, ſeu paritur ſponte, vel potius arte extrahitur: Adde Valerium Maximũ
Lib. 1. c. 6. retuliſſe in exercitu Xerxis equam, non ſibi ſimilem, ſed leporem partu edidiſſe: Hunc tamen vt ex equo patre ſatum fuiſſe fœtum probabile non eſt: ita leporem eo ſecuritatis, & audacię deueniſſe, vt cum equa coiret, veritatem non redolet: Id ergo eſto vel portentum ſupra naturę limites, vel figmentum potius.

3. *De gen. an. c. 2.* Quod autem ex Ariſtotele afferebatur animalium fœminas, quę non incubant, à partu deterius affici: veluti eſt in gręco codice, quem male vertit Gaza traducens, quamobrem & ab incubitu laborant in prole nutrienda, à partu vero deterius afficiuntur, quaſi priuatę aliquo ſibi natiuo geſtamine: neque interpretatur bene, neque ſuffragatur aduerſatiis, qui nomen (incubitus) hoc loco ſignificare putant idem, quod & coitus, tum quia male diceret Ariſtoteles fœminas incubare, quum in coitu ſint ſicubę, incubent autem mares, & pręſertim in brutis, de quibus eo loco mentio eſt Ariſtoteli, tum quia Philoſophus

phus ibi (vt alibi quoque) dicens, incubitu auium fœtum excludi naturæ ratio est, non tamen ita solum oua aperiuntur, &c. satis aperte videtur vti nomine incubitus in suo significatu proprio, quod est cubare super ouum: loquens enim de cura & diligentia parentum erga prolem, hæc habet: *Tum etiam natura attendere videtur, vt sensum prouidum curamq; diligentem erga prolem parentes habeant: sed in genere deteriore hoc facit, quousq; pariant: in alijs quibusdam etiam, donec perficiant: prudentioribus vero plus curæ mandatur, vt etiam enutriant: postremo ijs, quæ prudentia iam maxime prædita sunt, consuetudo, amor, & charitas in prolem etiam adultam seruatur, vt homini, & quadrupedum nonnullis: auibus cura, donec pariant, & enutriant: quamobrem*, ait cum Græco codice antiquus interpres, *fœminæ, quæ non incubant, à partu deterius afficiuntur:* quasi dicat Aristoteles, inter aues, quæ contra communem auium naturam & consuetudinem non incubant fouentes oua, quæ pepererunt, id præstant, quia ob difficilem ac doloroſum partum propriam prolem odio habent, tanquam à qua in ea edenda male se habuerunt; ita canes multi & feles, quos primo enixu pariunt, fœtus omnes prę nimio dolore in pariendo furentes, crudelius interimunt. Diuersum, ac planiorem sensum habet lectio Gazæ, sed falsum, vt cuique patere po- 6. hist. c. 2.

est: nam fœminæ omnes à coitu nutriunt quidem prolem, quam in vtero habent, sed non laborant in ea nutrienda.

Quod autem postremo probabant de mẽte Aristotelis rubros, siue rubelliones, seu Erithinos & Channas matres, quæ in piscium genere absq; interuentu masculi sobolẽ procreare vidẽtur, suis fœtibus vitam & animam ex se indere, tenui plane fundamento innititur: id etenim primo loco Aristoteli suspectũ est, in eo genere pisces esse fœminas omnes, ac sine marium ministerio concipere, prolemq; generare: sed vbi id verũ fuerit in hoc, vel in alio quouis genere animalium, fœminas non distingui à maribus; illud tamen certum est, ex eo non colligi, animam fœtui potius à matre, quam à patre conciliari; quia quum idem animal sit promiscue mas & fœmina simul; ideo vtriusq; sexus officiis fungitur, & patris, & matris: ita ergo idipsum, quatenus fœmina est, concipit, conceptum nutrit, vtero gerit, ac tandem parit, munera matris obeũdo; at quatenus est masculus, cõceptui formã indit, atq; animam sui generis.

2. de gen. an. cap. 4.

Tale aliquid iampridem suspicatus sum euenire in vniuerso stirpium genere, ratus, in plantis non esse distinctionẽ sexus, sed vnamquamq; promiscue nasci & marẽ & fœminã, quod aliquando sensisse videtur Aristoteles.

1. de gen. an. cap. vlt.

Cæte-

Cæterum, quum viderim ſtirpes intra ſe non concipere, conceptum nullum aut vtero gerere, aut parere, more aliarum fœminarum, ſed maris ſolummodo fungi muneribus, ſua quæque generis ſemina matura, & prolifica eiaculando in gremium terræ, quæ quum matris ac fœminę vices obeat erga ſtirpes, ab eis deciſa ſemina quaſi intra vterum recipiendo, receptaque amplectendo, foueńdoque, ac fota quaſi concepta nutriendo, indeq; debito tempore ceu partus proprios in lucem edendo; conatus fui mutare ſententiam, opinando ſtirpes omnes ſigillatim eſſe naturæ maſculinæ, terram vero (& ipſo Ariſtotele atteſtante) communem omnium plantarum fœminam ac matrem: Neque obeſt, quod aliquæ ſtirpes nullum ſemen emittant; nam & in animalium genere multi mares ſunt natura infœcundi, vt muli: Multo minus obſtat, quod terra ſit diuerſi generis à ſtirpium natura; quoniam ſimiliter in animalibus mares cum fœminis diuerſi generis coeunt, & generant, vt aſinus cum equa, & viciſſim equus cum aſina, ex quibus muli oriuntur. Atque vti plantis orientibus animam ineſſe clarum eſt, non à matre, vt quæ terra eſt, ex ſe inanimata, ſed à paterno ſemine; ita plane & in mulis, & huius exemplo in alio quouis animantium genere id contingere

2. de gen. an. cap. 4.

gere putandum est, vt fœtus non à matre, sed à patre vbiq; formam & animam acquirant. Sed ad pensum.

Verum cur etiam in Erithinis, Channis, rubellionibus, & si qui alii eiuscemodi sunt pisces, mares esse non credamus? non enim perpetuum illud est, semper vtero gerentes conspici, sed eos frequenter est videre, non fœtos. Vbi autem prægnantes omnes visuntur, cur id in hoc piscium genere fieri non potest, quod feris quoque omnibus aut plurimis ex terrestrium genere in more positum esse, scribit Aristoteles? nempe segregari à fœminis mares, & seorsum pascere, ac nunquam ad commune pascuum conuenire, nisi quum tempus est coeundi; quod obseruat alicubi excellentissimus Medicorum nostræ ac superioris tempestatis Ioannes Costæus, præceptor noster, vir ea in omnibus rebus sapientia & prudentia insignis, cui nullus alius mihi sese offert comparandus, nisi Philosophorum omnium decus & ornamentum Federicus Pendasius, vir inter omnes doctrina pariter, ac pietate spectabilis; quibus non solum plurimum debeo, quia quicquid in Philosophia ac Medicina profeci, id totum eis præcipue acceptum refero: verum etiam, quia Bononiæ, vbi eminentissime hic Philosophiam, ille Medicinam profitebatur, iis ita fami-

1. hist. c. 18.

5. disquisition. physiolog.

familiaris extiti, vt per quadriennium vnius, alterius vero per biennium continuus alumnus, discipulus fuerim, & conuictor.

Cap. XIX.

Septima opinio Portij, & aliorum dicentium, fœtum in vtero primis quadraginta diebus viuere beneficio animæ maternæ, tanquam partem ac fructum corporis materni: in partu vero fœtui animam remanere sibi communicatam à materna diuisa penes gradus mortales ad partitionem subiecti.

At vero (vt cæteras opiniones prosequamur) alii plærique, inter quos Portius, arbitrantur ante aduentum animæ intellectricis, quam solam à Deo prodire opinantur, sed diuersimode ac Portius, Embryonem in vtero anima sibi propria, quæ diuersa sit à materna, gaudere nolunt; vt qui existiment, fœtum, dum in vtero permanet, ante adeptionem intellectus, hoc est, toto primo quadragenario, eadem prorsus anima viuere, qua mater ipsa viuit, ceu matris alia membra, his præcipue ducti rationibus, quia fœtus est fructus matris: ergo quemadmodum se habet fructus ad arborem, ita sese habere debet fœtus ad matrem: quum ergo fructus, dum arbori adhæret, eadem prorsus anima viuat,

qua

qua & ipſamet arbor; neceſſario aſſerendum eſt, fœtum in vtero, antequam polleat virtute intellectiua, toto primo quadragenario eiuſdem prorſum animæ beneficio viuere, qua & mater ipſa viuere dicitur.

Deinde, eadem prorſus anima quicunque viuit, qua quiſque nutritur, eademque nutritur, qua ſibi ad nutritionem alimentum concoquit: ſed fœtus in vtero animę maternę beneficio ſibi ad nutritionem alimentum concoquit: neque enim Embryon per os aſſumit ſibi cibum in ſtomacho prius, inde in hepate digerendum; ſed hiſce carens inſtrumentis à principio, dum nutritur, per venam vmbilicalem, à maternis venis iam plane concoctum, & in hepate & in ventriculo matris, attrahit ſibi ſanguinem, quo alatur: ergo fœtus in vtero, non propriæ alicuius animæ à materna diuerſæ officio alitur ac viuit, ſed eadem penitus, qua & mater ipſa viuit.

Tertio etiam arguunt dicentes, quod certum eſt in animalibus, homineque præſertim, arterias ad venarum differentiam hunc vſum habere, vt per eas à corde, vnde ortum ducunt, partibus, ad quas feruntur, communicetur ſpiritus, facultasque vitalis, imo & vita ipſa: quum ergo apertiſſimum ſit, à corde matris arteriam quandam ferri in Embryonem, quæ vna cum vena ſibi adnexa per fœtus

tus vmbilicum transiens vmbilicalis appellatur: quis non existimet, fœtum in vtero vitam non aliunde habere, quam ab anima materna; proindeque vere ac proprie non esse animal diuersum à matre, sed partem matris animatam?

Postremo, quemadmodum ouum non adhuc partum se habet ad gallinam, & aliam quamcunque fœminam ouiparam; ita prorsum se habet fœtus quiuis alius in vtero ad matrem: At vero quodcunque ouum, etiam subuentaneum, quod maris semine non est aspersum, in corpore matris eadem prorsus, qua & mater ipsa, anima viuit, nutritur & augetur; id quod eo maxime argumento constare potest: quo extra fœminam oua subuentanea non viuere apertum est: fœtus igitur in vtero non aliunde vitam sortitur, quam ab anima materna; nimirum hac primis vel ipsis diebus à conceptu ipsa sese communicante semini: factoque conceptui in vtero degenti, perinde ac in actu augmentationis anima præexistens in cæteris partibus animantis, eadem numero persistens expanditur in materiam alimentalem corpori adiunctam: Et quemadmodum materia illa ex alimentis adiuncta corpori eius, quod augetur, eadem ac illud ipsum anima gaudet; quippe in vnoquoque animante vna solummodo

modo anima est secundum numerum, cuius vnius essentia perficit, actuatque tum animatum ipsum totum, tum quoque singulas illius particulas, quæ vitæ operationes quoquo pacto edere solent: sic penitus Embryon tanquam vna ex partibus corporis materni, viuit beneficio maternæ animæ, quæ quoad gradus inferiores diuisibilis, atque multiplicabilis ad subiecti diuisionem, in partu diuiditur in eam, quæ remanet in matre, atque illam, quæ permanet in fœtu iam in lucem edito. Hæc illi pro sua opinione afferunt.

CAP. XX.

Conuellitur superior sententia, demonstrando fœtum in vtero non viuere beneficio animæ maternæ, sed alterius sibi propriæ, neq; esse vllo modo partem corporis materni.

QVorum sane opinio quanti sit roboris, vel ea optime demonstrant, quæ in proxime confutatam adduximus argumenta: nam illis omnibus & hæc ipsa succumbit, quod cuique apertum est: sed & quæ speciatim hanc etiam oppugnent, videamus.

Primo itaque humanum corpus affabre sic à natura factum, vt nullam ipsius partem vel toti corpori, vel alteri parti vlli impedimento esse possit: imo vnamquamque particulam, quemadmodum toti ipsi ornamentum,

tum, vsum, & aliquam peculiarem propriamque operationem impertit; ita & aliis partibus omnibus, partiumque aliarum officiis, muneribusque vniuersis adiumento esse, clare nos docuit Hippocrates his notis: *Confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia, Iuxta totius quidem corporis naturam omnia, iuxta partem vero partes in vnaquaque parte ad opus*: quum ergo fœtus in vtero neque toti corpori materno actionem propriam vel vsum vllum præbeat, vel ornamentum: imo potius totius actiones & vsus impediat atque lædat, & ornamentum vitiet; neque singulis totius partibus adiumentum, sed contra quamplurimis noxam impertiat; quippe vtero gerentis corpus, quoad colorem, pallidum: quoad motum, pigrum: quoad vires, imbecillum: quoad mensuram, nimis quam par sit circa ventrem protuberans extat: aliaque multa mala patitur apud Aristotelem mulier à conceptu, vtputa dolorem capitis, caliginem oculorum, nauseam, vomitum, inappetentiam, appetitum varium, ac deprauatum, cruciatus renum & dorsi, tormina, tumores crurium, & plærosque alios affectus præter naturam: verisimile igitur non est, Embryonem in vtero esse partem animatam prægnantis, non animal diuersum à matre.

Lib. de alim.

7. hist. c. 4.

Amplius, ita partes corporis Naturã conſtruxiſſe, vbique conſpicimus, vt cum corpore toto vna gignantur in vtero, cum corpore toto perpetuo maneant Naturæ lege, certo numero claudantur, ſingulisq; eiuſdem ſpeciei animalibus, & vniuerſis inſint eodem modo, eademque forma, magnitudine ac numero: quum autem ex aduerſo fœtus vna cum matre non oriatur, neque in vtero naturaliter perpetuo degat, neque in omnibus mulieribus reperiatur, neque in quibus adinuenitur, omnibus eodem modo, numero, eademve magnitudine, formaque ſpectetur: dubio procul ipſum, dum in vtero eſt, materni corporis partem animatam eſſe, arbitrandum non eſt.

Præterea, ſi pars aliqua animalis morbo, aut affectu quouis alio vexetur, vt doleat: animal ipſum neceſſario talem dolorem ſentit: quippe apud Hippocratem, quicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat: fœtus autem in vtero plurimos affectus & dolores perpeti, probabile eſt: quos tamen quum vtero gerens perſæpe non ſentiat, etſi mente conſtet, fœtum nunquam dici poſſe partem matris animatam, rationi eſt conſentaneum.

6. Aph. 2. ſect.

Vlterius nulla pars in animali ope muſculorum moueri poteſt ipſo animali vel non ſen-

sentiente, vel saltem inuito; imo sic totum corpus corporisque partes vniuersæ animo ac voluntati obtemperant, vt ad arbitrium ac propriæ voluntatis nutum animal quamlibet sui particulam prompte, quocunq; vult, mouere valeat, dummodo musculos habeat illa pars, ac neruos motui voluntario inseruientes: sed Embryon in vtero sæpe mouetur, matre non percipiente, imo aliquando vel inuita: quin vbi ipsa vult, ad ipsius arbitrium fœtus minime mouetur, nulloque modo paret imperio maternæ voluntatis, licet musculos habebat, ac neruos, quibus moueri potest: ergo fœtum in vtero eadem prorsus anima viuere, qua & mater ipsa viuit, ceu matris membrum aliquod, impossibile est omnino.

Adde, fœtum, si pars matris extaret, necessario vel inter organicas, vel inter similares corporis materni partes collocatum iri: at vero à partium similarium numero sua ipsius multiplex, sibique ipsi plane dissimilis substantia remouet: ab organorum autem specie vsus, actionesque instrumentariarum partium propriæ, quibus Embryon in vtero caret, quia nullam tunc matri subministrat operam: Non est ergo materni corporis membrum aliquod fœtus in vtero.

Id quod & inde etiam colligitur, quod certum est, vnumquodq; totum mutilari, vbi

ab eo pars aliqua separetur; quum itaque in partu, dum fœtus ab vtero exit, & à matre separatur, ea ideo non mutiletur; necessario confitendum est, fœtum in vtero non esse illius partem.

Amplius, non potest mortua matre per vllum vel temporis momentum aliqua pars eius viuere; quippe tamdiu mater viuit, quamdiu respirat, proindeque quamdiu cor ipsius viuit, cuius gratia est respiratio: cor autem Aristoteli inter cætera membra omnia vltimum moritur: At videmus non raro in vtero gerentibus matrem, ipsiusque cor, cessante respiratione, interire, fœtu superstite per notabile spacium temporis: sic Cæsar Romanorum Imperator è cæso ventre matris mortuæ viuus prodiit in lucem, & alii plærique.

2. de gen. an. cap. 4.

Neque euasio est, in morte animalis partes illius omnes non simul interire, sed alias prius, alias vero posterius; fœtum autem in prægnantibus ex iis partibus esse, quæ post omnes alias moriuntur, sicque fieri posse, vt omnibus aliis partibus materni corporis emortuis, fœtus aliquandiu superuiuat; tum quia non fœtus, sed & in prægnantibus, & in alio quouis animali cordis priuilegium est, apud Aristotelem, vltimum omnium membrorum interire, tum quia si fœtus in

vtero

vtero pars matris existens post cor, & omnes alias partes in obitu matris interiret; quum animal non possit dici mortuum, vbi vel vna tantum ipsius pars vita fruatur; profecto mater non amplius spirans, corde mortuo, viueret vsquequo fœtus ipse viuit, quem in vtero habet; contra tamen Hippocrates sanxit, homines ne tantillo quidem temporis citra respirationem viuere posse. *Lib. de flat.*

Denique, si fœtus in vtero ante adeptionem intellectus eadem anima viueret, qua & mater ipsa, ceu pars aliqua corporis materni; sícque animam vegetalem sensualemque fœtus à matre sortiretur, materna anima in partu quoad gradus ratione carentes multiplicata, & ad subiecti diuisionem partita in eam, quæ in matre, & eam, quæ in orto fœtu remanet; dubio procul post quadraginta dies, ac omnino post aduentum animæ rationalis, eadem numero anima materna, seu animæ maternæ portio rationis expers simul frueretur, perficereturque duobus intellectibus, materno scilicet, atque illo, quem hausit conceptus à Deo immortali, eademque mater polleret duplici anima rationali; quod quantum à veritate absit, tu ipse iudica.

CAP. XXI.

Enodantur obiecta ratiocinia, ostendendo, fœtum non esse vere fructum matris, neq; necessario, qua nutritur, eadem anima sibi alimentum concoquere.

IAm ergo nunc aduersariorum rationes expendamus. Qua in re illud inprimis ipsis arguentibus fœtum esse fructum matris, ac propterea, sicuti fructus, dum arbori adhærent, viuunt beneficio animæ totius arboris, non merito alicuius sibi propriæ: sic & fœtus in vtero vitam habet ab anima matris: Non concedimus, fœtum in vtero degentem, eandem habitudinem ad matrem habere, quam habent fructus ad arborem: Quum enim arbor illud sit, à quo semen decidit; terra vero id, in quod semẽ recipitur, receptum continetur, ac tanquam in vtero alitur, foueturque terræ calore, ad alteram ab ea, vnde decidit, in eadem specie stirpem propagandam: arbor masculum æmulatur, terra vero fœminam: Quare verius dixissent, quam fructus habent rationem ad arborem, eandem habent semina & conceptus ad masculum: quippe fructus omnes aut semen continent, aut semen existunt stirpis, à qua decidunt, Theophrasto assertore: quam vero fructus seu semina ad terram, eandem sortiuntur habitu-

1. de his pl. cap. 3.

bitudinem fœtus ad matrem : quod perſpicuis verbis docuit nos Ariſtoteles, inquiens: *Quamobrem vtero, & matre animal, vt terra planta vtitur ad cibum hauriendum, donec perficiatur, & iam ſit animal potentia geßibile.* Ex his, quum ſemina & fructus in terræ viſceribus propria, quam ab arbore ſuſcepêre, à qua producuntur, anima viuant, non beneficio formæ terrenæ, quæ natura eſt inanimis, aperte colligitur, fœtum in vtero non merito maternę animæ vitam ducere, ſed ope alterius ſibi propriæ, quam à patre ſortitus eſt. 2. de gen. an. cap. 4.

At vero data, ſed non conceſſa propoſita analogia, obſeruamus in argumento aduerſariorum probari fœtum viuere per animam matris, non ſolum toto primo quadragenario, verum etiam toto tempore nouem menſium, quo ipſe degit in vtero: quippe fructus eadem anima viuunt, qua & arbor, cui adhærent, non ſolis primis diebus, ſed ſemper, quouſque ab arbore ſeparentur : id tamen vel illorum plurimis refragatur, vt qui infra primum quadragenarium fœtum in vtero, non materna amplius, ſed ſibi propria, quam à Deo nactus eſt, anima viuere opinantur.

Quod autem ſecundo afferebatur, fœtum in vtero diuerſa ab anima materna nõ viuere, quia eadem cum matre anima nutritur, vt

qui eiusdem animæ beneficio ad nutritionem sibi alimenta concoquit, facile diluitur
Cap. 4. ex traditis: licet enim nutritionem multiplex alimentorum digestio coctioque præcedat; ad hoc tamen, vt quid nutriatur, necessarium non est, illud in seipso, quascunque habere debet cibus, antequam nutriat, coctiones obire; alioqui nec panis furno, nec alia esca vlla culinæ commendanda esset; sed sat est nutriendum alimento aliunde accepto, vbi id vlteriori elaboratione non indigeat, eam saltem postremam coctionem dare, qua alimentum conuertitur in propriam substantiam nutriti; ad quam sane coctionem solam, quando nec ventriculo, nec hepate, nec aliis eiuscemodi partibus opus sit, bene potest fœtus in vtero illis carens partibus, vel primo quadragenario nutriri per propriam animam à patre mediante semine receptam, concoquendo sibi alimentum, dum sanguinem priores coctiones expertum ab anima, & calore materno, per venam vmbilicalem attractum conuertit vltima coctione in sui propriam substantiam: quare falso dicunt aduersarii, vel eadem anima quemque viuere ac nutriri, qua quisque sibi ad nutritionem alimentum concoquit (si de prioribus coctionibus intelligant, quæ fiunt in hepate, ac in ventriculo) vel fœtum in vtero non anima sibi propria,

pria, & à materna diuersa, sed eadem penitus anima matris digerere, seu coquere sibi alimentum ad nutritionem: si de postrema coctione loquuntur, quæ fit in singulis partibus corporis nostri solidis.

Ad tertiam rationem, qua ex eo quod à corde matris per vmbilicalem arteriam fœtui communicatur spiritus, facultasque vitalis, colligitur fœtum in vtero viuere beneficio maternæ animæ: dicimus vere quidem à corde matris arteriam ferri per vmbilicum in Embryonem; sed fœtum per eam vitales spiritus, & calorem naturalem, quem vocant influentem à materno corde haurire, non autē vitam: quippe arteriarum vsus est à corde, vnde prodeunt, deferre calorem influentem, quo fixus vnicuique parti calor naturalis adiutus, idoneum fit animæ instrumentum ad obeundas quascunque animalis operationes, non autem ad conciliandam vitam, eamque deferendam à corde partibus vniuersis, quod aliqui opinantur: quia vita non est actio, non facultas aliqua prodiens ab anima, sed ipsamet vnio animæ cum corpore; qua de re fusius agitur in opere nostro de Vita, quod breui Deo fauente studiosis in lucem edemus.

Quod tandem afferebatur argumentum fundatum super analogia, quæ dicitur esse cū inter ouum in aluo ouipare ad animam eius:

tum inter materiam alimentalem in augmẽto ad animam eius, quod augetur : & fœtum in vtero ad animam matris : tollitur negata vtraque analogia: Nam constare cuique
1. De gen an. c. 20. potest, vel ex Aristotele, in ouiparis fœminam ex mare non concipere ouum, vt quod passim editur sine actione maris subuentaneum, sed pullos in ouo ex se genito : quemadmodum in viuiparis, & homine, fœmina ex masculo, non menstruum nec sperma proprium concipit, sed in menstruo, & propria genitura, filios : Iam satis liquet quam rationem habet ouum in corpore ouiparæ animantis, eandem habere, non fœtum in vtero, vt qui citra marem, ouorum instar, non gignatur: quod sibi gratis assumunt aduersarii: sed menstruum, vel potius genituram, seu semen fœmineum.

At vero neque obiicias, si fœminæ menstruum, ac sperma in homine, ouum æmulatur in ouiparis: inde fieri, vt in homine semẽ, ac menstruum viuat, animatumque sit, ceu partes viuentis : quemadmodum ouum non adhuc partum nutritur, augetur, ac viuit, ceu quoddam illius membrum, per animam eiusdem animantis: nam dicentes ouum in ouiparis sese habere vt menstruum, & semẽ muliebre in homine, ponimus inter hominis menstruũ, semenque similitudinem quantũ

ad

id hoc, vt sint quid productum à fœmina, ex quo per receptionem seminis masculei fieri possit conceptus, ac generari fœtus: non autem quantum ad aliquid aliud, vti est vita, seu animæ participatio in qua differunt.

Sed si & muliebre semen dixero, dum in matre est, anima materna viuere, quemadmodũ & fructus, dum arbori hęret, anima arboris: & ouum non partum anima ouiparæ: piaculum me non commisisse credidero: hoc tamen de menstruo similiter affirmare non ausim.

Quæres hîc fortasse cur fructibus ab arbore auulsis animam, quam habebãt arbori hęrentes, retinentibus; eandem legem non subeant oua subuentanea, quæ dum in fœminæ corpore degunt, anima, vitaque pollent, ab aluo autem excluſa omni vita simul, & anima priuentur subito? sed altiorem hæc speculationem postulant, prolixioremque indaginem: quare in opportunum magis locum mittantur. *Lib. 3. cap. 11.*

Cap. XXII.

Recitatur octaua opinio Alberti Magni dicentis Animæ nostræ partes ratione carentes nobis indi immediate à semine: non quidem ceu ab agente principali, sed tanquam instrumento operante in virtute patris, qui est agens principale.

Con-

CONsiderans Albertus masculum necessario ad generationem, & conceptum concurrere sub ratione causſæ effectricis, nō quidem immediate, sed mediante semine: fœminam vero (alioqui sine ope maris concepturam) nonnisi sub ratione materiæ, aut fœtui solam materiam impertientis: ratus est conceptum humanum sortiri & vegetalem, & sensitricem animam, non à matre, sed à masculo, mediante semine: & hoc, non quia pater proprio semini talem animam communicet: quod ideo vel eandem numero fœtui conciliet, vel ea mediante alteram eiusdem speciei in conceptu producat: sed quia semini tribuit non nisi virtutem, qua mediante, patre vel mortuo, semen fœtui formam, & animam tribuit: ita vt in semine (quod ex se nō habens animam, fœtus tamen animam generat, non à seipso, sed in virtute patris) idem contingat, quod in elementis, seu grauibus, & leuibus atque in proiectis, quæ mouentur à generante, ac à proiiciente, etsi hoc amplius non sit, ac mortuum esse possit quando illa mouentur: sicuti enim proiecta, & elementa mouentur, non quidem á seipsis, sed à proiiciente, ac generante, per virtutem ab eo illis impressam: sic semen inanimatum quum sit, generat tamen (vel mortuo illo, à quod decisum est) animam fœtus, non ex se, sed per virtu-

tutem sibi impressam à patre. Quare semen fœtui animam tribuit inanimatum existens etiam non secus ac malleus, vel serra artis habitum in se non habens, formam tamen artis in ligno producit, non per propriam sed per virtutem artificis, qui serra, & malleo ceu instrumentis vtitur.

Cap. XXIII.

Alberti sententia destruitur, demonstrando semẽ non posse in generatione agere vt purum instrumentum in virtute Patris.

Cæterum, apertum cuique arbitror omnia agentia vniuoca in suis operibus talia esse vt subire nequeant vicem instrumenti: sed necessario sint agentia principalia, vt quæ suis effectibus formam impertiant illi similẽ, qua & ipsa constituuntur: Quum itaque apud Aristotelem, semen inter agentia vniuoca connumeretur, falso dicitur illud in generatione subire vices instrumenti: namque instrumentum nulla ratione dici potest agẽs vniuocum. 7. *Met. c.* 31.

Amplius, quod supra quoque obseruabamus in Auicennam, quum notum sit instrumentariam quamcunque causſam nihil operari, nisi dum actu mouetur ab agente principali, cui per se primo cõpetit ratio causſę effectricis: sed quoniã pater, fœtu adhuc orituro, peri-

periisse potuit ante sextam diem à coitu, quo tempore non adhuc factus est, aut animatus conceptus : non potest profecto fœtus animã vllam sortiri à patre, tanquam ab agente proximo, ac principali vtente semine, tanquã instrumento: si quidem efficiens principale, in cuius virtute instrumentum operatur, simul cum instrumẽto esse opus est, iudice vel sensu.

At vero negabit fortasse aliquis conceptũ fieri non posse ante sextã diem à concubitu: imo dicet aduersarius fœminã concipere in ipso actu Veneris, quo tẽpore conceptui à patre mediante semine anima cõmunicatur: atque ita non tolli quod pater sit proximum, ac principale agens, à quo semen tanquã instrumentum regulatur, ac mouetur in generanda anima Embryonis. Sed in oppositũ adest Py-
Li. de die na. thagoræ obseruatio, qua memoriæ traditum est à Censorino, illorum conceptum, qui septimo mense prodituri sunt in lucem, sexto die fieri: illorum autẽ, qui nono, aut decimo, die septimo. A Pythagoræ opinione non recedunt Philosophiæ, ac Medicinæ Primates
7. Hist. c. 3. Aristoteles inquiens, *Vbi semen in vtero dies septem permanserit, certum esse conceptus facti indicii & paulo post, quæ fœminis intra septimum diẽ corruptiones, incidũt, effluxiones vocari, nõ abortiones vt quæ à septimo die infra contingunt*: Vtpote nõ

ad

adhuc facto conceptu, cuius solius intempestiuus, ac immaturus ab vtero exitus, abortio nuncupatur: Albertus & ipse dicens, *Ex peritiorum experientia post dies sex à principio apparere conceptum quasi lac spumosum, in quo tres magnæ spectantur ampullæ ad locum hepatis, cordis, & cerebri:* Auicennas idem fere pronuncians: & ætatis nostræ decus D. Costæus propositas autoritates omnes confirmans in suo libro de humano conceptu. 9. de animal. c. 5. 21. 3. c. 2.

Satis ergo constare cuique potest semen non generare animam vllam fœtus tanquam instrumentum operans in virtute Patris, qui solus in generatione habeat rationem agentis principalis, vt existimat Albertus. Ita ergo simpliciter confutata opinione proposita ex Alberto, opere precium erit modo vt rationes, quibus ipse illam confirmare conabatur, diligenter expendamus, iisq; omnino satisfaciamus.

Cap. XXIV.

Alberti obiecta infringuntur, probando semen similitudinem non habere cum proiectis ab extrinseco, neq; cum instrumentis artis.

Qvæ in oppositum afferebantur argumẽtationes necessitatem profecto non habent: nam ꝙ primo dicitur, semẽ & nõ amplꝰ existẽte illo, à quo decisũ est, conciliare fœtui animas mortales, non ex se sed in virtute eius,

à quo

à quo decidit, vnde talem potestatem acquisiuit: eo modo, quo & proiecta, & elementa se mouent, non ipsa à seipsis, sed per virtutem sibi impressam à generãte, aut ꝓficiente, quo vel corrupto, semper vbi mouentur, ab illo moueri dicuntur: tutum non habet fundamentum, & primo, quia certum non est adhuc, sed maxime controuersum, nunquid grauia, & leuia moueantur ab extrinseco, an à seipsis, seu à propria forma. Verum date ea moueri ab extrinseco: quum tamen id non alia ratione fiat, quam quoniam agens illud externum elementis, ac proiectis quandam virtutem imprimit, secundum quam permanentem vel post corruptionem agentis extrinseci, talia corpora (etiam non existẽte primo agente) mouentur: Si profecto ita dicendum est de semine, quod à patre sortitum fuerit vim aliquam in se, qua mediante (patre vel interempto) tamen in virtute patris dicatur generare animam in conceptu: multa contingerent absurda: necessario enim asserendum est hanc virtutem a patre semini impressam vel animam esse, vel accidens aliquod: si primum, quum anima non fit nisi in eo cuius est forma substantialis, actus intrinsecus, perfectioque essentialis: semen profecto esset proprie animatum: quare & per propriã animam operando in generatione

ne hominis, per se ageret, esſetque ideo agens principale, ac perperam diceretur obire rationem instrumenti operantis in virtute alterius; sin autem dicatur vis hæc à patre indita semini esse accidens; non poterit profecto generare animam fœtus; quippe nihil vltra suam gradum operatur; potest quidem substantia efficere accidentia; sed non viciſſim accidens potest substantiam producere; atque ideo, licet virtus impressa grauibus, ac leuibus, & proiectis ab externo agente (siue sit accidens, vt in proiectis ab ipso iaculante, siue forma substantialis, vt in elementis à generante) motum producere potest; quia huiusmodi motus est de genere accidentis; non tamen vis à masculo indita semini, si fuerit accidens, poterit vnquam producere animam fœtus, quæ est forma substantialis.

Neque euasio est, quod tale accidens adiuuetur in opere, ac subleuetur ab anima matris ad tantam vim, vt possit ita suæ naturæ limites prætergressum generare animam fœtus; nam sic fœmina potiorem vim agendi sortiretur quam masculus in generatione hominis; quod nemo vel patrum in Philosophia professus affirmabit.

Quod vero secundo loco argumentabatur secundum analogiam, quæ est inter semen, & instrumenta artificis; facile soluitur ex tra-

ditis; nanque falsum est, quam rationem habet serra, & malleus in productione formæ scamni ad artificem, eandem similiter habere semen in generatione animæ irrationalis fætus ad patrem; quare ex eo, quod serra tanquam instrumentum, non ex se, sed in virtute artificis producit formam scamni in ligno, non bene concluditur semen in virtute patris tanquam eius instrumentum generare animam caducam Embryonis; Nanque instrumenta sunt agentia æquiuoca, quæ non coincidunt specie cum eo, quod generatur; semen vero formam eiusdem speciei habet ac fætus ipse, cuius ab Arist. statuitur esse agens vniuocum.

9. Met. tex. 31

CAP. XXV.

Noua opinio Pernumiæ dicentis vegetalem, ac sentientem animam fœtus genitam esse ab anima seminis, seu ab agente principali.

SVccedit modo sententia Pernumiæ arbitrantis patrem proxime indere suo semini animam cum vegetalem, tum sentientem; quibus semen in vterum proiectum ex menstruo conceptũ constituens, illi animam impertit suæ similem, tanquam agens principale immediate generans; Quæ quidem opinio, quoniam ingeniosa est, & multa continet,

net, ex quorum cognitione facile magis in quæsitæ veritatis notitiam nobis deuenire licebit; ideo illam intimius perscrutaturi ad vnguem referamus. dicit ergo.

Materia seminis, vt inquit Aristoteles, est reliquum illud alimenti, quod superfluum est pro corpore, quod nutritur, quæ alimenti reliquiæ quum à partibus corporis decisæ fuerint, ab iisdem etiam, ad quas olim accesserant, credendum est acquisiuisse similem substantiam, formam, ac facultatem, quam proximum alimentum membro iam assimilatum acquisiuit, vtrumque enim, tam id, quod est assimilatum corpori, alimentum; quam id, quod superfluit, semen appellatum, iam partium temperamentum, formam, vim, & naturam accepit, in hoc solum differunt, quod alimentum assimilatum partibus corporis, actu ipso nunc est vel manus, vel facies, vel animal totum definitum; sed alimentum, quod superfluit, quodque à partibus corporis decidit, futurum semen, non actu illo perfecto est aut manus, aut facies, aut animal, sed indefinita manus, indefinita facies, atque animal totum indefinitum; quod est dictu, semen facile effici posse tale, quale vnumquodque illorum membrorum reuera iam est, habens iam scilicet in se adumbrationem quandam futuri operis similem illi, vnde decisa fuit; quam adumbrationem intelligo esse totam formam ipsam futuram, sed imperfectiori modo existentem. Lib. 1. cap. 2.

Ex quibus patere iam potest, formam per initia statim à genitore semini inditam esse eiusdemmet essentiæ, qualis reperitur in eo, à quo decisa fuit, imperfectioris tamen gradus, donec aptatis instrumentis remotum sit omne impedimentum, ratione cuius imperfectionis, non proprie forma, sed priuatio eius formæ, quæ ad hominem pertinet, habet appellari; vnde quum nullum habeatur nomen, quo priuatio eius formæ, quæ ad hominem pertinet, indicetur; hominem non dicimus ex illa priuatione, sed ex semine humano fieri, perinde ac si semini insit illius formæ
1. Phy. te. 61. *priuatio: hoc autem modo loqui solemus, ait Themistius noster, quasi ex semine informato ea priuatione: quæ spectat ad hominem, homo efficiatur: quæ quidem nihil aliud est, quam forma humana ibi in semine, sed imperfecto modo existens; Quod Aristoteles*
7. Met. cap. 31 *significare volens, semen (inquit) perinde atq; artifex facit: habet enim potentia ipsam formam: ergo semen quia à seipso, naturaliq; motu cietur, & impetu, animal fit sine artificis manu. Vnde patet totum animal, atq; eius formam à solo semine prodire, nullius extrinseci opificis labore.*

Amplius si homo hominem generat, vt ait Aristoteles: ergo parens semini animam iniecit, quæ deinde ipsam genito confert.

Adde quod si generans semen præbens in semine potentiam solam misisset, quæ (vt aiunt isti) esset accidens: non autem rei gignendæ formam immisisset: nunquam possemus saluare Aristotelem dicentem

quic-

quicquid fit, ab eo, quod est actu, fieri: nisi semine ipsam quoq; actus, & formæ essentiam tribuamus.

Præterea, quum fabæ granum aliud de se proferat granum, licet non adsit aliud actu granum: & in animalibus emisso semine in vtero, si moriatur parens, aget tamen per seipsum semen, & animal efficit, & ex ouo fornacis tepore pullus nascitur non existente ibi gallo, è cuius semine natum est ouum: Quod si generans olim, dum viueret, semini formæ essentiam non immisisset, sed solum potentiam, quæ esset accidens, quomodo vnquam possibile esset quod forma accederet? Signum profecto euidentissimum, quod formæ essentia olim fuerit in semine.

Adde quod quum simile generet sibi simile: & quæque substãtia ab eiusdem nominis, & formæ substantia generetur, si genitor in semine formam non dedisset: profecto genitor nihil generationi conferret: quum ex Aristotele habeamus semen non fieri materiam rei gignendæ: vnde sequeretur genitorem nihil generationi conferre, si nec formam, nec materiam præberet.

Ex quibus omnibus iam patere potest generationem formarum gignendarum fieri, atq; emergere ex præexistente sui ipsius forma, tanquam mutilo quodam suiipsius inchoamento in ipsa materia præexistente; quæ sit eiusdem generis essentiæ, atq; ordinis eiusdem cum forma perfecta, sed imperfectioris gradus; quæ quidem in semine latens, quum primum se detexerit, actus vtiq; fit, & nascentis forma, At quod

1. Phy. tex. 15. *alludens simplicius, Porro (inquit) negatio formæ est ante eam aptitudo, ac indoles quædam subiecti, quocirca etiam afficit subiectum aliquo modo, quod quidem est proprium formæ.* Hæc ille.

CAP. XXVI.

Pernumiæ sententia reiicitur, probando semen non acquirere animam à partibus vniuersis in digestione vltimi alimenti; nec aliam à sua animam fœtui communicare posse.

AT difficultates, contradictionesque & arduæ, & crebræ in proposita opinione existentes, ab ea animum meum auertunt; quod enim primo loco fatetur animã, quam semini ascribit, illi inesse à partibus corporis illius animantis, vnde semen decidit, dum illę partes nutriuntur proprio alimento: quare & semini, quod reliquum est nutrimenti superabundantis nutritioni earundem, suas omnes proprietates, non modo, sed & naturam, formamq; substantialem, quæ anima est, impertientibus, apprimè conuellit ratio; quæcunq; enim pars corporis nostri alitur, sanguine alitur, qui in hepate primam sortitus originem, ab eo in grandiores venas diducitur, à quibus in minores semper sese recipit, donec peruenerit ad capillares, vnde illum partes corporis nostri singulæ, in quas minima vasa figuntur, ad se alliciẽtes, eo irrigãtur instar roris, quem ante

ante omnia sibi similem in primis qualitatibus, hoc est, in temperamento reddunt, actione primarum qualitatum, quas in eo primo loco exercent: deinde illum sibi adglutinant: adglutinatum in secundis qualitatibus, in colore nempe, crassitie, lentore, leuitate; & aliis, deinceps sibi assimilant: assimilato denique propriam naturam, substantialé, specificamque formam conciliant; Rationi ergo consentaneum est, alimentũ reipsa formam substantialem partis nutriendæ non obtinere, dum illud ipsi agglutinatum, & omnino cum in primis, tum in secundis qualitatibus, vt pote præuiis ad formam dispositionibus, assimilatum adhuc non extiterit. Quum itaque semen partibus in digestione vltimi alimenti, quæ fit in tertia coctione omnium postrema, nondum adglutinatum, assimilatumue sit, præsertim in secundis qualitatibus; seminis etenim materia ea est alimenti portio, quæ subterfugit agglutinationem, & assimilationem partibus solidis in postremis qualitatibus; alioqui neque ipsum à partibus nostri corporis, à quibus decidere dicitur, secedere posset absque dolore, qui necessario sequitur separationem portionis alicuius substantiæ à parte nostri corporis, cui coniuncta sit; neque idipsum (semen dico) homogeneum, similiumque partium con-

ſpiceretur, vti apparet: quum partes à quibus recedere dicitur, longe inuicem diſtent colore, tenuitate, leuitate, cæteriſque tum primis, tum ſecundis qualitatibus; Neceſſario itaque confitendum eſt, ſemen formam propriam, ſeu animam ſortitum non eſſe à partibus noſtri corporis, à quibus decidere dicitur in digeſtione vltimi alimenti.

Quod ideo etiam aſſerendum eſt, quia ratione, & ſenſu ipſo per anatomen docemur reliquias illas alimenti ſuperabundantes partium nutritioni non acquirere formam ſeminis, niſi poſteaquam à partibus illis, quibus roris inſtar aſperſæ fuerant, regurgitent denuo in venas capillares; & ab iis in maiores pertranſeant donec ad magnam venam peruenerint, à qua per Emulgentes, quæ ab ea naſcuntur, ſeſe recipiunt in vaſa ſpermatica teſtes ambientia, in quibus accipiũt primum rudimentum ſeminis, quod Medicis perficitur, ſuamque vltimam perfectionem, ſpecificamque formam nanciſcitur in teſtibus; id quod & Ariſtoteles ſenſiſſe videtur dum ſcribit teſtes emittere, vel etiam conficere ſemen genitale; licet alibi videatur tribuiſſe vim conficiendi ſemen vaſis ſeminalibus, non ſubſtantiæ teſtium. Materia vero ſeminis totum illud ſpacium, quod recenſuimus à partibus vniuerſis noſtri corporis ad vaſa vſque

1. *De gen. an. cap.* 12.
1. *De gen. an. cap.* 4.

sa vsque seminalia, peragratur sub forma sanguinis tenuissimi, atque purissimi, cuiusmodi esse illum oportet tum qui tot coctiones iam passus est, tum qui à venis capillaribus effusus, rursum per earundem angustissima ostiola crassiori substantiæ minime peruia, in easdem regurgitat, quod innotescere forte dissectione poterit, si namque rami omnes; & qui ab arteria, & vena magna propagantur vsque ad vasa spermatica, quę etiam præcisa, non puro semine, vt testes, sed cruenta materia semper affluere visuntur, & qui ad eam à singulis corporis nostri partibus terminantur, dissecentur, non semine, nec seminali rudimento, sed mero sanguine referti conspiciuntur; At sanguini, qui corpus est interminatum, fluidum, minimeque consistens, inesse animam, nunquam ego crediderim, frustraque illi animam esse opinarer, à quo nulla vitæ operatio prodit, sed contra verum sperma censetur Aristoteli animatum, eo quia prolificũ est, & exercens facultatem generatricem actionem edit propagandæ sobolis, quæ potior est operatio vegetantis animæ. Quum itaque quicquid sub forma sanguinis in nostro corpore degit, nullum vitæ munus obeat, sanguini profecto illi, qui residuus est nutritioni singularum partium, vita omnis, omnisque animæ gradus adimendus est. *2. De gen. an. c. 3.*

Quod præterea subdit, eam esse differentiam inter alimentum, quod partibus iam est assimilatum, & illud, quod superfuit, futurum semen: quod primum actu, determinateque sit manus, facies, ac totum animal: secundum vero non actu hoc sit, sed indefinita manus, facies, & animal totum indefinitum, hoc est (vt ipse interpretatur) semen facile effici posse tale, quale vnumquodq; illorum membrorum actu est à quibus decidit: verissimum est dogma Philosophi; vetissimum quoq; est propterea seminianimā inesse imperfectiori modo, quam sit in completo iam animante; Neque falsum est animam seminis esse quasi adumbrationem futuræ animę in viuente generando, & adumbrationem istam appellari posse priuationem formæ futuræ. Sed omnia hæc in suam retorquet opinionem, dum vltro concedit Aristoteli seminis substantiam non fieri materiam generandi viuentis. Quomodo enim semen non cedere in materiam fœtus is iure asserat, qui vult semen facile effici posse tale, quale vnumquodque illorum membrorum actu est, à quibus decidit? Quomodo forma, seu anima seminis est priuatio, ac rudimentum formæ futuræ, si semen non est materia conceptus? est namq; priuatio indoles, & affectio quædam subiecti, ac materiæ, non causæ efficientis, vt refert vel aduersarius

1. De gen. an. c. 19.

sarius ex Simplicio. Quomodo tandem ex traditis colligere potest, generationem formarum gignendarum fieri ex præexistente suiipsius inchoatione in materia, si hæc talis inchoatio est forma seminis, & semen fœtus principium esse, non materiale, sed efficiens solummodo arbitratur? Non ergo satis firma est opinio Pernumiæ.

Cap. XXVII.

Respondetur argumentis in oppositum, ostendendo semen cedere in materiam geniti, & tamen facere, sicuti quæ ab arte & aliquo modo esse, atque dici posse hominem.

Sed neque satis firma sunt ea, quibus sua dogmata adstruere conatur argumenta; quod enim primo ex eo quod Aristoteles ait, semen facere perinde atque artifex, habereque potentia ipsam formam, colligitur totum animal, atque eius formam non esse eam, quæ in semine est, sed bene ea mediante à semine prodire nullius extrinseci opificis labore; nam sicut artifex in se habens ideam formæ artis in potentia secunda, seu proxima, quæ est vel actus ipse primus, vel actui primo adnexa; hanc talem ideam non communicat ipsi materiæ dum opus efficit, sed ea mediante similem de nouo generat formam in subiecto, ita pariter dicendum est 7. Met. t. 31.

est de semine, quod habens animam in potentia proxima, seu habés in se essentiam animæ non operantem, illam, dum transit ad actum operationis, non eandem numero fœtui conciliet, sed ea mediante similem in conceptu producat, facile tolli potest, quum enim artifex ea ratione formam idealem operi suo non impertiat, sed ea mediante alteram illi similem, quia ipse non ingreditur tanquam materia ipsum opus, quod effingit, alioqui artifice cedente in materiam sui effectus, illi quam ipse habet eandem numero formam impertiret, non aliam de nouo, namque id superuacaneum esset; Quum vero seminis corpus fiat materia generandi conceptus, vt fusius suo loco apparebit; ideo rationi consentaneum est, animam, quæ in semine est, seipsam fœtui communicare, non aliam in eo gignere, & statim corrumpi, neq; enim Naturæ legibus consentit aliquid naturali propensione aliud gignere, ob cuius ortum illud agens intereat; Quare nulla quantum ad hoc esse potest similitudo inter semen, & artificem, vt recte dici potuerit, semen facere sicuti artifex eo modo quo ait aduersarius, nam Aristoteles dicens semen facere sicut quæ ab arte, aliter est interpretandus, quod supra dictum est. Cap. 15.

Quod autem secundo dicebatur, si homo homi-

hominem generat; ergo parens semini animam iniecit, quæ anima seminis non ipsa fit geniti anima, sed ipsi genito similem sibi animam confert, falsam habet consequentiam; Nam si seminis anima non ipsa fit anima futuri animalis, sed alteram sibi similem in eo gignit, profecto semen nulla ratione esset homo, neque actu, neque potentia, sed generans hominem; Quare pater non generaret hominem, sed semen: & hominem non generaret homo, sed genitura; At si dicamus formam seminis eandem fieri animam fœtus ideo fiet vt semen aliquatenus homo sit, & ita homo generando semen, generaret hominẽ, licet incompletum, cui sane vltima perfectio, & postremum complementum accedit ab eo, qui ei mentem indit Sol, siue Deus, non enim solus homo ex Aristotele hominem generat, sed homo, & Sol, quare verius hoc erit coniunctum, si homo hominem generat; ergo parens semini animam iniecit, quæ deinde, non aliam sibi similem, sed ipsa seipsam genito communicat,

Tertia vero, quarta, & quinta ratio, quum nihil aliud concludant, nisi quod semen à patre suscipiat, non qualitatem solum, sed animæ substantiam: non magis profecto suam opinionem firmant, quæ est, quod anima seminis illi à patre indita, aliam sibi similem

lem genito formam conferat, quam oppositam, qua dicitur seminis animam seipsam fœtui communicare.

Sed in postrema ratione dum ait aduersarius animam, quæ inest in semine latens, ac imperfectiori modo, puta tu ociosa, in actu primo, nihil operans, quam primum se detexerit transiens ad actum secundum nimirum ad operationes vitæ; fieri actum, & formam nascentis, quæ anima est in actu secundo, vtpote à quo nunquam feriari videatur; Ipse à sua opinione deflectere videtur in oppositam sententiam, qua dicitur quod forma, & anima seminis ipsamet fiat, atque euadat forma, & anima generandi animalis.

Hactenus de Pernumia. Nunc accedamus ad Aristotelem.

CAP. XXVIII.

Decima opinio Aristotelis legitur in capite tertio & in quarto secundi de Generatione, animalium, quæ tractatio diuiditur in quinque contextus.

IIs iam examinatis in hac tertia secta opinionibus, quæ animæ humanæ partes irrationales, vegetalem scilicet, ac sensitiuam, cum à matre, tum à patre seorsum oriri contendunt; vt eam nunc expendamus, quæ statui infra mentem, cui diuina est origo, vegeta

len

lem animam à matre, sensualem vero à patre generari, doctrinæ ordo requirit; Huius opinionis auror est Aristoteles; Ipse enim de ortu Animæ humanæ nusquam alibi, quam in tertio; & quarto secundi de generatione animalium accuratius, & ex professo magis doctrinam habuit; Ea itaque, quæ ibi tradidit, obscurissima quum sint, & reconditarum quæstionum in hoc proposito contingentium pulcherrimæ determinationes, afferamus ad vnguem explicaturi. Scribit igitur Aristoteles in illis capitibus, quæ nos facilioris doctrinę gratia diuisimus in quinque contextus, tanquam in partes principales, hunc in modum:

1 *Sequitur, vt & dubitemus, & dicamus si in iis, quæ semen emittunt in fœminam, nulla pars constituendi conceptus sit quod subierit, quonam vertatur corpulentia eius, quando ipsum facultate, quam in se continet, agit. Definiendum igitur prius est, vtrum quod in fœmina constituitur, accipiat aliquid ab eo, quod subierit, an nihil accipiat. atque etiam de anima, qua animal dicitur (est autem animal parte animæ sensuali) vtrum in semine, & conceptu insit, an non, & vnde. Conceptum enim inanimatum esse nemo statuerit vita omnib. modis priuatũ: quippe quum nihilominus semina, & conceptus animalium viuant quam stirpes, & aliquandiu prolifica sunt; ergo animã in iis habere vegetalem palam est.* Tex. 1.

Sed

Sed quamobrem eam primum haberi necesse sit, ex iis, quæ alibi de anima disseruimus, apertum est. Sensualem etiam, qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, certum est, nõ enim simul & animal fit, & homo: nec animal, & equus; eademque in cæteris animalibus ratio est. finis enim postea contingit. proprium autem est finis cuiusque generationis.

Quamobrem de mente etiam, quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur. Sed enitendum pro viribus, & quoad fieri potest accepisse operæpretium est. Animam igitur vegetalem in seminibus, conceptibus, scilicet nondum separatis haberi potentia statuendum est, non actu priusquam eo modo, quo conceptus, qui iam separantur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur. principio enim hæc omnia vitam stirpis viuere videntur. De anima quoque sensuali pari modo dicendum est, atque etiam de intellectuali. omnes enim potentia prius haberi quam actu necesse est. Sed aut omnes contingere, quũ ante non fuerint, necesse est: aut omnes quum ante fuerint: aut partim quum ante fuerint, partim quũ ante non fuerint: & contingere aut in materia non subeuntes semen maris, aut eo quidem inde venientes. Sed in mare aut omnes extrinsecus contingere, aut nullam, aut partim extrinsecus, partim non extrinsecus. Cæterum, omnes ante esse, impossibile rationibus his esse ostenditur. Quorum enim principiorum

actio

actio est corporalis, hæc sine corpore inesse non posse certum est, verbi gratia, ambulare sine pedibus. itaq; extrinsecus ea venire impossbile est. nec enim ipsa per se accedere possunt, quum inseparabilia sint: neq; cum corpore. Semen enim excrementum alimenti mutati est. Restat igitur, vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit. nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.

Sed enim omnis animæ siue virtus siue potentia corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea, quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate, ignobilitateve animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest enim in semine omnium quod facit vt fœcũda sint semina, videlicet quod calor vocatur. idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine spumoso que corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videtur. at vero Solis calor, & animalium, non modo, qui in semine continetur, verum etiam si quid excrementi sit, quanquam diuersum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. Cæterum calorem in animalibus contentum nec esse ignem, neque ab igne originem ducere, apertum ex his est. Corpus autem genituræ, in quo semen animalis principii contentum vna prouenit, partim separabile à corpore, in quibus diuina pars comprahenditur, qualis est Tex. 3.

quæ mens appellatur; partim inseparabile. hoc inquam genituræ semen dissoluitur, versumque in spiritum euanescit. quum naturā humidam, aquosamque habeat. quamobrem an semper id foras exeat, quærendum non est, neq; an pars vlla sit formæ constitutæ, quomodo nec de succo, à quo lac cogitur. quæri tale quid conuenit. nam is quoque mutat, & nulla pars constitutæ magnitudinis est. De anima quemadmodum conceptus, & genitura habeant eam, & quemadmodum non habeant, definitum iam est potentia enim habent, actu non habent.

Tex. 6. Semen autem quum excrementum sit, eodemque moueatur motu, quo augetur corpus digestione vltimi alimenti, constituit, & mouet excrementum fœminæ eodem motu, quo ipsum mouetur. nam illud quoque excrementum est, habetque omnes partes potentia, actu nullam. habet enim eas partes potentia, quibus differt fœmina à mare. nam vt ex læsis interdum læsa, interdum non læsa gignuntur, sic ex fœmina partim fœmina, alias non fœmina, sed mas generatur. fœmina enim quasi mas læsus est. & menstrua semen sunt, quanquam non purum. Vnum enim illud non habent originem, & principium animæ. quamobrem quibus animalibus oua subuentitia gignuntur, partes quidem vtrorumque obtinet ouum institutum, sed principio caret, quapropter animatum non est. id enim à maris semine affertur: quod principium vbi fœminæ excrementum receperit, conceptus fit. humidis vero corpulentiis, quum

inca-

incalescunt, obducitur vt in pulte refrigerata crustula. Corpora autem omnia cohærent, & continentur tentore, quem indies iamque adauctis corporibus natura accipit nerui, quæ partes animalium continet: in aliis nerue, in aliis eo, quod nerue proportionetur. Cutis etiam formæ eiusdem est, & vena, & membrana, & omne eiusce modi genus. differunt enim hæc inter se maioris, minorisque ratione, & omnino excessu, defectuve.

Hæc habet Aristoteles in secundo capite tertii de generatione animalium. Sed in medio quarti capitis hæc alia profert ad eandem contemplationem pertinentia.

Atqui quæsierit quispiam, quæ de causa fœmina desideret marem, nec ipsa ex seipsa generet: quandoquidem animam habet eandem, & materia excrementum fœminæ est. Causa illud est, quod animal sensu differat à planta. nec fieri potest vt vel manus, vel facies, vel caro, vel alia pars sit, nisi anima sensualis insit aut actu, aut potentia: & aut aliquatenus, aut simpliciter. erit enim vt mortuus, aut pars mortui. quod si mas est efficiens talis animæ, impossibile est vt fœmina ex seipsa animal generet, vbi mas à fœmina separatur. eo enim, quod diximus, mas definitur, qua mas est, ratione. Quæstionem vero propositam ratione non carere patet in auibus. quæ oua subuentanea pariunt. quū fœmina aliquatenus possit generare. quod & ipsum recipit quæstionem, quonam modo oua eorum dicuntur viuere. Nec enim ita vt Tex. 5.

vua fœcunda possunt. sic enim actu animatum ex iis efficeretur; neque ita se habent ista vt lignum, aut lapis, quippe quæ corruptione aliqua pereant, vt quæ vitam quodammodo ante participarent. Constat igitur hæc aliquam habere potentia animam. sed quam? istam vltimam prorsus habeant animam necesse est, quæ vegetabilis est. hæc enim æquè in omnibus tam animalibus, quam plantis inest. sed cur partes & animal non efficiant? Quia sensualem animam habere ea oportet. non enim animalium partes ita sunt vt plantarum. quamobrem maris societate opus est. mas enim à fœmina separatus in iis est. & quidem sic vsu euenit. subuentanea enim illa fœ unda redduntur, si mas coiuit tempore quodam. sed de eorum causa post. si quod autem genus est, quod fœmina sit. & mas distinctum non habeat, id ex seipso animal generare potest. Quod etsi nondum fide digna exploratum habemus, tamen fac t vt in genere piscium dubitetur. eorum enim quos rubros, siue rubellones vocant, mas nullus adhuc visus est, sed fœminæ omnes fœtu plenæ reperiuntur. verum de his nondum compertum habemus quod fidem faciat satis. quod autem nec mas, neque fœmina sit, in genere piscium quoque est, vt anguillæ, & genus mugilum quoddam in lutulentis fluuiis. At verò in quibus sexus maris, & fœminæ distinctus habetur fieri non potest vt fœmina ipsa per se generet perfecte. ita enim mas frustra esset. quamobrem in iis mas semper perficit generationem. hic enim sen-

sualem

ſualem dat animam, aut per ſe, aut per genituram. Hæc ille.

Cap. XXIX.

Affertur circa primum contextum expoſitio Io. Grammatici dicentis; Ariſtotelem in eo nihil aliud ſibi velle, quam animam humanam in fœtu primum edere operationes plantales, deinde animales, tandem vero humanas.

IO. Grammaticus cognomento Philoponus, alias Laborioſus, iudicans animæ noſtræ naturam eſſe ſimplicem ſubſtantiam, ita primum ex allatis contextibus interpretatur, vt in ipſo non vere dixerit Ariſtoteles, dum generatur homo, priori tempore in fœtu produci animam vegetalem, huic procedente tempore ſenſitiuam connecti, hiſque tandem rationalem copulari, ſed arbitratur hic Ariſtotelem eandem numero animam ſemel in conceptu genitam primo loco edere plantales operationes; vlteriori tempore animales, motum ſcilicet, ac ſenſum: vltimo intellectuales, ac humanas; Idque eo nomine fieri dicit, quia exiſtimat animam non exercere proprias facultates, niſi idoneorum inſtrumentorum ope, quæ pro vegetalibus edendis operationibus quum rudiora, paucioraque ſufficiant, copioſiora, politioraque ſenſuales actiones organa poſtulent: & omnium pluri-

ma, atque exculta maxime intellectuales; proindeq; Natura, cui ab imperfectis ad perfectiora proprius est ordo in quibusque suis operationibus obeundis, prima omnium instrumẽta effingit ad vegetalis facultatis actiones edendas: mediis temporibus ea, quibus in operando vtitur anima sensualis: & postremo illa, quæ rationalibus potentiis famulantur; ideoque recte ait ille hîc assertum esse ab Aristotele fœtum humanum prius viuere vitam plantalem, posterius animalem, postremo autem humanam.

CAP. XXX.

Exploditur interpretatio Philoponi, demonstrando totam animam humanam non indi fœtui simul, nec simpliciter prius edere actiones plãtales, deinde animales, tandem humanas, & hîc agi de fœtu in vtero, qui nec animales, nec rationales edit actiones.

CÆTERVM, quam longe hæc absint à mente Aristotelis difficile non est assequi; quod enim primo dicitur eandem animam numero apud Aristotelem semel in fœtu genitam, vel eidem quomodocunque impertitam primo edere operationes vegetales, posteriori tempore sensuales, postremo intellectuales, & humanas, refragatur pluribus in locis Aristoteli, & primo dum scribit in quinto

quinto contextu superius allato, fœtum sortiri animam vegetalem à matre, sensualem vero à patre; deinde dum in superiori textu dixerat animam rationalem solam extrinsecus aduenire, ex eo quod obtinuit actiones corporeo famulatu non indigentes, quum paulo antea demonstrasset eidem conceptui sensualem non accessisse forinsecus opposita ratione, quia videlicet omnes actiones eius corporeæ sunt, quę omnia suo loco patebunt; eandem autem numero, individuamque animam eidem conceptui contingere non posse & à matre, & non à matre, sed à patre: & extrinsecus, & non extrinsecus, nemo non affirmauerit. 2. *De gen. an. c. 4. Cap. 3.*

Scribit præterea in superioribus allatis contextibus ita Aristoteles, *sed quamobrem vegetalem animam primum haberi in conceptu necesse sit, alibi ostendimus. sensualem etiã, qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, certũ est. non n. simùl & animal fit, & homo.* Quæ plane dicta respuere interpretationẽ allatam à Philopono eo nomine docemur, quo late quum pateat quodcunque subiectum, in quo anima insit cum sensualis, tum rationalis nullis prorsum aut sensualibus, aut intellectualibus functa muneribus, vere esse animal, atq; hominẽ; negarit siquidem nemo Geometram dormientẽ, etsi omnis in eo sensitricis, & ra-

tionalis animæ facultas ſopita ſit, & ocietur, reipſa eſſe animal, hominem, & geometram; illud quoque manifeſtum eſt fœtum non eſſe animal, aut hominem, quia ſenſuales, aut rationales edat operationes; ſed potius, quia principium tale habet tum quo ſenſitrices actiones edere valeat, quod eſt ſenſualis anima; tũ quo intellectuales, quod eſt rationalis, alioqui corpus, quod in centro mundi quieſcit, quum actu non moueatur deorſum, quæ eſt propria terræ actio, vere terra non eſſet, neq; ignis in ſua ſphæra quieſcens, pprie ignis appellandus eſſet. Relinquitur ergo dũ ſcribit Ariſtoteles animam ſenſualem, qua fœtus eſt animal, in conceptum recipi poſt vegetalem: & intellectiuam, qua ipſe fit homo, in eodem ſuſcipi poſt ſenſitricem: perperam interpretari ab aſſerentib. per hæc eum ſignificare ſolũ actiones rationales ſuccedere ſenſitiuis, & has præcedi à vegetalibus omnium primis; quippe ab animæ ipſius eſſentia, non ab eiuſdem operationibus fœtus fit & animal, & homo; ſiquidẽ veluti eſſe ſimpliciter naturæ ordine præcedit ipſum agere ſimpliciter, ita prorſus eſſe homo natura prius eſt ipſo edere actiones humanas, quare quum prius ſimus homines, quam obeamus actiones humanas, nõ poſſumus profecto fieri homines eo quia fungamur officiis humanis: ſed bene viciſſim.

Am-

Amplius apertum est Aristotelem in hoc textu inquirentem vtrum in semine, & conceptu ineſt, an non, & vnde, sensualis anima, qua animal est; dicentemque animam vegetalem primam omnium in conceptu haberi, sensualem vero, qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo; nomine conceptus intelligere fœtum dum adhuc in vtero est, ac generatur, formaturq;, non autem iam in lucem editum, pluribus nominibus: & primo quia nati extra vterum nonnisi improprie conceptus nomine donari possunt. Deinde proposita sibi ab initio, quæsita vtrum quod in fœmina constituitur, conceptus videlicet, accipiat aliquid à semine, quod subierit vterum fœminæ, an nihil accipiat: proindeque (quum nihil conceptus à semine suscipere valeat nisi id, quod & semini primum, & conceptui deinde ineſt) vtrum in semine, & conceptui ineſt, an non, & vnde anima cum sensualis, qua animal est, tum rationalis, qua homo: recte allatis verbis non determinasset Aristoteles loquens de conceptu, qui non amplius constituitur in vtero fœminæ, sed qui iam plene constitutus extra uterum degit; quippe notum cuique est semen aliquid impertiri non posse conceptui iam formato, ac extra vterum fœminæ in lucem edito.

Deinceps, nonne aperte fatetur Aristoteles in hoc capite se loqui de conceptu, dum adhuc in vtero degit, vbi ex primo ita concludit? *Animam igitur vegetalem in seminibus, conceptibus, scilicet nondum separatis haberi statuendum est. De anima quoq; sensuali pari modo dicendum est: atq; etiã de intellectuali*: Quid enim sibi vult conceptus nondum separatus nisi conceptum aut nondum distinctum, seu distincte organizatum: aut nondum ab vtero seiunctum, seu in lucem editum?

Denique, nonne ab inscriptione libri satis constare potest loqui Aristotelem de fœtu quatenus est in actu suæ generationis, non autem quatenus iam est reipsa genitus? At vero Aristotelem scribentem in cõceptu primum haberi animam vegetalem, procedente tempore in eodem recipi & sensualem, qua animal est, & rationalẽ, qua homo; perperam interpretatur Philoponus quasi dixerit Aristoteles humanum conceptum animæ illius beneficio, quam semel adeptus est, primum actiones edere vegetales, procedente tempore sensuales, tandem rationales; quia quum hic loquatur de fętu dum in vtero degit, vt ostenditmus: contra tamen sensualis animæ actiones quamplurimas, easque præsertim, quæ attinent ad sensus tum interiores, tum exteriores (tactu fortasse excepto, & gustu) & intellectua-

lectuales omnes fœtus non edit nisi in lucem editus, teste & Aristotele alicubi scribente quod *acceptio à principio scientia non est generatio, nec alteratio: ex eo nanque, quia perturbationes sedantur, atq; tranquilla fit anima sciens quispiam, atq; prudens euadit. Quemadmodũ igitur quum expertectus est quispiam dormiens, aut quum ab ebrietate sese recepit, aut quum à n. orbo conualuit, non factus est tunc sciens, quanquam antea non vti scientia poterat, operariq; per eam, sed extincta perturbatione, menteq; iam ad tranquillitatem redacta, aptus, ac idoneus ad scientiæ vsum euadit: sic etiam quum à principio oritur in nobis scientia, simile quid sane fieri solet, fit enim perturbationis sedatio, quies, & tranquillitas quædam. Accedit eodẽ & id, quod in pueris natura fieri solet: non enim discere pueri, neq; perinde sensibus, atq; ij qui sunt prouecti magis ætate, discernere possunt: est enim vehemens in eis turbatio, atq; motus; sedantur autem nonnunquam à natura,* hoc est, ab ortu, seu nascitura, *nonnunquam ab alis, desinuntq; turbari.* 7. Phys. t. 29.

Præterea, nonne falso assumit aduersarius vegetales actiones absolute priores esse sensitiuis, ac rationalibus, liquido enim cõstat fœtum hominis non posse generare sibi simile, quæ in viuentibus actio est animæ vegetantis, nisi ad quartumdecimum, vel saltim ad duodecimum annum ab ortu, ante quod tempus in homine conspicuæ sunt sensitiuæ, ac rationalis animæ operationes vniuersæ. Am-

Amplius neceſſe eſt Philoponum arbitrari animam rationalem, quam ſolam conceptui humano concedit, vel fœtui forinſecus accedere, vel eidem à Parentibus indi; ſed vndique ſunt anguſtiæ; ſi nanque dicat illam fœtui extrinſecus accedere, quum ad hominis generationem materia, quæ illi à matre ſuppeditatur, & ex Ariſtotele, & ex antedictis ſufficiat vna cum forma; quam illi ineſſe ait ab extrinſeco, non à parentibus; quid prohibere poterit fœminam ex ſeipſa ſine maris auxilio concipere poſſe, ac ſobolis propagationi conſulere? id tamen ſenſus non patitur. ſi vero dicat rationalem animam fœtui de foris non accedere, ſed potius eam illi à parentibus indi, reclamantem habebit Ariſtotelem allato contextu ſecundo ita ſcribentem, *Reſtat igitur vt Mens ſola extrinſecus accedat, eaq; ſola diuina ſit.*

Quærendum inſuper eſt à Philopono, ſi dicat animam fœtui extrinſecus non accedere, ſed à parentibus: à quonam parentum cenſeat eam oriri; nam ſi à fœmina, quum eius quoque officium ſit conceptui materiam ſuggerere; fateri cogetur iterum nihil opus eſſe mare ad concipiendum in vtero; ſin autem animam humanam à patre generari cenſeat; quum pater agens materiale ſit, ac phyſicum generans ex materia; aperte conſtituet rationalem

nalem animam eductam de sinu materiæ, more formarum corruptibilium; proindeq; ab anima eiuscemodi remouebit, & immortalitatis priuilegium, & actiones, quæ sunt absque corporeo interuentu; quæ tamen omnia animæ nostræ intellectum ipsemet opinatur, tum Aristoteles sæpe nos docuit.

Adde quod, quando embryoni omni prorsum anima carenti rationalem adnectit Iohannes Grammaticus, aperte refragatur Aristoteli in textu quarto allato superius vel vegetalem animam menstruo sanguini eo tantum nomine interdicenti, quo arbitratur menstruum indignum participatione præstantioris naturæ, cuiusmodi est anima vegetalis; idque propterea quod insuetum Naturæ videt sic discrepantes, ac diuersas essentias immediate in vnum coniungere; quanto magis ergo tenuet Aristoteles animam rationalem vegetali longe digniorem immediate vniri Embryoni omni penitus anima destituto, atque ideo Aristoteli puræ menstrui substantiæ?

Dum itaque in suam Opinionem Aristotelis dicta hic trahere studet, eum vndique sibi magis, atque magis in offendiculum concitat.

Cap. XXXI.

Soluuntur argumenta Philoponi demonstrando operationes vegetales non fieri ope organorum rudi-

rudium, quæ primum fabricentur à vi formatrice: non absolute præcedere sensualibus, & rationalibus: hasq; non indigere instrumentis corporeis.

SED neque ratio illa satis firma est, qua ipse confirmare conatur sua dogmata inquiens propterea recte dici ab Aristotele fœtũ prius viuere vitam plantalem, posterius animalem, postremo autem humanam; quia is primo exercet operationes vegetales, deinde sensuales tandem rationales eo nomine, quo quũ hæ omnes obeantur nõ sine instrumẽtis corporeis fabricatis à Natura; quumq; ad vegetales actiones edendas longe minora, rudioraq; organa sufficiant, quam ad sensuales, & ad has quam ad rationales; Natura, cuius ordo est vbique ab imperfectis ad perfectiora, primo loco vegetalia instrumenta fabricat; secundo sensualia; tertio & postremo intellectualia; atque ideo iis prius vtitur ad agendum anima organis, quæ prius à Natura efformantur, posterius vero iis, quæ posterius; qua ratione fit vt eadem anima nos primo viuamus vitam plantæ, deinde vitam animalis, tandem vitam hominis; quia inprimis (quod supra etiam obseruabamus) falso dicitur actiones vegetales præcedere necessario sensualibus, ac rationalibus; minoraque minusque polita instrumenta postulare; nam multi, & ante decimum

mum annum ab ortu, & sine testibus, probe funguntur officiis, & sensualis, & rationalis animæ; quum tamen sibi simile generare nequeant, quæ potissima est vegetalis animæ operatio.

Præterea, neque illud minus à veritate abest, quod aiunt animæ opus esse corporeis instrumentis ad hoc, vt vegetales, & rationales operationes edat; nam, quod pertinet ad actiones vegetales, quum & Aristoteli facies, manus caputque, & aliæ vniuersæ partes corporis nostri dissimilares, nutriri, augerique dicantur pure per accidens, hoc est, ad nutritionem, auctionemque partium similarium, ex quibus illæ constituuntur; si quidem solum caro, neruus, os, atque aliæ partes similares, vere, ac proprie nutriuntur, & augentur; quæ sunt duæ primæ operationes animæ vegetalis; non ergo necessaria sunt instrumenta vlla, quibus vtantur quæcunque nutriri, ac augeri dicuntur; si partes non organicæ, sed similares perse primo nutriuntur, & augentur; Nisi fortasse dicamus partes hasce similares in nobis ad conuertendum alimentum in sui substantiam (quæ nutritio est, vnde auctio) vti proprio sibi calore innato, qui qualitas est corporea, tanquam instrumento. At vero vtuntur certe partes similares ad sui nutritionem, & augumentum

1. *De gen. tè.* 35.

tum calore naturali, atque ideo instrumento corporeo: sed non tali quod in vtero fabricetur à vi formatrice, de quo genere instrumenti loquitur Philoponus, calor nanque natiuus in nobis præcedit operi virtutis formatricis, & non est ab anima, sed ante animam ab elementis in materia seminis.

Quod autem attinet ad actiones intellectus, reclamantem sibi habet Io. Grammaticus Aristotelem in textu secundo superius allato apertè scribentem rationalem animam pollere actionibus incorporeis, seu corporeo famulatu non indigentibus: & alibi dicentem tum hoc ipsum, nempe quod intellectus possibilis nullo vtitur corporeo instrumento; tum difficile esse vel fingere quam partem corporis, & quomodo contineat eam intellectus.

3. *De an. c.* 1.
2. *De an. t.* 92

Amplius dato, & non concesso, quod mens ad exercendas suas facultates vteretur organo corporeo, falso asseritur id postremo in vtero à Natura fabricari, ac omnino post instrumenta famulantia operationibus animæ tum vegetalis, tum sentientis; nam si dari oporteret aliquod membrum corporis ceu organum menti ad operandum; id profecto esset vna ex partibus corporis nostri principalibus, Cor scilicet, aut Cerebrum; At vero hæ partes primæ omnium efformantur

tur in fœtu à Natura, atque omnino ante organa deseruientia operationibus animæ sensualis: si itaque anima prius vteretur ad agendum iis instrumentis, quæ prius à Natura fabricantur, prius vigerent in nobis actiones rationales, quam sensuales: ideoque non bene dixisset in textu Aristoteles fœtum viuere prius vitam animalis, quam hominis.

Vlterius, dum probat Aristoteles rationalem animam in conceptum, qui per eam fit homo, vltimam omnium recipi: quia propria cuiusque rei forma finis est, ac terminus ad quem terminatur generatio illius rei: & finis post omnes alias causas vltimo loco acquiritur: non potest ita glossari, vt inquiat animam in fœtu postremo loco edere actiones intellectuales: quia protulit hanc sententiam Aristoteles, de fœtu nondum separato ab vtero, qui nullas eo loci obire potest rationales operationes, vt cuique vel parum in Philosophia exercitato manifestum est, quum oriri à principio in nobis scientiã, imo & addiscere, ac sensibus discernere pueros dicat Aristoteles non nisi sedatis perturbationibus, quæ in nostro corpore vigent à sui primordiis vsque ad ortum, & sæpe adhuc vlterius. 7. Phys. t. 10.

Denique, etiam si demus quod vera sit illa doctrina de instrumentis inseruientibus animæ pro suis actionibus obeundis in diuersis

temporibus: non tamen ideo fit quod animæ ſubſtantia ſit ſimplex: ſed reuera quum illam prorſus falſam demonſtrauerimus, neceſſario fatendum eſt animæ naturam apud Ariſtotelem eſſe compoſitam.

CAP. XXXII.

Expoſitio alia primi textus ex D. Thoma dicente fœtui quidem primum indi animam vegetalē: procedente tempore ſenſualem: demum rationalem: ſed vbiq; priorem corrumpi ad ortum poſterioris.

VErum, Diuus Thomas longe aliter animæ ſimplicitatē tuetur, & explicat præſentem locum Ariſtotelis: nam concedit ipſe quidem nobis hoc in loco ex mente Ariſtot. fœtui primis temporib. vegetalem ſolūmodo animam ineſſe: ſecundis autem illi adiungi ſenſitricem, qua fit animal: vltimis vero rationalem, qua eſt homo: ea tamen lege, vt prima omnium vegetalis extirpetur, pereatq; dum fœtui copulatur ſenſitiua, quam pariter perimi, aboleriq; ait, quum illi adiungitur intellectiua: & hoc dogma ſe tueri arbitratur de mente Ariſtotelis, cui ſemper, & maxime in phyſiologia, vbi perſpicuis verbis fatetur, *Vnius numero vnum tantum numero eſſe actum*: negata eſt pluralitas formarum ſubſtantialium in eodem ſubiecto, quum illarum prior in a-

3. *Phyſ. t.* 38.

ctu generationis ad posteriorem se habeat tã-quam priuatio ad formam procreandam: quare quemadmodum priuatio aduentu nouæ formæ aboleri solet à subiecta materia; sic formarum peculiare munus esse debet In generatione, vel inductione nouæ formæ, vt prior omnino interitui obnoxia cadat vel saltem à subiecto recedat, si sit incorruptibilis: quomodo accidit animæ rationali, quæ immortalis existens, per eductionem formæ cadaueris de materia, non moritur, sed à corpore separatur, tanquam æternum à corruptibili: alioqui perperam dixisset Aristoteles generationem vnius esse corruptionem alterius, & vicissim corruptionem vnius esse generationem alterius. *1. Degen. & cor. t. 17.*

Cap. XXXIII.

Conuellitur allata sententia D. Thomæ, monstrãdo mentem nõ posse corpori vniri immediate, atq; animam humanam non esse simplicem substantiam.

AT vero neq; mentem Aristotelis hoc in loco assequutus est D. Thomas inquiens, vere quidem ante ingressum rationalis animę in corpus Embryonis, in eo præfuisse sensitricem, quam pariter vegetalis antecessit: sed ideo animã humanã cõpositã esse negãs: qa, q̃ primo loco in cõceptu est, vegetalis corrũpi-

tur exoriente sensuali: quæ itidem occidit aduentu rationalis: Quoniam inprimis obstat
8. Phy. t. 63. Aristoteles affirmans tum quid generati non posse, continuo & corrumpi: tum illud, quod
1. de gen. t. 33. & sequent. augetur, idem numero manere à principio, quo incipit augeri vsque ad finem: quare & ab initio sui ortus: nam conceptus statim ac est, nutritur, ac augetur indies vsque ad senectutem: quum autem testimonio D. Thomæ, quæ diuersas formas habent, ac suscipiunt, ea esse nequeant eadem numero: proculdubio infans, seu fœtus in vtero ante adeptionem intellectus, non erit idem numero cum eo, cui iam aduenerit anima rationalis: quare, quum primis vel ipsis diebus Embryon in vtero beneficio animæ vegetalis augeatur antequam habeat sensitricem, & intellectiuam (nisi dicas tunc illam animam frustra ociari, & sensum tollas, quo conspicitur in abortibus Embryonem ab actu conceptionis continue augeri) & augeatur quoque vbi habuerit sensitricem ante mentem, & adepta mente etiam vsque ad ætatem consistentiæ, hoc est ad annum quintum supra trigesimum: si profecto fœtui ad originem animæ sentientis corrumpitur vegetalis anima, & aduenie-te intellectu interit sensitiua: quomodo fieri potest, vt quod augetur idem numero permaneat à principio sui augmenti ad finem?

non

non potest enim apud D. Thomam idem numero esse id, quod generatur, cum eo, ex quo corrupto generatur: quare neque Embryon vegetans idem numero erit cum eo sentiente, nec sentiens cum rationali: si rationalis oritur ex corrupto sentiente, & sentiens ex corrupto vegetali. *De ent. & ess. c. vlt.*

Deinde, si mēstruo, quia excrementum est vegetalem animam Aristoteles interdixit, vt suo loco patebit: multo minus rationalē vegetali anima longe præstantiorem, vel eidem menstruo, quale est Embryon, si omni anima exuatur, apud Aristotelem, vel ignobiliori subiecto, cuiusmodi est materia prima, cui quascunque formas immediate annectit positio D. Thomæ, coniungere patietur summa cum ratione: quia scilicet, Natura non permittit vniri sine medio res valde inter se dissitas, ac discrepantes: quod apertissime confessus est tum Philoponus dicens rationalibus datam esse imaginationem, hoc est, animam sensualem, cuius potior facultas est imaginatio, vt corpus sit efficacius, & accommodatius ad melioris susceptionem: nisi enim id esset aptum ad suscipiendam imaginationem quomodo etiam rationalem animam admitteret? tum Themistius dicens intellectum collocari, habitareve in corpore non valiturum, nisi affectibus mediis necteretur, obli- *3. de an. t. 30.* *3. de an. t. 38.*

8. En. l. 5. c. 6. gareturque: tum Plotinus asserens quod omnino est purum non repente, hoc est, non im-
In Tim. mediate, corpori commiscerí: tum Plato scribens purum cum impuro sociari non posse absq; medio: ac propterea Deos, quum animã immortali origine præditam accepissent, obduxisse ei corpus mortale: quod vti fieri posset, vtiq; immortalis forma in mortali corpore clauderetur, texuisse genus animæ alterum fragile, ac mortale: nã vinculum id, quo immortalis natura conglutinebatur mortali, ipsum quoq; haberi mortale oportuit.

Quin & ibidem Plato animam humanam compositam esse affirmauit ea ratione ductã, quod pars rationalis aduersatur animæ affectuosæ: nihil enim secum cõtendit, nec quidquam sibi ipsi repugnat: quare in homine sẽtiens animæ, quæ affectuosa dicitur, idem esse non potest cum rationali.

Hoc ipsum dictat & alia ratio: nam simplicis essentiæ simplex itidem est potentia, simplex & actio: at vero animi nostri potentia, actioque multiplex apparet: ergo & anima nostra multiplicem habet essentiam, non simplicem: imo neq; aliqua præter primam simplex omnino essentia reperiri potest.

Lib. de sem. His adde Galeni authoritatem, dum ita loquitur de Embryone eo tempore, quo solum habet animam vegetalem: *Si v. sanguineã hanc*

plan-

plantam cernis, aut carneam, non propterea oportet existimare aliud esse, quam plantam: nam opifex idē vtrīq; est, scilicet anima vegetalis: verum illud aduertas, quod haec planta futura est animal, non quod illam, quam prius habuit, potentiam abijciat, sed alteram super acquirit.

Est igitur superstes in fœtu anima tūm vegetalis, cui adiungitur sentiens: tum sensualis cui adnectitur intellectrix: Alioqui in homine gradus intellectiuus, potestas sensitrix, & vegetalis, non tres essent partes animæ humanæ ab inuicem realiter, seu formaliter, ac essentialiter distinctæ: sed tria accidentia illi⁹ simplicis naturæ, quam dicunt animam humanam eminenter in se continentem vires omnes animarum inferiorum: sed hoc aperte renuit Aristoteles, primo quidem vbi dicit quod, *si oculus esset animal, potentia visiua esset illius anima: quia oculus materia est, & potētia visiua est forma specifica, quæ complet definitionem oculi, ita vt deficiente potentia, iam non sit amplius oculus, nisi æquiuoce vt lapideus aut pictus: Oportet igitur accipere q⁹ est in parte, in toto viuente corpore: proportionabiliter nanq; habet sicut pars ad partem: ita totus sensus ad totum corpus sensitiuum secundū quod huiusmodi.* 2. De an. t. 9.

Deinde vero vbi ait, *animal autem est ob sensum primo.* Ex quibus satis apparet potentiam sensitiuam non esse accidens, sed animam 2. de an. t. 16.

ipsam sensualem, à qua corpus, in quo est, per se primo fit animal.

2. De an. t. 36. & sequēt. Tertio vbi negat animam esse caussam materialem, quod sane contingeret, si subiectaretur suis potentiis tanquam subiectum accidentibus.

2. de an t. 50. Posterius vbi scribit ad obeundas actiones vegetales concurrere duo agentia: alterū mouens non motum, quod est anima: alterum mouens motum ab anima, cuius est instrumentum, quòd est calor naturalis: nam inter calorem, & animam collocanda esset potentia vegetalis: si ea distingueretur ab anima, & ita essent tria efficientia.

2. de an. t. 33. Postremo vbi proponens methodum inuestigandi essentiam animæ, ait quidditatem, & intrinsecam cuiusque animæ naturam cognosci ex obiectis, & operationibus immediate, dicendo ex obiectis transeundum esse ad operationes, & ex his ad animæ potentias: quo loci si nomine potentiæ intelligit accidens realiter distinctum ab anima, hîc non debebat quiescere, sed vlterius progredi à potentiis ad animæ substantiam: sin autem nomine potentiarum intelligit essentiam animæ (quod reuera ex eo colligitur apertissime, quod tractans de anima vegetali, post-

Tex. 47. 48. 49. eaquam explicauit naturam obiecti, operationes obscure tetigit, & statim per nutritionem,

nem, ac per generationem definit, vegetalem animam esse principium conseruatiuum individui alimento, speciei vero generando sibi simile) clarum est, ipsum non distinguere animam vegetalem à suis potentiis: alioqui per eas potius, tanquam per intimiores, ipsam definiuisset, quã per suas operationes.

Quum ergo potentiæ vegetales ac sensitrices, & rationales à se inuicem essentia differentes, reipsa non differant à natura, & essentia animæ vegetalis, sentientis, ac rationalis sigillatim; profecto asserendum est, animæ humanæ substantiam, cui tres illæ potentiæ insunt, esse compositam ex anima vegetali, sensitrice, ac rationali, non simplicem intellectum, quod censuit D. Thomas. Sed hac de re infra latius. *Lib. 2. c. 1.*

Cap. XXXIV.

D. Thomæ argumenta soluuntur, declarando, quomodo plures formæ possint esse in composito, & quomodo priuatio seu forma prior corrumpatur aduentu, seu etiam ortu formæ posterioris.

Cæterum nec D. Thomæ subscribere possum, quoniam ea, quibus ipse suam opinionem confirmare nititur, argumenta non concludunt necessario: quod enim primo loco ait, Aristotelem negare pluralitatem

formarum ſubſtantialium in eodem ſubiecto, tenue eſt: nam ſicuti aliquando fatetur Ariſtoteles, in vno & eodem compoſito non adeſſe, niſi vnam formam ſpecificam, vel etiam totalem: ita nuſquam negauit Ariſtoteles, huiuſcemodi formam eſſe ſubſtantiam conſtitutam ex diuerſis partibus eſſentialibus.

Non eſt maioris momenti, quod ſecundo obiicitur ex phyſicis, vnius numero vnum tantum eſſe actum numero: vbi tantum abeſt, vt vnicuiq; compoſito Ariſtoteles vnam ſolummodo formam concedat, quod potius videatur ibi adſtruere pluralitatem formarum in eodem ſubiecto, ſi nomine actus intelligat formam ſubſtantialem, vt Thomiſtarum obiectio accipit, non autem accidentalem, vt ipſemet explicat Ariſtoteles, dum hæc verba profert: *Si igitur eadem atq; vna ſit mane, & nunc ſanitas: cur & quum rurſus quiſpiam amiſſam recuperauerit, & hæc, & illa non vna numero erit? Eſt enim eadem ratio: verum hoc intereſſe videtur, quod ſi habitus ſint duo, duo erunt & ipſi actus, ſicut ſi actus ſit vnus, & habitum vnum eſſe neceſſe eſt. At ſi habitus ſit vnus, non fortaſſe cuipiam videbitur vnus etiam actus eſſe: quum enim ceſſauerit quiſpiam ambulare, non eſt ipſa ambulatio: rurſus ambulante erit. Quod ſi vna & eadem eſt, idem ac vnum & corrumpi & eſſe perſæpe poteſt:*

5. *Phyſ. t.* 37. 38.

quod

quod tamen est impossibile. Liquet enim hic Aristotelem nomine actus, non formam substantialem intelligere, sed eius operationem, quæ est actus secundus, assentiente & D. Thoma in commentario.

Quod autem postremo affertur argumentum ex mente Aristotelis, in omni generatione formas priores se habere ad posteriores, tanquam priuatio ad formam, priuationemque omnem à subiecto aboleri aduentu formæ, cuius est priuatio; ac propterea fieri tum, vt in generatione hominis prima omnium vegetalis anima sit priuatio gignendæ sensitiuæ, & hæc accessuræ rationalis; tum vt vegetalis in fœtu corrumpatur, exoriente sensitiua, & hæc itidem pereat aduenient intellectu; soluitur hoc modo, quia in priuatione qualibet duo sunt, alterum est carentia formæ futuræ, & hoc est id, quod in omni generatione aboletur exoriente noua forma: alterum vero est fundamentum, quo innititur talis carentia, atque id est forma præcedens, seu forma eius, ex quo fit id, quod generatur: sed formarum præcedentium duplex est differentia; aliæ namque sunt incompatibiles cum formis gignendis, nec ad eas sunt subordinatæ, tanquam inchoatio ad complementum, & hæ quoque pereunt ad productionem nouæ formæ, sic forma ignis interit exo-

2. *Phys. t.* 15. 1. *Phys. t.* 59. *& seqq.*

exoriente forma aquæ, dum exigne generatur aqua; aliæ vero sunt formæ, quæ compatiuntur formas nouas, ad easque subordinantur tanquam rudimentum ad perfectionem; atque hæ permanent exoriente noua forma, cuius naturam induunt, acquirentes nouam essentiam: quod sane significauit Aristoteles quando scripsit, in generatione non solum subiectum fieri hoc, seu acquirere nouum esse; sed multoties etiam priuationi id contingere, vt fiat hoc, atque acquirat nouum esse, nempe quando mutila inchoatio existens nouæ formæ, eius aduentu hoc nouum esse acquirit, quod actuatur, ac magis perficitur: si itaque dixit alicubi Aristoteles, priorem formam corrumpi exoriente posteriori, hoc ab eo prolatum est de iis formis, quæ non sese compatiuntur, quæve non sunt subordinatæ adinuicem, ita vt prior sequentis inchoatio sit, ac rudimentum: quam rationem subit apud Aristotelem in generatione hominis vegetatrix anima ad sensitiuam, & ex duabus hisce constituta ad rationis mentisque participem.

1. Phys. t. 64.

Neque ideo (quod obiicitur) Aristoteles plures ponit animas siue formas substantiales in composito: nam cẽset animam sensitiuam ita illi, quam reperit in fœtu, vegetali animæ vniri, vt ex hac, tanquam ex ente in potentia, & illa

& illa tanquam ex actu, vnum per se ens, vnaque numero substantia formaq; resultet: cui rursum veluti enti in potentia, vlteriusque perfectibili, si ceu actus adiungatur intellectus, vnum pariter vere per se ens, vnaque numero emergit anima humana, in qua tum rationalis, tum irrationalis anima inter se reipsa diuersæ continentur, non secus ac duo trianguli sunt in eodem quadrato: in tetragono siquidem ita insunt duo trigoni, vt ii ab inuicem disiungantur excitatione diametri, quæ antea in eorum coniunctione latebat: diuidi autem hi non possent ab inuicem trigoni, nisi reipsa prius ab inuicem distincti coissent postea, tanquam principia componentia, ad constitutionem tetragoni: vnumquodque etenim resoluitur nō nisi in ea, ex quibus prius cōstitutum fuit: sic etiam ex tribus candelis accensis, vbi in vnum contortæ coeant, vna tantum numero lux enascitur: ita prorsus anima humana apud Aristotelem consurgit ex coniunctione rationalis animæ cum irrationali, quæ similiter ex vegetali anima & sensitrice inuicem coniunctis constiterat. 2. de an. t. 31.

Quod autem ideo non fiat, quo minus generatio vnius sit alterius corruptio, commodiori loco videbitur. Lib. 3. c. 8.

Iam ergo satis perspectum esse potest de mente Aristotelis, animam humanam non esse

esse simplicem substantiam, sed compositam ex rationali, sensitriceque, & vegetatiua, quæ prima omnium in fœtu genita, deinde tanquam actum suscipiens sensitricem, vna fit anima irrationalis; quæ tandem pariter excipiens intellectiuam, vna fit anima humana.

Ex aliis itaque quum firmam non habeamus primi textus explanationem, nos eam a nobis ipsis inuestigemus.

CAP. XXXV.

Declaratur primus contextus, in quo Aristotele docet, generationem hominis fieri tum interuentu animæ vegetalis, quæ prima omnium in fœtu reperitur: tum ortu sensitiuæ, quæ procedente tempore in conceptum recipitur tum demum aduentu rationalis.

QVæ in primo textu ab Aristotele traduntur, qui certe procul à passionibus trutinauerit, & æquo pensitauerit animo, vt Philosophum decet, cui scopus est in omnibus nuda veritas; reperiet inprimis Aristotelem sibi determinandum proponere, si maris semen, quod in vterum fœminæ subierit, nulla pars est, aut efficitur constituendi, seu futuri conceptus, quo nam eiusce seminis materia, seu corpulentia vadat, quando ea, quam in se continet, facultate, quicquid

nata

nata est ſuapte natura efficere in conceptum, operari deſierit, talemque determinationem dubitabundum inquirere: Pro faciliori vero iſtius problematis determinatione, vniuerſaliter ſibi prius, non amplius dubitandum, ſed certo definiendum proponit, vtrum conceptus, qui in vtero fœminæ conſtituitur, aliquid accipiat à maſculeo ſemine, quod vterum ſubiit, an ab eo nihil ſuſcipiat.

Sed, quod ipſi nunc eſt propoſitum, videns Ariſtoteles à ſemine conceptui quidquam impertiri non poſſe, niſi id, in quo vtrunque, ſemen videlicet & conceptus, communicet; merito inprimis definiendum dicit, an ſenſualis anima, cuius beneficio conceptus fit animal, in ſemine, & conceptu inſit, an non; & vnde tum ſemini, tum conceptui adueniat ipſa hæc anima, an ſcilicet à matre, an à patre, an potius extrinſecus.

Quo loci prætereundum non eſt, animam ſenſitiuam dici ab Ariſtotele, non animam ſimpliciter, ſed partem animæ eo nomine, quo cuiuſque animalis animam, non ſimplicem ſubſtantiam, ſed formam compoſitam eſſe iudicat, ceu ex partibus eſſentialibus, ex vegetali anima, qua fœtus fit vegetans; & ſenſitrice, qua fit animal; atque ex ea, qua conſtituitur in propria & determinata ſpecie animalis: Quod etiam patet ex eo, quod

quod ait in fine textus, fœtum non simul fiet & animal & hominem : nec animal & e quum.

Quoniam vero Aristoteli quis obiicer posset, rationi magis consonum esse, deter minare prius, nunquid in fœtu & semine ani ma insit vegetalis, quam eandem quęstionen habere de sensitrice, quum sensitrix sit vege tatrice posterior : Respondet, immorandun sibi non esse in hoc problemate de vegetal anima, quoniam illam à semine vel iure ne mo abdicauerit, aut à conceptu : quod et quoque argumento demonstrat, quo aper tum quum sit, quicquid vegetales edit opera tiones, necessario vegetali anima pollere quippe actiones vitæ citra animam adinueni ri in aliquo, est impossibile : vti cæterarum v namquamque absque illo, à quo pendet, ob iri est improbabile : Quum autem semini vi insit prolifica, & conceptus animalium nihi lominus, quam plantæ viuant, nutriendo se se, ac augendo: & quoniam propagatio sobo lis actio existens peculiaris eius facultatis quæ in semine est, non minus inter vegeta tricis animæ operationes connumeranda est quam nutritio & augmentatio : necesse es asserere tum semini, tum etiam conceptu inesse animam vegetalem : quam primam o mnium in eo haberi admonet iis de causis

2. de an. t. 34.

qua

quas alibi se retulisse ait, vbi demonstrat, animam vegetalem esse omnium primam, hoc est, ante cæteras gigni in conceptu, quia omnium est communissima: mos est enim hic naturæ proprius, à communioribus & imperfectioribus exordiri, ac progredi ad minus communia & perfecta magis: Est autem vegetalis anima omnium tum imperfectissima, quia omnis prorsum est cognitionis expers, quum aliæ omnes aliquam vim cognoscendi habeant: tum communissima, quia in omni viuentium genere reperitur, quum sentiens denegetur plantis, rationalis vero & plantis, & brutis vniuersis.

Subdit hinc Aristoteles, animam sensualem, qua fœtus fit animal, non simul cum vegetali in conceptum recipi, sed procedente tempore: posteriusque adhuc vlteriori tempore itidem suscipi asserit in conceptum animam rationalem, qua ipse fit homo: idq; non solum certum esse ait sine alia probatione, sed confirmare conatur duplici ratione: Et prima, quoniam conceptus humanus, quum sit animal merito animæ sensitricis, & homo beneficio ratiocinatricis: quumque is idem fœtus non sit simul, & animal, & homo, sed animal prius, homo deinceps: Certum iam est, sensualem animam, quam probauerat alibi, in conceptum recipi post vegetalem, priori 2. de an. t. 34.

tempore in fœtum ſuſcipi, quàm rationalem. Minorem vero huius rationis propoſitionem non ſolum in homine verificari ſcribit, ſed in equo, & in cæteris quoque animalibus, nempe quod animal quoduis, dum generatur, vegetalem prius animam ſortitur, poſteriori tempore ſenſualem, poſtremo autem illam, qua mediante in propria ſpecie determinatur & conſtituitur: quamuis huius ordinis nunc rationem non aſſignet, quæ eſt ſeruata methodus à natura in ſuis operibus progrediente, vt nuper diximus, ab imperfectis ad perfectiora ſemper, & à communioribus ad minus communia.

Altera vero ratio eſt, quia finis ad effectum vltimo poſt omnes cauſas alias accedit: pro-
2. phyſ. t. 74. prium autem, hoc eſt, propria ſpecificaque forma cuiusque rei, quum ſit finis, ſeu terminus, ad quem tendit generatio eiuſdem entis; illa huic dubio procul contingere debet poſt omnes alias, non ſolum cauſas, verum & formas, ſi quæ ſint ipſi cum rebus aliis communes: merito itaque in generatione hominis ratiocinatrix anima, quæ hominis eſt propria ſpecificaque forma, conceptui vnitur poſt cæteras omnes, vegetalem nempe ac ſenſitricem, quibus cum animalium plantarumve genere vniuerſo cõmunicat humanũ genus.

His liquido conſtare puto apud Ariſtote-

lem,

em, quod antea quoque adnotauimus, animam humanam non esse simplicem substantiam, sed formam ex rationali anima & irrationali constitutam, quum irrationalis pars animæ humanæ ex vegetali & sensitrice anima pariter componatur, quicquid senserit vel Io. Grammaticus, vel etiam D. Thomas,

Et hæc de primo contextu. Iam nunc secundum explicaturi, primum videamus eius expositiones ab aliis inuentas.

Cap. XXXVI.

Proponitur quædam secundi textus expositio, qua dicunt aliqui, Aristotelem in eo probare, animam sensitricem non oriri à parentibus mediante semine.

Qva in re aliqui in secundo contextu verba illa, *Itaq; extrinsecus ea venire impossibile est, neq; cum corpore : semen enim excrementum alimenti mutati est* : ita interpretantur, vt velint Aristotelem per ea probare animam sensitiuam fœtui non posse contingere à parentibus ; quia id fieret mediante semine, quod vel ab iis acceptam animam sensualem conceptui communicaret, vel ea mediante alteram sui generis in Embryone produceret : at vero id omne præsupponit semen esse animatum, & animatum

anima sensitrice: quod tamen falsum est omnino; quoniam semen, quum excrementum sit, indignum est, cui coniungatur præstantior natura sentientis animæ: idque non immerito, quippe Natura, quæ nihil nisi cum summo ordine, maximaque proportione efficit; quinimo quæ eadem ex Aristotelis testimonio est perfectissimus ordo; non consueuit vnquam res ita dissitas, atque sic discrepantes essentias adinuicem connectere, ac in vnum componere.

CAP. XXXVII.

Refutatur dicta expositio, monstrando ex Aristotele, animam sensualem inesse fœtui à parentibus, mediante semine, & hoc non esse indignum, cui associetur talis anima.

PORro sic dicentes, non semel habent Aristotelem sibi reclamantem, & primum quidem hic, dum scribit, solam mentem fœtui extrinsecus aduenire: nam si sensualis anima non prodiret à parentibus, procul dubio forinsecus inesset ab externo agente: Deinde vbi apertissimis verbis ait, marem fœtui tribuere animam sensualem, aut per se, aut per genituram.

Adde, quod secus falso vteretur fundamento Aristoteles, si (quod aiunt aduersarii) nunc probaret, parentes non posse indere con-

conceptui animam sensitricem mediante semine, propterea quod semen excrementum est, quare non potest subiici animæ sentienti, quæ sibi proportionatam magis, ac longe præstantiorem materiam postulat: nam primo loco ipsi demonstrandum erat, semen vere ac proprie dici posse excrementum: id enim fructus nomine potius, perinde & lac, donandum est, quam excrementi, vt suo loco monstrabitur: quod si id ea ratione excrementum vocat, quia eius materiale principium est id, quod supereſt tertiæ coctioni, quæ vltima est in nutritione singularum partium nostri corporis, eadem ratione profecto & sanguis redundans nutritioni hepatis, & fructus, quorum origo est ex alimento, quod supereſt nutritioni totius arboris, vere ac proprie vocari excrementa deberent: quod tamen fieri nequit sine maximo abusu vocis excrementi.

Præterea, si non raro in corporibus humanis ex fœdissima & putrida alui excrementorum colluuie vermes gignuntur, quos lumbricos appellant: si ex menstruo ipso fæculentoque sanguine in vtero produci potest viuens illud carnis frustum informe, quod Mola dicitur: si denique ex aliis quoque excrementis, & intra & extra homiuem, eiuscemodi alia quamplurima insecta oriuntur,

quibus omnibus ineſt anima ſenſualis; quanto magis ſemini, cui ex puriori ſanguinis portione eſt origo, animam ſenſitricem ineſſe eſt aſſerendum.

CAP. XXXVIII.

Reſpondetur ad obiectam rationem, declarando, quomodo Natura ſoleat inuicem connectere res valde diuerſas.

ILlud autem, quod pro ſuæ opinionis confirmatione adducũt aduerſarii, dicẽtes, propterea genituræ ac ſemini, quod excrementum eſt, recte ab Ariſtotele interdictam fuiſſe animæ ſenſualis eſſentiam præſtantiorem, quia nunquam ſoleat Natura res valde ab inuicem differentes in vnum componere, atque aſſociare; tenue eſt fundamentum: nam ſicuti verum eſt, Naturam res maxime diuerſas adinuicem non coniungere ſine medii cuiuſpiam interuentu: ita veriſſimum eſt, eam id præſtare beneficio mediæ alicuius eſſentiæ, quæ vtriuſque extremi naturam ſapiat: Hoc enim modo apud Ariſtotelem natura comparatur, vt ipſum menſtruum ſemine longe imperfectius, participatione animæ vegetalis, quam à ſemine maris ſuſcipit tempore conceptionis, fiat idoneum ſuſceptaculum animæ ſentientis, & huius participatione poſtea euadat ſimiliter aptum, cui adiungatur

tur omnium animarum perfectissima rationalis.

Cap. XXXIX.

Affertur alia eiusdem textus expositio ex Pomp. & Alexandreis, dicentibus, in hoc textu Aristotelem nomine Mentis intelligere non partem animæ humanæ, sed mentem diuinam, cuiusmodi est intellectus agens.

SEd & illa in eodem textu verba: *Restat igitur, vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*, ita interpretatur Pomp. & alii grauissimi Philosophi de mente Alexandri, vt velint, Aristotelem hic nomine Mentis non posse intelligere animam rationalem, quæ est forma hominis specifica: quandoquidem animæ ratiocinatricis operationes apud Aristotelem scribentem, tum opus esse intelligentem phantasmata contemplari; 3. *de an. t.* 39.
tum quoque intellectum, qui aut phantasia est, aut non sine phantasia, non posse à corpore separari, neque quantum ad esse, neque quantum ad agere: non possunt esse sine corporeo famulatu, seu sine instrumenti corporalis ministerio: at vero sub nomine Mentis intelligit Philosophus mentem cœlestem seu diuinam, quæ est Intellectus agens ab Aristotele nuncupatus; huncq; asse- 1. *de an. t.* 12. 3. *de an. t.* 19.

uerant reuera, non partem aliquam animæ humanæ, sed esse Deum Optimum Maximum, vel etiam quempiã alium intellectuũ superiorum, extrinsecus nobis accedentem nostræ intellectioni opitulaturum, quæ in nobis sunt phantasmata à rebus sensibilibus ministerio sensuum externorum ad phantasiam transmissa colluſtrando, ex iisque illuminatis naturam vniuersalem, quam appellant speciem intelligibilem eliciendo, vt de illa nostri animi potior pars intellectus possibilis appellatus proprium conceptum formans, quidditatemq; rei à tali specie intelligibili significatæ, ceu speculum quoddam repræsentans, intellectionem edat, quæ est omnium actionum humanarum præstantissima.

CAP. XL.

Expenditur hæc expositio, & probatur, Aristotelem hic nomine mentis non posse intelligere mentem diuinam, sed necessario intelligere partem animæ nostræ rationalem.

VErum & hi absunt à mente Aristotelis hoc in loco, quod & modus ipse loquendi, quo nunc vtitur Aristoteles, & ratio apertissime demonstrant: nam scribens ipse Philosophus ita: *Restat igitur, vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit. Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*: hanc senten-

ſententiam manifeſtiſſime colligere videtur tanquam concluſionem ex ſuperioribus: Etenim vim habent illatiuam verba illa: Reſtat igitur: quum autem nullus in concluſione terminus eſſe queat, qui nõ præfuerit in præmiſſis: profecto hîc nomine mentis nihil aliud ſignificare potuit Ariſtoteles, quam aliquid eorum, de quibus ſupra: at vero ſupra in textu nihil eſt, quod nomine mentis gaudere poſſit, niſi anima rationalis, qua dicit fœtum eſſe hominem, quamque mox ait tum poſt vegetalem, ſenſualemque in fœtum recipi: tum eſſe proprium hominis: tum etiam eſſe finem, ac terminum ad quem tendit hominis generatio: tum denique eſſe in fœtu, antequã is eius animæ officio fungatur, potentia, pari modo ac anima vegetalis in eodem habetur potentia antequam ipſe cibum trahat, & officio eius animæ fungatur: modo quum nullus intellectuum ſuperiorum ſit anima rationalis, qua proxime fœtus ſit homo: conceptui accedat in vtero degenti poſt vegetalem, ac ſentientem: ſit homini propria, ſpecificaque forma: ſit finis, ac terminus ad quem in generatione hominis: ſit de mente Alexandri in fœtu, antequam intelligat, in actu primo, ſeu in potentia ſecunda eo modo, quo fœtui in potentia ineſſe oſtendit Ariſtoteles animam vegetalem, antequam cibum trahat, & alias

vegetales operationes edat: sed bene omnia ista sigillatim conueniant animæ rationali, q̃ vocat Alexander intellectum possibilem, seu materialem: necessario cofitendum est in hoc textu Aristotelem nomine mentis nobis significare intellectum humanum, quem nuncupant possibilem, non intellectum diuinũ, quem Alexander dicit esse intellectũ agentẽ.

Amplius, liquido constare puto hîc in fine textus, vbi ait: Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, Aristotelem determinare propositam sibi ab initio textus quæstionem de mente, dum dixit: *De mente etiam quoniam tempore, & quomodo, & vnde etiam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur: sed enitendum pro viribus, & quoad fieri potest accepisse operæpretium est:* alioqui promissis non staret Aristoteles pollicitus se hoc indagaturum: quum nusquam alibi in hoc, vel in sequentibus capitibus id quęsitum determinet: quare hîc nomine mentis idem significare debet Aristoteles, quod superius sub eodem nomine: verum ab initio textus per mentem significasse animam, substantialemque formam hominis, non Deum, aut quemuis alium intellectuum superiorum, multa sunt, quæ doceant: Primum est, quod ait Aristoteles non esse manifestum quo tempore talem mentẽ recipiant, quæ illam participant: quum tamen

men Alexandro clarum sit intellectum agentem cuique aduenire eo tempore, quo primũ incipit intelligere: atque apud Aristotelem incipiamus intelligere posteaquam orti sumus, sedatis corporis perturbationibus, ac generationis tumultu. 7. Phys. t. 20.

Deinde, quando sibi inuestigandum proponit Aristoteles quonam tempore mentem recipiant quæcunque eam participant, supponere videtur omnes homines à sui constitutione eodem tempore mentem suscipere: hoc autem non est suscipere intellectum illũ, qui nobis non aduenit nisi in prima nostra intellectione: quum nõ omnes eodem tempore ab ortu incipiamus contemplari, sed alii prius, alii posterius, iudice vel Aristotele, cui non incipimus intelligere, nisi sedatis perturbationibus, quas in aliis citius, in aliis vero tardius sedari sensus ipse docet.

Amplius, id quod ait Aristoteles plurimũ dubitari quomodo, & vnde nobis adueniat mens: nam si hæc est aliqua intelligentia superior, nulli dubium est, imo cuique notissimum eam non posse nobis advenire, nisi extrinsecus, non à parentibus, ac nullo mediante corpore: quum itaque vel cuiuis idiotæ apertum sit mentem diuinam fœtui non aduenire à Parentibus, cur tantopere laborat Aristoteles in demonstrando mentem fœ-

fœtui extrinsecus accedere éo quia actiones habet corporei famulatus non indigentes si nomine mentis, non partem aliquam animæ humanæ, sed superiores intellectus significat.

Vlterius, non potest hoc in loco agere Aristoteles nisi de illa mente, quæ accedit fœtui adhuc in vtero degenti: quum de conceptu nunc sermonem habeat Aristoteles, qui nondum est separatus, seu nondum in hanc lucem editus, quod fusius fuit monstratum superius: Itaque intellectus agens apud Alexandrum aduenies hominibus non antequam actu intelligant (quod ex Aristotelis testimonio, & ex ipsa experientia non præstant nisi extra vterum in lucem orti) nõ potest esse ille, de quo nunc tractat Aristoteles sub nomine mentis: sed vere intelligit animi nostri partem rationis, mentisque participẽ, dum scribit in præsenti Aristoteles solam mentem, inter alias animæ humanæ partes, fœtui extrinsecus aduenire, eamque solam inter easdem esse diuinam eo potissimũ nomine, quia eiusdem operationes non obeãtur interuentu, aut ministerio corporei instrumenti, vt euenit de aliarum omnium animæ nostræ partium operationibus vniuersis.

CAP.

Cap. XLI.

Pomp. & Alexandri ratio illa iam pridem putata insolubilis exactißime expenditur, & ad hominem retorquetur, monstrando intellectū humanum ad speculandum non vti corpore.

QVod autem pro sua opinione afferre putant argumentum validissimum dicentes apud Aristotelem, si intelligere, quod est propria intellectus nostri operatio inter cæteras alias, vbi verum sit eum habere aliquā actionem, aut passionem non communem corpori: si (inquiunt) intelligere aut phantasia est, aut non sine phantasia, nō poterit hoc opus esse sine corpore: quum autem alibi apertissime fateatur Aristoteles intellectum hominis, qui est anima ipsius, quum speculatur necessario cum phantasmate contemplari: satis apertum est intellectum humanū non habere vllam actionem corporeo famulatu carentem: ac propterea hîc, dum scribit Aristoteles mentem solam fœtui extrinsecus aduenire, eamq; solam esse diuinam eo quia cū actione illius nihil communicet actio corporalis, nomine mentis nō posse significare humanum intellectum: falso id nititur fundamento quod intellectus hominis ad contemplandum vtatur organo corporeo: quia si mēs nostra intelligēdo vteretur famulatu corporeo,

1. *De an. tex.* 12. 13.

3. *De an. t.* 39.

porco, profecto quum tres tantum sint actiones mentis, quarum prima dicitur simpliciũ apprehensio, secunda compositio ac diuisio, tertia vero discursus: nullaque harum obeatur ope corporis: fatendum necessario actiones mentis fieri citra corporis interuentum: quod autem secunda, & tertia mentis actio fiat sine organo corporeo, ideo probatur; quia tale instrumentum nullum aliud esse posset nisi phantasia, aut quiuis alter sensus organo affixus: at vero quum discurrere, cõponere, atque diuidere conueniant homini vt homo est, specie distinctius à quocunque alio viuente, sintque ideo actiones intellectus quatenus à sensu quolibet, ac ab omnibus aliis rebus distinguitur: quippe homo ab aliis animalibus distinguitur intellectu, sensu autem quolibet cum natura animalis, siue cum brutis conuenit: non potest profecto mens in discursu: aut in secunda sui operatione vti phantasia, & omnino instrumento corporeo.

Auer. 3. de an. com. 61. Potest quidem phantasia intellectum discurrentem interpellare, nunq̃ vero illi opem ferre tanq̃ instrumentum, vt mox ostendetur.

Quod vero & prima mentis actio, quę est simplicium apprehensio, non efficiatur mediante phantasia, ac omnino interuentu organi corporei, non vnum est quod doceat: si enim

enim mens noſtra, dum intelligit, corporeo famulatu vteretur: id profecto contingeret, quia ad intelligendum phantaſmatibus indigeret, quæ ſunt materialia, & corporea: at vero mens non ſemper phantaſmate vtitur: neque quando eo vtitur, ipſum intelligit: Neque illud intelligendo corporeis inſtrumentis nititur: Primum ideo patet, qa multa ſunt intelligibilia, de quib. format mens noſtra conceptus, quorum nullum eſſe poteſt ſimulachrum in phantaſia, vti ſunt immaterialia omnia, & præſertim ipſamet anima hæc enim ex ſui ipſius in ſemet conuerſione, dum ſeipſam intelligit, actionem ſibi comparat ſine corporeo famulatu: alioqui inter ipſam cognoſcentem, & eandem cognitam mediaret inſtrumentum: quod eſſe nullo modo poteſt.

Liquet idipſum & eo, quia ex Ariſtotele intellectus poſſibilis, cuius actio, non circa phantaſmata, ſed verſatur proprie circa ſpeciem intelligibilem è phantaſmatibus eductam miniſterio intellectus agentis: intellectus inquam poſſibilis, ſimul atque ſingula factus eſt, ac ſciens, per ſeipſum contemplari poteſt ſine opera intellectus agentis, quare & abſque phantaſmatibus: ita ergo dum verſatur mens circa ſpecies intelligibiles, quas habet ſibi impreſſas, quid opus habet phantaſia, 3. *de an. t.* 2.

aut

aut alio quouis corporeo famulatu ad eas de inde iterum, atque iterum contemplandas Hæ namque ſpecies intelligibiles, quum abſtractæ ſint à conditionibus materiæ, quemadmodum ſunt omnino immateriales, atque incorporeæ : ita organo corporeo, aut facultate, ſeu virtute materiali non indigent, neque vt eius beneficio ab intellectu cognoſcantur : neque vt in ea, tanquam in Promptuario conſeruentur : ſed & ab intellectu immediate cognoſcuntur, qui idcirco dicitur Ariſtoteli fieri res, quas intelligit: & in eo ſeruantur impreſſę tanquam in loco proportionato ſuæ naturæ, immateriali pariter, atq; incorporeo, qui propterea ab eodem dicitur factus eſſe ea, quorum ſpecies ſibi habet impreſſas, & locus ſpecierum.

Ibid. 3. *De an. t.* 6.

Secundum quoque manifeſtum eſt, nempe; quod vbi mens vtitur phantaſmatibus, ea non intelligit: nam mens eo nomine phantaſmata poſtulat, vt ex eis educat ſpeciem intelligibilem, quæ vere ſtatuitur mentis obiectū; at vero ſpecies elicitur è phantaſmatibus citra eorum intellectionem: quia intellectus agens, qui ex ſe nihil intelligit, ceu lumen depurans ipſa phantaſmata à conditionibus materiæ, quas indiuiduales appellant, hic, & nunc, detegit latentem in eis naturam, in qua omnia illa conueniunt, quam apparentē ſtatim

tim percipit intellectus possibilis nuncupatus ex se sine opera vllius instrumenti; perinde ac speculum, statim ac ob præsentiam luminis illustrata fuerit ex se latens in tenebris imago quælibet, eam repræsentat sine ministerio vllius organi externi.

At vero quia forrasse intellectus agens reipsa idem cum possibili (ab eo enim sola ratione distinguitur) non alio modo potest educere speciem intelligibilem de phantasmatibus, nisi comparando illa ad se inuicem, & ita inueniendo in quo illa omnia conueniunt, quod est species intelligibilis; alioqui & Auerroes, & Themistius, qui hoc aperte fatentur, & ratio ipsa reclamat; nam secus quum posset intellectus agens illustrare non minus vnum, quam multa phantasmata, perinde ac Sol æque & vnũ, & multos colores illuminat; quippe illustrare est efficere, & efficientium quod potest multa facere, idem ex Aristotele possit facilius vnum præstare; fieret profecto vt ad eductionem speciei intelligibilis sufficeret vnum phantasma; contra tamen Aristoteles ait vniuersale, quod est species intelligibilis, non fieri nisi ex multis singularibus, ac omnino ex multis phantasmatibus, quę etiam haberi possunt de eodem individuo multoties sensu cognito; quum autem comparatio necessario sit opus facultatis cognitricis, vt

12. *Met cõ.4.*
1. *De an.t.8.*

1. *Post.t.43.*

vt cognoſcens eſt; ideo forte dicendum eſt & ab intellectu phantaſmata ipſa cognoſci, dum ea cõparando ex ipſis elicit naturã vniuerſalẽ.

Quapropter mõſtratur tertium, puta quod mens intelligendo ipſa phantaſmata corpore non vtatur; id autem oſtenditur tum quia id tale corporeum inſtrumentum nihil aliud eſſe dicitur, quam phantaſia: at vero actio inſtrumenti nunquam prȩcedit actioni agentis primarii, ſed neceſſario eam ſequitur: nam principale agens eſt id, vnde primum motus principium, inſtrumentum vero non tale quid eſt, quum non moueat niſi motum ab alio prius; quum ergo actio phantaſiæ, quæ eſt vel ſuſcipere ab externis ſenſoriis ſenſibilium ſpecies, vel ſuſceptas in ſe continere, vel contentas aliquantiſper deputare, eaſque ita conuertere in naturam phantaſmatis proprie dicti, vel phantaſmata intellectui agenti proponere vlterius illuſtranda, abſtrahendaque à conditionibus materiæ, tranſmutandaue in ſpeciem intelligibilem: quum inquam actio phantaſiæ neceſſario præcedat actioni mentis: quippe intellectus non verſatur niſi circa ea, quæ vel in phantaſia quieſcunt ſub ſpecie phantaſmatis, vel è phãtaſia iam translata ſunt ad intellectum ſub natura ſpeciei intelligibilis: propterea dicendum eſt intellectum, quomodocunq; verſetur circa phantaſma-

tasmata, non vti phantasia, aut vllo alio instrumento corporeo; tum quia si ad hoc vt necesse esset, animam operando vti corporeis instrumentis, sat esset quod ipsa versaretur circa obiectum corporeum, & materiale, cuiusmodi sunt ipsa phantasmata; procul dubio opus esset quoque intellectus superiores ad intelligendas suas circumductiones orbium cœlestium, aliaq; corporea quæ cognoscunt, vti corporeo famulatu; quod nemo sanæ mentis affirmare audebit. Falsum ergo est aduersariorum fundamentum, Quòd homo egeat instrumento corporeo ad edendas operationes intellectuales.

Ad argumentum verò in huius fundamenti confirmationem allatum, quod est Alexandreorum Achilles, dicimus ipsum nihil omninò concludere; nam propositio illa, si intelligere est aut phantasia, aut non sine phantasia, non erit sine corpore, potest habere duplicem sensum, prout ipsum intelligere dupliciter potest esse non sine phantasia; nam intelligere dici potest nõ sine phantasia, vel quia mens ad intelligendũ opus habeat phantasmate, quod est effectus phantasiæ, vel quia intellectus ad contemplandum vtatur ipsa facultate phantasiæ tanquã instrumento; si dicant Aristotelẽ dixisse, intelligere ipsum vbi sit aut phantasia, aut nõ sine phan-

tasia, hoc est, vbi mens nostra ad intelligendum vtatur actione phantasiæ tanquam instrumento, fieri non posse vt actio intelligendi sit sine corpore; verum dicitur in maiori; sed vbi in minori adducitur altera sententia Aristotelis scribentis intellectum, quum speculatur, necessario cum phantasmate contemplari, si accipiatur in eodem sensu, intellectum scilicet, dum contemplatur, vti phantasia tanquam instrumento ad edendam intellectionem: multifariam erratur; & primum, quia male torquentur verba textus, quæ clare significant intellectum, dum contemplatur, vti phantasmate, quod est opus phantasiæ, non ipsa phantasia operante.

Deinde quia falsum est intellectum possibilem ad intelligendum vti phantasia operante tanquam instrumento; quippe phantasiæ operatio quum præcedat actioni intellectus agentis, cui subministrat phantasmata collustranda; & ideo inter actionem phantasiæ, & operationem intellectus possibilis, quæ est ipsa intellectio, necessario mediet ipsi & Alexandro actio intellectus agentis; non potest profecto mens nostra intelligendo proximè vti phantasia operante tanquam instrumento. Id quod & duplici alia ratione confirmari potest, & prima est, quia operatio instrumenti non potest esse prior actione agentis

3. *De an. tex.* 161

gentis principalis, vt quod est id, vnde primum motus principium; instrumentum vero non agat, nisi motum ab agente primario: at actio phantasiæ prior est actione intellectus possibilis: ergo is ad agendum vti non potest phantasia operante tanquam instrumento. Altera vero ratio est, quia si mens, dum intelligit, necessario vteretur phantasia: quũ mens nostra, & substantias, & vniuersalia cognoscat: fieret profecto vt actio phantasiæ quoq; circa substantias, & vniuersalia versaretur: oppositum tamen vbique docet Aristoteles inquiens nullum sensum, quare nec phantasiam, quæ sensus est interior, posse vllo modo attingere substantias, & vniuersalia: sed hoc officium esse intellectus, prout contra distinguitur à sensu. 3. De an. tex. 161.

At si minoris allatæ (vt reuera est) sensus sit, quod intellectus ad contemplandum opus habeat non ipsa facultate phantasiæ, quæ sensus est, sed effectu illius facultatis, qui est phãtasma ipsum sensibile; non minora sequentur incommoda, & primum, quod ratio Alexandri erit ex quatuor terminis, atque ideo non concludens: quippe medium, quod est esse non sine phantasia, non item in vtraque præmissa significabit.

Deinde, si quia intellectus possibilis non potest in homine contemplari nisi cum phan-

taſmate, ſequitur illius actionem eſſe corpoream, ſeu corporeo inſtrumento indigere ad hoc vt efficiatur: pari pacto, quum & actio intellectus agentis (iudice vel Alexandro) non ſit niſi cum phantaſmate; imo quum magis actio intellectus agentis dependeat à phãtaſmate, circa quod fit ceu circa proprium obiectum, quàm actio poſſibilis intellectus, qui ea ſupponit, vt ex illis ope agentis proprium obiectum educatur, quod eſt ſpecies intelligibilis; & agentis intellectus nulla profectò actio eſſet ſine corporeo famulatu; quod tamen vbique negat Alexander.

Sin autem velint aduerſarii, Ariſtotelem in maioti ſcribentem, ſi intelligere non ſine phantaſia ſit, hoc eſt, non ſine phantaſmate, quod eſt opus, & effectus phantaſiæ: ipſum etiam non ſine corpore futurum aſſerere: & à veritate, & à ſeipſo cogetur diſſentire Alexander; à veritate quidem, quia ſi ad hoc vt neceſſe eſſet mentem noſtram habere actiones corporeo famulatu indigentes, ſufficeret eam illas edere circa obiectum corporeum, & materiale, cuiuſmodi eſt ipſum phantaſma; oporteret quoque (vt antea obſeruabamus) cæleſtes Intelligentias ad intelligendum ſuas circulationes, aliaq; corporea, & materialia, quorum cognitionem aſſequuntur, vti corporeo inſtrumento aliquo,

quo, quod tamen falsum esse omnibus est apertissimum.

A seipso autem, quoniam (vt nuper etiam adnotauimus) ipse confessus intellectum agentem edere suam operationem circa phãtasmata, ea comparando, & illustrando perinde ac Sol colores: fateri sanè cogitur eiusdem intellectus agentis actiones non edi sine interuentu organi corporei; contra tamen ipse vbique reclamat Intellectum agentem esse Deum, mentemque cælestem ab omni corpore seiunctam, operationesque incorporeas habentem, atq; immortalem.

Ex his ergò manifestum satis esse potest apud Aristotelem intellectum humanum, etsi cum phantasmate contempletur, non tamen esse aut phantasiam, aut non sine phantasia, ita vt ad intelligendum (quod est propria illius operatio) vtatur facultate ipsa phantasiæ, tanquam instrumento, ac proinde non admodum tutum habere fundamentum ad ostendendum Aristotelem tum in allato contextu sub nomine mentis, quam scribit fætui non à parentibus, sed extrinsecus aduenire, habereque actiones non indigentes corporeo instrumento, significare nobis mentẽ diuinam, atq; omnino intelligentiam sepatatam, non autem ipsum intellectum humanum; tum etiam arbitrari par-

tem animæ noſtræ rationis, mentiſque participem, eſſe penitus materialem, à corpore ipſo inſeparabilem, atque corruptioni obnoxiam, qui cum Alexandro id ex hiſce locis haurire putant.

Hactenus de expoſitione Alexandri, & Sectatorum ſuorum.

Age nunc & aliorum quorundam non multum ab Alexandro hac in re diſſentientium, aliam huius contextus interpretationem examinemus.

CAP. XLII.

Recenſetur alia huius loci explicatio ex Portio aſſerente Ariſtotelem hic nomine mentis intelligere, non intellectum potentia, qui nihil eſt antequam intelligat: ſed intellectum in actu, cuius ſolius omnis actus tum primus, tum ſecundus ab extrinſeco eſt.

Cap. 15. INter hos eſt & Portius, qui in ſua diſputatione de mente humana diuerſam valde à ſuperiori loci huius interpretationem adducit, inquiens: *Ariſt. lib. 2. de gen. an. quærens an ſemen, & conceptus animati ſint, declarat animatos eſſe anima vegetali in actu, quoniam creſcit, & augetur conceptus: nec non procedente tempore ſenſituam animam habet, poſtremo fit homo: omnesq; hæ*

Tex. 59. *animæ, puta vegetalis, & ſenſiua, habent à ſemine actum: ob id Ariſtoteles 2. de an. ait, ſenſitiui autem*

prima

rima mutatio fit à generante, quum autem generatum est, abiit iam sicuti scientia, & sentire, voluit Arist. quod actus primus ipsius animæ sensiuæ sit à generante: verum quum in lucem prodiit fœtus, à sensibilibus, excitatus habet sentire in actu. Intellectus vero potentia est datus à Natura, & à generante homine: verum quum sit absoluta, & simplex potentia, & ante ipsum intelligere nullum habeat actum, omnis actus ipsius est ab extrinseco, nempe ab intelligibili, & ab intellectu, qui dicitur agens; habet enim ab hoc primum actum, qui est vt scientia, habet & actum secundum, ipsum considerare & intelligere. Idcirco Arist. quum dixit, sola mens extrinsecus aduenit, loquitur de intellectu in actu, quoniam omnis actus eius est ab extrinseco: ab intrinseco autem est nuda illa potentia nullum habens actum. Nec id dixit de sensu, quoniam ipsius primus actus est à generante, & solum sentire extrinsecus aduenit ab ipsis sensibilibus. De intellectu ergo ait solam mentem extrinsecus aduenire, quoniam omnis eius actus, vt diximus, prouenit ab intelligibilibus exterioribus, & ab intellectu agente.

Et paulo post in eodem capite subiungit dicens:

Hic Arist. loquitur de anima vegetali in actu, quam habent intra vterum semen, & conceptus. Et quoniam vbi in lucem prodiit infans, iam habet sensum in actu, ob id dixit, procedente tempore, nā si in vtero habent aliquem sensum, vt extensionem, & contra-

ctionem, eum tamen non obtinet vt animal, sed vt pars animalis. Est enim pars matris fœtus, dum est in vtero, nec proprie vt animal per se mouetur, licet videatur pars animata, vt Græci interpretes notarunt. Quum igitur de vegetali, & sensitiua anima dixisset, quod vna sit in semine, quodque sensiua sit in potentia, simili ordine & de ipsa mente loquitur; dicens in actu ab extrinseco nobis accedere multo post tempore. Sunt quidem omnes istæ partes animæ, ceu facultates, in semine, & in conceptu, non tamen vt actus. Et quamuis infantes dicantur homines, attamen quia non habent vsum rationis, ob quem homo dicitur perfectus, & vere homo, Arist. ait eos primo esse animalia, & postea homines, non enim erat illi animus loqui de facultatibus, quoniam habent omnes facultates, sed de operibus, à quibus denominantur res in actu; equus enim quum non fungitur suo officio, non dicitur vere equus, & de aliis sic quoq; censendum est.

Postea longa oratione interposita, in eodem capite ait:

Hinc quæstioni satisfacit Arist. dicens quod sola mens extrinsecus nobis adueniat; quoniam cum eius energia, vt puta, ipso intelligere, non communicat actio corporalis, & per actionem corporalem intelligit eam, quæ obitur organo, & qualitate corporea. Hinc aperte habes, quod per mentem intellectum actu intelligit, qui quidem ante nō præexistit, quoniam ante ipsum intelligere nihil est, id est, nullum habet actum,

actum, sed eius essentia est potentia pura, nec eius actus est in semine viri, aut menstruo; Proinde tota eius essentia, totũ esse nobis accidit extra genituram, eiusq; causa est lumen diuinum, & magister ordinans phantasmata. Actus autem animæ sensiuæ est ab interiori, & est à generante, & non præest antequam generetur. Verum anima vegetalis quum sit cæteris imperfectior, in semine, & in conceptibus est actu: tamen quoniam non operatur, vt quum animal iam vterum est egressum, sumitque alimentum ab alio per os, & proprio instrumento: ob id Arist. dixit eum esse in potentia. Mentem autem humanam, quum omnem actũ habeat à causis, quæ sunt extra genituram, solam excepit dicens extrinsecus aduenire: addita ratione, qua probauerat non posse alias animas actu præesse ante generationem, quoniam actus suus est separabilis à corpore. Quum ergo mens nihil sit antequã intelligit, de ipsa non cadit quæstio, an præsit actu antequã generetur, quia essentia sua, & sua substantia sequitur generationem, in genitura vero, & conceptu solum est potentia, perinde ai q; in infantibus, quamdiu vsu rationis carent. Id quod aliqui confirmant etiam ex ipsomet Aristotele alicubi scribente *Animam hominis in puerili ætate nihil à belluarum anima differre prope dixerim.* 8. De gen. an. c. 1.

Quæ omnia, vt summatim dicam, huc tandem tendunt, quod quum circa naturam cuiusque animæ duo actus reperiantur, primus, qui est animæ ipsius essentia formaque

substan-

ſubſtantialis eius, quod animam obtinet: & ſecundus, qui eſt primi operatio, & accidens; cenſet Portius, quod pertinet ad animam vegetalem, illius actum fœtui ineſſe à principio intrinſeco; primum quidem ab homine generante, ſecundum vero tum ab eodem, à quo ſuſcipit alimentum per vmbilicum tanquam pars eius, tum ab ipſo alimento intrinſecus aſſumpto.

Quod autem ſpectat ad animam ſenſualem, iudicat eius actum nobis impertiri partim ab intrinſeco, vtpote actum primum à generante, ſed poſt vegetalem procedente tempore, dum orimur, partim ab extrinſeco, nempe actum ſecundum ab externis ſenſibilibus poſteaquam editi ſumus in lucem extra vterum.

Quod tandem pertinet ad animam rationalem; putat ipſius actum omnino pendere ab extrinſeco, primum quidem à lumine Diuino, qui alio nomine dicitur intellectus agens, multò poſt ſenſualẽ, ac non antequam intelligamus, ſiquidem intellectus potentia nihil eſt; ſecundum vero tum ab eodem intellectu agente, qui Deus eſt, tum ab ipſis intelligibilibus exterioribus. Atque ideo, quum omnis actus, totaque eſſentia mentis noſtræ ſic pendeat ab extrinſeco agente, recte hoc in loco inquit Ariſtoteles ſolam mentem nobis extrin-

extrinsecus accedere, nam sensitiuæ animæ actus primus ab intrinseco est, licet secundus ab extrinseco; vegetalis autem tum primus, tum secundus, vt diximus, ab intrinseco.

Cap. XLIII.

Confutatur Expositio Portii demonstrando verius quodnam sit id, vnde prodeunt actus cuiusque animæ & intellectum, quem vocet potentia, non esse nihil antequam intelligat, neq; à Natura, quomodo ipse ait.

VERVM si rem intimius contemplemur, reperiemus profecto hæc omnia, & à doctrina Aristotelis, & à ratione longe abesse; Nam, vt inciplamus ab anima vegetali, seu potius ab anima in vniuersum, falso inprimis illud asseritur actum secundum proxime prodire tanquam ab efficiente, vel ab obiecto, circa quod versatur, vel ab eo, à quo nascitur actus primus; vel etiam ab eo, à quo suscipit obiectum, etsi enim verum est quod dat formam, dare quoque consequentia formam; vbi tamen quæritur agens proximum operationum animæ, non nisi actus primus assignari potest, alioqui recte animam non definiisset Aristoteles esse principium, quo primo viuimus, nutrimur, augemur, loco mouemur, & intelligimus; neque bene dixisse

2. De an. tex 24. 8. Physi. 17.

xisset animalia moueri à seipsis, non à generante, si illorum actus, ac operationes potius ab illo proditent, quam ab actu primo.

Deinde perperam interpretatur Aristotelem dum inquit animam sensualem, qua animal est, in conceptum recipi post vegetalem procedente tempore; hoc est, dum orimur, quia dum in vtero essemus, non ceu animalia, sed tanquam partes animalis, fungeremur officiis animæ sensitricis, tum quia id satis confutatum est in superioribus, tum quia similiter dicendum esset de anima vegetali, quod quum in vtero nutriamur vt partes corporis materni beneficio animæ maternæ, non propriæ, qua non gaudemus nisi dum nascimur, quo tempore & sensualem acquirimus, nimirum anima matris quoad gradum & vegetalem, & sentientem diuisa in partu ad diuisionem subiecti, eam distinctam non haberemus à materna nisi dum orimur simul cum sensuali, non ante illam, quod tamen ipse Aristoteli concedit.

Quod præterea dicit Aristotelem hîc tres quæstiones proponere, quarum tertiam, quæ est de causa efficiente animæ tum vegetalis, tum sentientis, tum rationalis, determinando, simul ac aliis satisfaciendo dicere solam mentem extrinsecus fœtui aduenire, quia omnis eius actus, tum primus, tum secundus

cũndus est ab extrinseco, aliæ autem animæ ab extrinseco agente vel nullum habent omnino actum, vt vegetalis; vel secundum solummodo, vt sensualis; cuius actus secundus est ab externis sensibilibus, duos habet scrupulos; primus est, quod male sensibilia externa dicuntur causæ effectrices sensationum, quum tamen illa moueant potentiam sensitiuam, & omnino actum primum vt finis, ac propterea metaphorice, non proprie vt efficiens mouet materiam; Alter est, quod nihil prohibet primas sensationes in nobis fieri ab obiecto intrinseco, vtpote ab aliqua causa dolorifica intra corpus ante omnia sentiamus dolorem dum nascimur, & antea quoque, & ita non semper actus secundus animæ sentientis fit ab obiecto sensibili extra corpus. 1. *Degen. tex.* 55.

At vero & circa animam intellectiuam illud primo adnotamus valde differre actũ ab eo, quod est in actu, ac proinde non idem esse intellectum in actu, & intellectũ, qui est actus, nam intellectus vt actus est, dicitur animæ essentia secundum se abstrahens ab operatione, at intellectus in actu est eademmet animæ substantia dum operatur, omnis enim forma secundũ se considerata dicitur actus, at eadem contemplata vt aliquid operans, dicitur in actu, quum autem operatio proficisca-

ficiscatur ab actu, tanquam à sui causa effectrice, ideo fit vt intellectus prius sit actus deinde in actu, præter hæc autem nomẽ actu potest adaptari ad ipsam operationem intellectus, quæ accidens est, ac dicitur actus secundus; Ex his habeo trifariam accommodari nomen actus ad intellectum; est namq; actus primus, & est non actus mentis, sed mens ipsa secundum se, non vt operans; & actus mentis puta operatio; & est mens in actu, nempe intellectus intelligens, atque operans.

His ità prælibatis quærendum est à Portio, quid intelligendum sit nomine intellectus possibilis, quem commentus est Aristoteles alibi, & hic appellat Portius intellectum potentia, necessario enim asserendum est intellectum hunc potentia vel nihil aliud esse quam potentiam primam, quæ est ad actum primum, vel potius dicendum intellectũ potentia esse actum animæ primum, qui dicitur potentia secunda, si primum, male Portius primo loco inter intellectum potentia, qui est illa propensio animæ sentienti insita à Natura ad recipiendum actum primum, seu essentiam animæ rationalis, & intellectum in actu, qui est mens operans, medium non posuit intellectum in habitu, qui est actus primus; male secũdo loco Aristoteles dixit hunc intellectum potentia nil esse actu antequam intel-

3. De an. t. 17

3. De an. t. 5.

intelligat; nam oporteret antequam operaretur, suscipere actum primum, siquidem Aristoteli, vt infra ostendetur, inter potentiam primam, & operationem, quæ est actus secundus, necessario intercedit actus primus; vnde talis actio prodit; qui actus primus vel est ipsa potentia secunda, vel eius fundamentum; omne namque agens agit prout est actu, nec pura potentia quidquam operari potest.

Si vero per intellectum potentia intelligat aduersarius actum primum, qui est substantia animæ rationalis; quum talis intellectus apud Portium nobis insit à Natura, non ab extrinseco; fieret vtique vt sola ipsius operatio esset ab extrinseco; quare in hoc conuenirent anima sensitiua, & rationalis, vt vtriusque actus primus esset à generante, secundus vero ab extrinseco; & sic non sola mens, sed & anima sensualis extrinsecus pariter accederet, secus ac scripserit Aristoteles, & opinetur Portius.

Amplius & illud ab Aristotele multum dissentit, quod aiunt aduersarii animæ rationalis tum primum actum, tum quoque secundum sortiri homines in lucem iam editos, ab extrinseco agente; quod est & obiectum ipsum intelligibile, & intellectus agens nuncupatus, nam si actus primus, qui est for-

ma ſubſtantialis, qua homo eſt homo, nobis accederet, non à principio dum in vtero degimus, ſed iam ortis, dum prima opera intellectus agentis incipimus contemplari, ac intelligere, profecto accepto ſcientiæ à principio eſſet generatio, non enim generamur niſi quum propriam, ſpecificamque formam adipiſcimur, cuius tantum potentiam habebamus, non actum: At verò ex aduerſo monſtrat Ariſtoteles, acceptionem à principio ſcientię in pueris non eſſe generationem animæ rationalis, neque eiuſdem alterationem.

7. Phyſ. t. 20.

Quod autem neque actus ſecundus, qui eſt ipſum intelligere, perficiatur (quod aiunt) acceſſione formæ exterioris, ſeu pendeat ab obiecto externo, quare ſola mens dici poſſit extrinſecus aduenire, apertiſſime habetur ex Ariſtotele hoc potiſſimum diſcrimen ponente inter actionem ſenſus, & actionem mentis, quod ſentire, ſeu ſenſationis cauſſæ effectrices ſunt externa ipſa ſenſibilia, at ipſius intellectionis cauſæ ſunt internæ, rationem aſſignat, quia quæ mouent ſenſum ad ſui cognitionem non niſi ſingularia ſunt, quæ actu ſunt extra nos; at obiecta intelligibilia vniuerſalia ſunt, quorum ſedes eſt in anima, quapropter aliud ex his diſcrimen emergit inter ſenſum & intellectum, quod hic quum habeat ſua obiecta præſentia, & intra animam,

2. De an. t. 59. 60.

mam, potest idcirco homo intelligere ad placitum; at non potest ad libitum sentire, quippe sensui non semper sunt præsentia obiecta sensibilia. Ex his ergo liquet apud Aristotelem actiones mentis non indigere obiecto externo, ita vt sola mens ad sensus differentiam propterea dici potuerit extrinsecus aduenire, nam multo magis ita extrinsecus aduenit ipse sensus, vt qui vere fiat à causa externa.

Sed quod ait Aristoteles sensibilia externa esse causas effectrices sensationum, & vniuersalia intra animam mouere intellectum ad ea intelligenda, recte accipiendum est, nam circa mentem quum intelligibilia se habeant ad intellectum tanquam finis, cuius gratia mens operatur, finis autem agat, ac moueat efficiens ad opus non nisi metaphorice; ideo non est arbitrandum obiecta esse proprie causas effectrices intellectionis; Ita dicendum est de obiectis sensibilibus, si referantur ad potentiam, facultatemque sensitiuam, sed quoniam sensitrix potentia ad sentiendum vtitur organo corporeo, ita vt sensitiua facultas non excitetur ad opus, nisi facta passione in sensiterio ab externo sensibili, ideo tale obiectum relatum ad sensorium, quo anima vtitur ceu instrumento, dici potest aliquo pacto causa efficiens sensationis. Sed hæc obiter. 1. De gen. t. 55

Præterea, & illud ſuſpectum eſt, quod ait Portius hominem vere hominem non eſſe niſi vbi humanas actiones edat; ſimiliter vere equum eſſe non niſi id, quod equi officio fungitur; & in aliis eodem modo, etenim multum intereſt inter operari cuiuſque rei, & eſſe ipſius, licet autem idem vbique principium ſit, quo quid eſt; & quo quid agit; hoc tamen eo prius eſt, quam operetur, conſtat namque res primo eſſe id, quod ſunt, deinde operari id, quod poſſunt, quare & nos prius eſſe homines, quam humanas operationes edere poſſimus, alioqui ſi ob id, quia edimus actiones humanas, homines eſſemus, agere prius eſſet ipſo eſſe; ideoque vel ageret id agens, quod non eſt, vel agens ageret quatenus eſt potentia; quum tamen vbique doceat nos Ariſtoteles quicquid operatur, agere quatenus eſt actu, non autem quatenus eſt potentia.

Vlterius quum eſſe homo, & eſſe animal ſit eſſe ſubſtantiale, quomodo poteſt id ab actione pendere, quæ eſt accidens?

At vero nonne tandem animaduertit Portius Ariſtotelem ſupra apertiſſimis verbis ſcribere fœtum eſſe animal per animam ſenſualem, & hominem per rationalem, non autem per earum operationes?

CAP.

Cap. XLIV.

Portii argumenta diluuntur, ostendendo fœtum in vtero tum alimentum suscipere non solum per vmbilicum, verum etiam per os: tum primo quadragenario sortiri animam & sensualem, & rationalem: necnon declarando obiectam Aristotelis sententiam, puta, mens nihil est antequam intelligat.

Sed neque rationes, quibus suam ille opinionem roborat, necessitatem habent. Quod enim primo loco ait fœtum apud Aristotelem habere animam vegetalem, dum in vtero degit, ante omnes alias, sensitiuam autem, qua est animal, in eodem recipi procedente tempore, hoc est dum nascitur, rationalem autem, qua est homo, adhuc posterius, id est, dū adolescens incipit intelligere, quia quum fœtus in vtero per venas vmbilicales à lecore matris sanguinem pro sui nutritione trahat eodem prorsus modo, quo & alia pars quælibet in corpore matris per proprias venas ab hepate materno sanguinem pro sui alimento haurire solet; atque ideo vere animal à matre distinctum non sit, sed pars animata corporis materni, fieri non potest vt is nisi ortus extra vterum habeat animam sensitiuam, quare & post natiuitatem adipiscatur intellectum, tenui nititur fundamento, quod

ex parte confutatum est supra, vbi demonstrauimus fœtum in vtero non esse partem corporis materni, sed viuens à matre distinctum, ex alia vero parte nunc potest facile refelli, primum quidem dicendo, non recte ex eo, quod fœtus in vtero per venas sibi sanguinem maternum pro alimento haurit, colligi Embryonem esse partem animatam corporis materni, nam & mola in vtero, & cancer, & excrescentiæ præter naturam, quæ non partes corporis sunt, sed morbi, nutriuntur, atque augentur sanguine per venas ad se attracto.

Adde quod falso assumitur fœtum toto eo tempore, quo in vtero permanet, nutriri solum per vmbilicum; nam etsi primis quadraginta diebus à conceptione fœtus humanus veluti massa carnis indistincta, & informis non possit nisi per venas, more partium similarium, sibi alimentum trahere, ac nutriri per tertiam coctionem tantummodo; dum tamen procedente tempore in ipso iam grandiori membra, & organa omnia humanæ naturæ necessaria efformata fuerint atque ideo tum vberiori, tum elaborato magis refrigerio, & alimento ipsi opus fuerit, quam id sit, quod per vmbilicum trahit, rationi consentaneum videtur fœtum per os etiam sibi & spiritum, & pabulum attrahere, atq; ita tunc

primam

primam etiam coctionem obire, nedum secundam, ac tertiam.

Sed huius rei apertissimum & illud est argumentum, quod ab alui fœcibus, primæ coctionis excrementis depromitur, fœcibus namque scatet fœtus dum in vtero est, non enim vllum vsum habet intestinum cœcum Vessalii, aut si mauis cum aliis intestini cœci appendix, seu lumbricus, siue vermiculus in adultis, qui eo gaudent valde quam exili, neq; in infantibus nisi dum in vtero degunt, quo tempore (vt etiam inter neotericos anatomicos obseruauit Laurentius) in eis grandior apparet, & concauus, nisi ipsum esse dicas ad excipienda stercora fœtus, quæ extra aluum pueri in vterū matris propellere tutum non erat, neque decebat, secus ergo frustra conditum fuisset à Natura tale intestinum, cuius nullum adhuc ante hunc nostrum inuenerunt vsum Anatomici, habet ergo fœtus, dum in vtero degit, fœces in intestinis, sed hæ sunt necessario excrementa, quæ supersunt primæ coctioni, quæ fit in stomacho, at in eo nil coqui potest nisi per os assumptum, alitur ergo fœtus in vtero etiam per os, non per vmbilicum solum. *Lib. 6. c. 14.*

Amplius, certum est quadragesima die ab actu conceptionis formata esse membra tum cætera omnia, tum stomachum, quem vsque

ad nonum menſem, quo tempore naſcimur, ocioſum à ſuis muneribus feriari, non eſt rationi conſentaneum, at vero actio ventriculi propria eſt tranſmutatio materiæ aſſumptæ per os in chylum.

Et eo magis fateri cogimur fœtum in vtero non ſolum per vmbilicum ſemper ſibi alimentũ attrahere, ita vt ventriculo nunquam antehac aggreſſo coctionem vllius portionis alimenti, in ortu ſtatim offeratur cõcoquendum totum alimentum, quod vniuerſi corporis & nutritioni, & augumento ſufficiat; ſed illum grandiorem factum aſſuefieri in vtero aliquid per os attrahere, & ſtomacho digerere, quia Naturæ conſuetum eſt ſemper gradatim progredi à facilioribus ad ea, quæ cum maiori difficultate fiunt.

Id vero alimentum, quod trahit fœtus in vtero per os ad ſtomachum, ſit ſanguis maternus, vel pituita per vlteriorem coctionem cedens in naturam chyli, & ſanguinis purioris pro alendo molliori conceptu; nihil enim refert quodcunque dicatur.

Sed quid non recenſeam hac in re pulcherrimum locum Hippocratis, quem tanti fecit Galenus in libello. An animal ſit id quod in vtero eſt? *Cæterum*, inquit Hippocrates, *puer in vtero comprimens labra ex vtero matris ſugit, & tum alimentũ, tum ſpiritum cordi introtrahit, vbi ſane*

Lib. de Carnibus.

sane mater respirarit; est enim hoc calidissimum in puero, & hoc calidum etiam reliquo corpori, & aliis omnibus partibus motum præbet; Colligimus hinc nos cor pueri vtero degentis, reliquumque ipsius corpus vberiori refrigerio indigere, quin & vberiori alimento, quam per vmbilicum haurire valeat; nam eidem Hippocrati corporibus calidioribus copiosiora alimenta sunt exhibenda; subdit autem loco prælle-
gato Hippocrates; *si vero quis interroget, quo-* 1. *Aphor.* 15.
modo hoc quis sciat, quod puer in vtero trahit, & sugit: illi sic respondendum est. Pueri nascuntur stercus in intestinis habentes, & vbi nati fuerint, celerrimè ventrem tum homines, tum pecora exonerant; Atqui non haberent stercus, nisi in vtero suxissent; imo neq; mammam statim, vt natum est, sugere nosset, si non in vtero suxisset. sed hac de re
infra. *Lib.* 3. *cap.* 2.

Quod vero deinde glossatur dictum Aristotelis; fœtum primum habere animam vegetalem, hoc est, dum in vtero permanet; sensualem vero in eodē recipi tempore procedente, hoc est, dum nascitur; at rationalem adhuc posterius, puta in eo iam adulto; necessitatem non habet vllam; nam fœtus in vtero permanet spacio multorum mensium, non tempore imperceptibili, ac propterea nos dicimus Aristotelem censuisse cōceptum habentem à sui constitutione ante omnia ve-

getalem animam, deinde procedente tempore, hoc est, ante quadragesimam diem ab actu
7. Hist. 3. conceptionis (quo tempore apud Aristotlem sentitur in vtero moueri) susciperе animam sensualem: qua animal est, tandem adhuc vlterius, puta quando corpus est plene organizatũ, & absoluta est actio generationis (putant die quadragisima Theologi nostri, vel paulo post) recipere animam rationalẽ, quæ est specifica, & propria hominis forma, atque ideo finis, seu terminus in generatione fætus humani, homo autem non semper est in fieri, dum in vtero permanet; sed perfectus est post quadraginta dies: inde vero in vtero permanet solum vt roborentur, ac firmentur tenella membra illius, quominus lædantur ab iniuriis externis ambientis.

3. Deant. t. 5. Quod autem deinde obiiciebat, quum mens nihil actu sit antequam intelligat;
7. Phys. t. 20. quumque homo non incipiat intelligere apud Aristotelem nisi post natiuitatem sedatis perturbationibus; merito ex illius sententia confitendum esse mentem homini extrinsecus aduenire iam in lucem edito; tollitur considerando sensum, in quo verum sit dictum illud Aristotelis; intellectus nihil est actu priusquam intelligat; quum enim intellectus intelligendo rem aliquam, dicatur fieri res illa, quam intelligit, non quidem

vere,

vere, ac proprie per transmutationem physicam; alioqui idem intellectus & substantias, & accidentia, imo & contrarias naturas quum speculetur, idem esse posset substantia, & accidens, ac sibi ipsi contrarium: sed metaphorice dicatur mens nostra fieri id, quod ipsa intelligit, hoc est, quia illius speciem, seu simulachrum induit, ac repræsentat, veluti speculum imagines rerum illi oppositarum; quum autem intellectus noster possit omnia intelligibilia contemplari, ac ita omnia fieri, opus est ipsum ex sui natura nullam in se habere speciem intelligibilem.

Quod ergo ait Aristoteles intellectu nihil esse actu antequam intelligat, bifariam exponi potest; primo vt exponit Alexander, quod nempe intellectus, antequam intelligat, nihil omnino sit actu in genere entis, sed pura potentia, non absimilis materiæ primæ; Verum sic esset falsa hæc propositio, si quidem intelligere est operatio, atque actus secundus, qui necessario præsupponit actum primũ, à quo pendeat; quare oportet intellectum in genere entis esse actum primum, & omnino aliquid actu antequam intelligat: secus enim in actione intelligendi, & promendi iudicium de obiecto intelligibili, id vnde primum principiũ motus, esset pure non ens;

quare

quare & id quod nihil est intelligeret obiecta intelligibilia; & omnino pura potentia aliquid agendo operaretur.

Deinde vero potest exponi propositio illa, quod intellectus, antequam intelligat, nihil sit actu in genere intelligibilium, quasi nondum indutam habeat vllam formam intelligibilem, ac ita non adhuc factus fuerit vllum intelligibile; quomodo reuera seipsum interpretatur Aristoteles alibi dicens: quod intellectus possibilis est potentia omnia intelligibilia, actu vero nullum, antequam intelligat; Quum autem in præsente contextu Aristoteles agat de mente, quatenus in genere entium est forma, qua fœtus fit homo: non autem quatenus per intellectionem induit, ac repræsentat naturam rei intellectæ; idcirco ex eo, quod intellectus non nisi orto iam homine intelligat, & ante intellectionem nihil actu sit eorum quæ intelligit, non potest colligi hoc in loco Aristotelem fateri mentem nobis extrinsecus aduenire non nisi posteaquam in hanc lucem orti sumus.

3. De an. t. 15

Quod tandem ex Aristotele afferebatur asserente se pene dicturum hominis animam in ætate puerili nihil differre ab anima belluarum, leue est admodum; quum enim nuper dixisset Aristoteles in plurimis cæterorum animalium reperiri vestigia morum animi humani

2. De nat. an. cap. 1.

mani, id statim ea ratione probat, quia in ætate puerili (quando scilicet mens nostra adhuc est veluti tabella rasa, in qua nondum vllus est habitus prudentiæ, aut artis, sed solum semina seu vestigia, ac propensiones ad ipsos) pene dici potest (non quod res ita se habeat simpliciter loquendo) animam pueri non differre ab anima belluarum; in qua pariter (licet latentius quam in anima hominis, & secundum proportionem ad illam) sunt vestigia artis, aut prudentiæ; hoc autem non est pueros deprimere ad naturam belluarum ipsis interdicendo animam rationalem; sed belluas prudentiores, vt apes, formicas, & id generis alias attollere ad naturam humanam, earum animam sentientem insigniendo quibusdam prudentiæ, & artis characteribus illi à natura impressis, quasi vestigiis morum humanorum.

Non est itaque satis firma huius loci interpretatio, quam commentus est Portius.

Reliquum est in præsentia vt quæcunque pro huius contextus explicatione proponuntur à Commentatore, in medium adducamus, & expendamus.

Cap. XLV.

Expositio Auerrois dicentis Aristoteli mentem humanam esse infimam Intelligentiarum abstra-

ſtractarum , ſeipſam dum generamur nobis communicantem;ideoque ſolam fœtui extrinſecus aduenire:quum ſentiens , & vegetalis anima nobis à cœlo inſit ſed vtente parentibus, ac ſemine ceu inſtrumentis , quo ſit vt non extrinſecus.

2. *Coll. c.* 11. VErum longe aliter hunc locum interpretatur Auerroes;hic enim homini præter intellectum concedens animam vegetalem; ac ſenſualem , ait quod etſi partes animæ noſtræ mortales oriantur à corporibus cæleſti-
3. *Phyſ. com.* 47. bus,atque omnino à Superis:quum tamen ad
12. *Met. com.* 13.18. generationem hominis Sol,ſiue corpora cœleſtia concurrant ſub ratione artificis , homo vero , ac ſemen vt inſtrumenta; hinc factum eſt vt animæ mortales in nobis , quum non generentur abſque interuentu ſeminis , & parentum; non dicantur in noſtri conſtitutione fœtui extrinſecus aduenire; quod quidem dicitur de ſola mente , quæ ſecundum ſe abſtracta exiſtens ab æterno ab omni corpore,dum naſcitur,ſeu cõſtituitur quilibet homo,illa ſtatutis temporibus ipſi cõceptui ſeipſam offert aſſiſtentem , perinde ac cæteræ intelligentiæ ſuis corporibus : quum enim intellectus abſtracti nõ ſic à corporum commercio ſeparentur ; quin omnes ſigillatim corpori aliquo aſſiſtant , illudque promoueant ad opera, ad quæ à Natura eſt inſtitutum

tum: quumque in tota Natura nihil sit, in quo summus ordo, & maxima proporito non reluceat: ideo Naturæ legibus decretum est vt in genere intellectuum separatorum perfectiores gradatim assistant corporibus dignioribus, ac sublimioribus: quare prima omnium Intelligentia inter corpora nobilissimo assistit supremum cœlorum orbem circunuoluendo, secunda secundo, & ita deinceps: Verum infimus intellectuum abstractorum non æternis illis corporibus assistit, sed hisce caducis: non quidem vniuersis, sed perfectioribus tantum, nempe humanis: ita tamen vt non sigillatim vnicuique hominum vna mens assistat, sed vna tantum Intelligentia postrema sufficit ad gubernandos omnes homines, quibus assistit non secus ac Nauta naui, & artifex instrumento, quo vtitur ad agendum. 3. De an. com. 19.

Quod mens humana sit vna ex Intelligentis abstractis nobis assistens, multiplici ratione confirmant Auerroes, & sequaces, & primo quia forma informans, quum sit natura indiuidua, corporea, & materialis, non potest in se recipere, atque cognoscere nisi sibi proportionatas formas indiuiduas, ac singulares, præditasque conditionibus corporis, & materiæ: quippe quod recipitur, atque cognoscitur, per modum recipientis, cognoscentis.

centisque recipitur, & cognoscitur; sed intellectus hominum in se recipit, & cognoscit species vniuersales, abiunctas à cõditionibus materiei, & corporis; ergo mens humana singularis natura esse non potest, nec virtus in corpore: quare dicenda est intelligentia secundum se à corpore abstracta, illi tamen assistens vt Nauta naui, eoque vtens, ceu artifex instrumento.

3. De an. tex. 6. 7. Id quod & ab Aristotele scriptum habetur vbi ait; intellectum hominis non esse mistum corpori, sed ab eo separatum.

2. De an. t. 11. Sed addunt etiam Aristoteli intellectum nullius corporis esse actum Auerroistæ.

Amplius, si non esset vna mens assistens omnibus hominibus, sed singuli homines haberent proprium intellectum numerò distinctum ab intellectu cæterorum hominum: profecto nec multi homines diuersis in locis possent simul idem præmeditari: neque magister discipulo suam doctrinam communicaret, sed ea mediante similem generaret in mente discipuli, non secus atque ignis sibi similem ignem generare solet in combustibili; neque tandem alter alteri suos conceptus communicaret, siue alter alterum non intelligeret, quæ omnia sunt absurda: pollent ergo cuncti homines vna & eadem mente secundum numerum.

Id

Id quod ab Auerroe, & à sectatoribus, plerisque aliis rationibus confirmatur: verum quoniam hæ parum ad propositi loci interpretationem conferunt, & quia à multis Doctoribus bene solutę sunt: idcirco eas omittemus.

Cap. XLVI.

Confutatur expositio Auerrois, ostendendo animas vegetalem, ac sentientẽ in nobis non oriri à cœlo vtente parentibus, ac semine vt instrumentis: neq; hîc Aristotelem agere de mente, quæ abstracta existens, & vnica, omnibus hominibus assistat, quorum corpore, vt organo, vtatur ad intelligendum obiecta intelligibilia.

Cæterum, neque Auerroi hac in re subscribendum censeo: nam quod pertinet ad animas inferiores, quas dicit nobis indi à corporibus cœlestibus vtentibus homine, ac semine tanquam instrumentis: falso scribit in generatione hominis patrem, ac semen subire rationem caussæ instrumentalis: cœlum v. esse agens principale, ac proximum: tum quia cœlum apud Aristotelem est caussa remota, & vniuersalis omnium sublunarium, quorũ & esse, ac viuere à cœlo pendet, aliis quidem clarius, aliis autem obscurius: & omnis virtus inde etiam gubernatur: quare dici nequit esse

8. *Phys. com.* 47. 12. *Met. com.* 13. 18.

1. *Cœl. t.* 100. 1. *Met, c.* 2.

agens proximum, & peculiare hominis: tum
7. Meta. t. 31. quia semen apud Aristotelem perinde atque artifex facit: male ergo dicitur subire rationem instrumenti: tum quia in omni actione instrumentum, vt quod non sibi, sed agenti primario simile quid producere conetur, naturam habet diuersam ab eo, quod efficitur, estque necessario agens æquiuocum: homo autem, & semen testimonio vel Aristotelis sunt in generatione hominis agentia vniuoca, quæ intendunt producere quid sibi simile: non ergo recte dicuntur esse instrumenta: tum demum, quia vbi in actione aliqua multa sunt, quæ vim habent agendi, illud potius debet dici agens principale, quod est vniuocum cum effectu: illud vero instrumentum, quod est æquiuocum, quam vicissim, eo quia in Physicis præsertim principale agens vbique nititur generare quid sibi simile in specie, instrumentum vero itidem intendit in virtute agentis primarii producere effectum, non sibi, sed agenti principali similem in specie: vt in artibus Policletus scalpro statuam effecturus, quid producere intendit, non scalpro simile, sed illi simulachro, & ideæ, quam ex arte in mente gerit: ita scalprum simile quid facere conatur, non sibi ipsi, sed ideæ illi, quæ in mente Policleti subit
Loc. cit.

ra-

rationem agentis principalis: quum ergo cœlum hominis sit causſa æquiuoca : homo vero, & ſemen. quibus eadem eſt natura in ſpecie, ſint eiusdem cauſſæ vniuocæ : potius aſſerendum eſt in generatione hominis hominem genitorem, ac ſemen eſſe agentia principalia, cœlum vero inſtrumentum, vel cauſſam remotam, & vniuerſalem, quam viciſſim, quemadmodum arbitratus eſt Commentator.

Quod autem pertinet ad intellectum, quum eius opinio de vnitate, & aſſiſtentia mentis humanæ à viris doctiſſimis paſſim fuerit confutata, pauca nobis ſuperſunt, quæ illi obiiciamus: aliqua tamen fortaſſe ab aliis non tacta proponemus pro intimiori huius loci ſpeculatione.

Inprimis enim ſi mens homini aſſiſtit tanquam nauta naui, & artifex inſtrumento : quum actiones omnes vbique debeantur agenti primario potius, quam inſtrumento : dicitur enim proprie nauta nauigare mediante naui, & Policletus ſtatuam facere mediante ſcalpro : non viciſſim dicitur nauis nauigare mediante nauta, & ſcalprum ſtatuam efficere mediante Policleto : ita ergo dicere oporteret quod mens intelligit, aliaſque vitę operationes obit mediante homine, nõ quod homo ſpeculetur, ſapiat, & cõſuetas

alias operationes edat mediante anima: quod tamen non semel negauit Aristoteles.

1. *de an. t.* 64. 3. *de an. t.* 1. Deinde, si mens ista separata communicaretur, atque assisteret omnibus corporibus humanis: quum formarum, quæ magis est cõmunicabilis, ea quoque melior sit, atque perfectior: quippe bono, secundum quod tale est competit esse communicabile: profecto intellectus humanus, non infimus in genere intellectuum abstractorum dicendus esset, vt voluit Auerroes, sed supremus: quum alii intellectus separati sigillatim vni tantum corpori assistant.

Præterea, quum in præsente contextu nomine mentis Aristoteli in vsum veniat rationalis anima, & mens illa, cuius actiones non communicant cum actionibus corporalibus quomodo potest Auerroes fateri Aristotelẽ hîc agere de intellectu illo abstracto, hominibusque singulis assistente, quem ipse ait esse impossibile vt intelligat aliquid sine imaginatione, quæ est virtus corporea?

1. *de an. com.* 12.

Amplius, certum est Aristotelem hoc in loco agere de illa mente, de qua supra dixerat plurimum dubitari vnde, & quomodo eam habeant quæcunque tale principium participant: sed si de mente illa loqueretur, quę est intelligentia separata, & ingenita: clarum cuique esset eam corpori extrinsecus accedere nullo

nullo mediante corpore, non obscurum, vt inquit Aristoteles.

Vlterius, Aristoteles loco allato determinat propositam quæstionem superius, qua quærebatur, non quonam mediante instrumento, sed vnde hoc est, à quo efficiente prodeat mens, atque anima rationalis; non ergo bene talem quæstionem determinaret dicēs, quod sola mens extrinsecus accedit ad differentiam animæ vegetalis, & sentientis: nam & huiuscemodi animæ, quum à cœlo pendeant, quod est agens remotum, licet vtatur parentibus, ac semine tanquam instrumentis, & ipsæ quoque fœtui extrinsecus accederent.

Cap. XLVII.

Auerrois obiecta tolluntur, monstrando mentem esse tum formam informantem, & tamen cognoscere vniuersalia, dici corpori non mistam, separatam, & actum nullius corporis: tū multiplicatam ad numerum indiuiduorum speciei humanæ, & nihilominus homines multos idem intelligere posse, inuicem doceri, & alter alterum intelligere.

Sed & argumenta obiecta eam necessitatem non habent, quæ Auerrois sententiā abunde roboret; quod enim primo loco afferebatur, formam informantem, vt quæ virtus est corporea, & materialis, atque indiuidua,

non posse recipere in se, neque cognoscere nisi proportionata sibi obiecta materialia, & singularia: at mentem hominum cognoscere, & recipere in se species vniuersales abstractas à conditionib. materiæ: ac propterea esse non posse informantẽ, materiæ immersam, ac singularem: sed vniuersalem corporibus solummodo assistentem: ita soluitur: Nam quum forma informans nihil aliud sit, quam actus internus essentialiter materiam perficiens: ex eo quod bifariam actus interni se habere possunt ad materiam, quam essentialiter perficiunt: vel enim dependent sic à materia, quod oriuntur ex materia per ipsius transmutationem, & orti ad operandum vtuntur materia tanquam instrumento: vel non pendent à materia, vt qui forinsecus materiei aduenientes eam ita perficiunt, quod eius ministerio non indigeant ad agendum: duplex formarum informantium genus esse colligitur: alterum, quod in fieri, & operari pendet á materia: & huiuscemodi formę (vt obiicitur) non possunt in se recipere, aut cognoscere naturas vniuersales abstractas à conditionibus materiæ; alterum vero, quod materiam ita interne perficit, vt nihilominus nullo vnquam eius adminiculo indigeat, & eiuscemodi formæ quum non subiaceant conditionibus materiæ, licet sint informantes, quod nõ

aduertit aduersarius, possunt in se recipere naturas vniuersales abstractas à conditionib. materiæ: & huius generis est mens nostra.

Quod autem secundo loco obiicitur ex Aristotele scribente intellectum hominis non esse mistum corpori, sed ab eo separatum: diluitur eo quia ibi loquitur Aristoteles de intellectu in actu secundo, ac prout operatur, non absolute ac secundum se, vt supponit allata obiectio; & quia licet mens sit forma informans, non tamen ad intelligendum vtitur organo corporeo, vti faciunt sensus; ideo recte scripsit Aristoteles intellectum, dum operatur, ad differentiam sensuum, non esse mistum corpori, sed ab eo separatum, hoc est, dicere mentem ad speculandum non vti corporeo instrumento aliquo, quod faciunt sensus.

Alia vero instantia, qua dicebatur Aristotelem perspicuis verbis scripsisse quod intellectus nullius corporis est actus; etiam tollitur; primum quidem quia hoc argumentum desumptum est ex vndecimo cõtextu secundi de anima, quem, vt omnes superiores, ipsemet Aristoteles admonet non esse magnifaciendum, vt qui rudem doctrinam de anima contineat: deinde vero qũia quum apud Aristotelem duplex sit in anima genus actuum, nempe actus primus, qui est essentia animæ

abstrahens ab operatione vitæ, seu secluſa omni actione vitæ: & actus secundus, qui est ipſa operatio, seu vt aliqui malunt anima ipſa operans: quumque huiuſcemodi actus & cõiunctim, & diuiſim corpori communicari poſſint: hinc factum est vt in genere animarũ aliæ corpori tribuant & primum, & actum ſecundum, ſeu corpori vniantur & vt actus primi, & vt ſecundi: cuiuſmodi ſunt animæ mortales, quæ corpus informant, & eo vtuntur ad operandum: cuius ideo ſunt actus & primi, & ſecundi: aliæ vero corpori tribuunt actum primum ſolum, ſeu corpori vniuntur vt actus primi, non vt ſecundi, quippe corpus intrinſece perficiunt, ac informant, ſed in eo non operantur, ſeu ipſo non vtuntur tanquã inſtrumento ad operandum: & huiuſmodi ſunt quidem actus primi alicuius corporis, at nullius ſecundi: quare bene Ariſtoteles definiens totum genus animarum dixit animam eſſe actum primum corporis naturalis, nullãque fecit mentionem de actu ſecundo, vt qui videret in genere animarum aliquas non eſſe corporis actus ſecũdos, quippe nõ operantur in corpore ſeu corpore nõ vtunt ad operãdũ: huiuſmodi ſunt mentes humanæ, animæque rationales, quæ ad intelligendum non indigentes famulatu corporeo, bene dici potuerunt Ariſtoteli nullius corporis eſſe actus, ſub-

2. Dean. c. 1.

ſubintellige ſecundos: nam eas eſſe actus primos corporis naturalis, aut actus informantes intrinſece corpus phyſicum, nunquam negauit Ariſtoteles.

Poſtrema vero ratio, qua dicebatur, quod ſi mens non eſſet vna aſſiſtens omnibus hominibus, hæc abſurda contingerent, quod multi homines nõ poſſent idem mente contemplari, quod magiſter non poſſet ſuam doctrinam diſcipulo communicare, ſed ea mediante, aliam ſimilem produceret in mente addiſcentis, vt ignis ſibi ſimilem ignem in ligno gignit: quod homo homini ſuos conceptus notificare, nec alter alterum poſſet intelligere; quæ omnia ſunt abſurda; etiam tollitur, eo quia, quum mentes hominum ſint vnius ſpeciei, atq; omnes de obiectis ſibi à ſenſibus delatis conceptus formando ſimiliter intelligant: hinc factum eſt, quod ſi eadem obiecta à ſenſibus ferantur ad mentes multorum hominum, ii de eiſdem ſimiles conceptus (quippe Ariſtoteli conceptus mentis de eadem re apud omnes iidem ſunt) formantes figillatim eadem contemplentur: atq; ita magiſter offerens obiecta ſenſoriis addiſcentis, eaq; inde ad intellectum trãslata, qui de ipſis format ſimiles conceptus, eandem ſpecie doctrinam in animo diſcipuli pariunt cum ea, qua pollet ipſe doctor; quod nullum cõtinet *1. periher. 6. 1.*

Loc.cit. inconueniens: sic quum voces apud Aristotelem sint earum, quæ sunt in anima passionum, notæ; cur aliquo voce significante alteri suos conceptus, ille, qui similem vim habet cognoscendi, seu qui pollet facultate eliciendi de iis vocibus similes conceptus, loquentem non debeat intelligere, ego non assequor; & eo magis quo video passim animantia bruta prompte ac bene intelligere, quæ illis præcipiunt homines, licet ea careant intellectu, quo hi præditi sunt.

Sed ad textum redeamus, illiusque nos expositionem afferamus.

CAP. XLVIII.

Expositio textus 2. in quo Arist. docet, fœtum, antequam edat actiones quascunq;, habere animam illam, vnde prodeunt in potentia secunda, quæ est cum actu primo: & animas ratione carentes in eo fuisse genitas, quum sola mens extrinsecus tandem illi accedat, nullo mediante corpore.

QVum itaque demonstrasset Aristoteles in fine præcedentis contextus, mentem fœtui aduenire post cæteras animas, subdit in præsenti, non adhuc manifestum esse, quonam determinato tempore, quomodo, & vnde intellectus accedat aliis animabus in humano conceptu præexistentibus; id tamen

ait

ait totis viribus inquirendum esse; quocirca statuendum esse admonet, quod sicuti vegetalem animam in seminibus & conceptibus nondum separatis, hoc est, nondum ortis ac separatis ab vtero, vel nondum distinctis, seu non adhuc distincte organizatis, vtpote quorum partes in vna quadam rudiori massa, cõfusaque mole congestæ, non sint quoque ab inuicem discretæ ac separatæ: sicuti, inquam, in hisce conceptibus animam vegetalem reperiri statuendum est in potentia, non autem in actu, antequam conceptus, qui iam separata & distincta habent organa, nutriantur, & alia edant munia vegetalia: primo namque semina & conceptus vitam degunt vegetalem; semina quidem ea, qua pollent, animam aliam in conceptu eiusdem speciei generando: conceptus vero sese nutriendo & augendo; quæ tria sunt officia vegetalis animæ: pari ratione arbitrandum est, sensualem & rationalem animam in fœtu, priusquam is earum officiis fungatur, haberi in potentia, postea vero in actu.

Ad hoc autem exacte intelligendum, nouisse oportet, apud Aristotelem reperiri duo genera tum potentiæ, tum actus illi proportione respondentis; est namq; potentia & prima, & secunda; est similiter actus primus, & actus secundus: est quidam actus, qui alio non

Digressio de potentia & actu.
8. phys. t. 32. 2. de an. t. 5. 7. 53. 36. 59.

non indiget ad hoc, vt sit, imo potius is est, à quo cætera in esse dependent; hic est perfectio cuiusque rei intrinseca, essentialis, formave substantialis, & dicitur actus primus, est præter hunc alter actus, quia primo in esse dependet, tanquam actio ab agente, ideoque dicitur actus secundus. Est similiter quædam potentia, quæ respicit actum primum, qui est forma essentialis, & dicitur idcirco potentia prima, seu essentialis, alio nomine remota: est & potentia ad actum secundum, qui est operatio primi, & omnino accidens, vocaturque potentia secunda, accidentalis, & proxima.

Reperitur autem inter hæc omnia talis ordo, vt subiectum, quod est omnium illorum capax, ante omnia dicatur esse in potentia prima, quæ tendit ad actum primum; quo habito statim fit in potentia ad actum secun-
Loc. cit. dum; sic Aristoteles ait, exempli gratia, ante omnia addiscentes sumus in potentia ad habitum scientiæ, qui æmulatur actum primum, quo adepto sumus in potentia ad contemplandum, quę est operatio à scientia prodiens: sic applicando, menstruum est in potentia ad animam, quæ est actus primus, vt scientia; quo accepto fit conceptus, qui postea est in potentia secunda ad actiones animæ: quare sicuti potentia, in qua semina & conceptus dicuntur Aristoteli habere animam vege-

vegetalem, neceſſario eſt, non prima & eſſentialis, quia conceptus (quum fiat ſtatim ac menſtruum ſuſceperit à ſemine maris principium, quo animatum eſt) nunquam poteſt anima & actu primo carere: ſed ſecunda, & accidentalis, quæ præſupponit actum primum, vel potius ſimul cum eo extat: id quod & inde patet, quia dicit Ariſtoteles, in ſeminibus & conceptibus eſſe animam vegetalem in potentia, non autem actu, antequam cibum trahant, & officio eius animæ fungantur: at vero cibum trahere, & alias vegetales actiones edere, vel ipſe eſt actus animæ ſecundus, vel quid ſimul cum eo: ante hunc autem, ſaltem ordine Naturæ, in ſeminibus & conceptibus opus eſt eſſe actum primum, qui ſane vel idem eſt penitus cum potentia ſecunda, quæ eſt habitudo, ſiue propenſio animæ non operantis ad edendas proprias operationes, vel potius fundamentum poteſtatis huius: Sicuti, inquam, potentia, in qua ſemina & conceptus habent animam vegetalem, antequam vegetales actiones edant, eſt ſecunda & accidentalis: ita prorſus potentia & illa, in qua apud Ariſtotelem conceptus habet ſenſualem & rationalem animam, antequam earum officiis fungatur, eſt de neceſſitate accidentalis, & ſecunda, primoque actui coniuncta.

Verum

Verum etsi in eo conueniant prædictæ animæ, vegetalis, sentiens, ac rationalis, quoad potentiam secundam: differunt tamen Aristoteli, quoad potentiam primam; quum enim conceptus nihil aliud sit, seu nullo alio modo constituatur ab initio, quàm vbi menstruum receperit à semine maris animam vegetalem; quumque cæteras non similiter recipiat fœtus in sui constitutione, sed procedente tempore; ideo de mente Aristotelis, conceptus, qui non potest esse in potentia prima ad animam vegetalem, bene esse potest in potentia prima ad animam sentientem & rationalem.

Sed redeamus ad pensum. Vt autem solueret Aristoteles, quod ab initio sibi proposuerat determinandum vltimo loco, nempe quomodo & vnde sensualis anima, & rationalis fœtui adueniat, tali vtitur diuisione: Tres iam dictæ animæ, vegetatrix, sensualis, intellectiua, adueniunt humano conceptui, vel quum omnes ante illum non extiterint, vel quum omnes illæ antea fuerint, vel quum earundem aliqua prius extiterit, aliqua vero non: & rursus eædem aut in fœtum recipiuntur, non mediante semine: aut à patre conceptui communicantur mediante semine: aut non à patre, sed fœtui omnes extrinsecus accedunt: aut nulla ab extra ad

fœtum

fœtum collimat: aut partim conceptui de foris aduenium, & partim illi non extrinsecus accedunt. Cuius sane diuisionis ante omnia destruit Aristoteles secundum membrum, vnde sextum corruit, hac ratione: Impossibile est, tres omnes prædictas animas fœtui necessarias esse ante illum; loquitur autem de anterioritate temporis: alioqui cum anima sit forma & causa fœtus, opus est, quæcunque illa sit, ipsam natura priorem esse eo, cuius est forma: inde quod nunc assumpsit, ita demonstrat: Animæ in conceptu existentes, si ante illum extitisse dicantur, de necessitate extrinsecus ad eum collimarunt, vel per se, ac nullo mediante corpore, vel alicuius corporis interuentu: At vero sensualis anima, quare & vegetalis, quæ magis materiæ immersa est, magisque à corpore dependet, nequit fœtui, nullo mediante corpore, conciliari, quia quarum animarum actiones corporales existunt, hoc est, cum corporeo instrumento fiunt, eas profecto sine corpore nusquam subsistere certum est: Sensitiuæ igitur, adde & vegetalis animæ operationes corporeæ quum sint (vt enim ambulatio, quæ est actio animæ sensualis, non fit sine pedibus, ita & cæteræ tum eiusdem animæ actiones, puta visio, auditus, olfactus, gustus, tactus,

tactus,& reliquæ interiores sensationes: tum animæ vegetalis,nimirum nutritio, auctio,& generatio, non eduntur citra corporis interuentum)propterea eandem,à qua prodeunt, animam à corpore insepatabilem esse declarant: & proinde ipsam fœtui extrinsecus, nullo mediante corpore accessisse, quare & hoc modo ante fœtum extitisse, impossibile est.

Verum si dicatur, illam ita ante conceptum fuisse, vt ei mediante aliquo corpore, quo prius fulciebatur, posterius forinsecus, hoc est,non à parentibus, sed à superis communicata sit (quod erat secundum membrum dilemmatis) id tale profecto corpus non potest esse quid præter semen, quod solum in vtero tempore conceptus huic vsui esse possit: siue latius hic assumatur nomen seminis, pro eo, quod commune est tum ad sperma proprie dictum, tum ad menstruum, quod dicitur semen nõ purum, siue pressius, pro vero semine, nil referre puto: At vero quum tale semen sit excrementum quoddam,quod supereſt alimento iam mutato per nutritionem in substantiam viuentis, indignum esse instrumẽtum, quo proxime Deus vtatur ad procreandas seu ad conciliandas animas conceptui, iam satis supra ex Aristotele patuit: Impossibile igitur est, animam,quæ fœtui

1.de gen.an. cap.20.

Cap. 5. & 9.

fœtui ineſt, & vegetalem & ſenſitiuam, illi non à parentibus mediante ſemine, ſed extrinſecus, ſiue à Deo aduenire; Relinquitur ergo, vt ſola mens & anima rationalis, qua fœtus eſt homo, cuiuſque operationes corporeo famulatu non indigent, inter cæteras animas humano conceptui neceſſarias diuina ſit, hoc eſt, diuinitus orta, ſeu fœtui extrinſecus à Deo adueniens, nullo mediante corpore; id quod & alibi Ariſtoteles inculcat, inquiens: *Intellectus autem aduenire videtur, & ſubſtantia quædam eſſe, ac non corrumpi:* & Theophraſtus, quem id non ex ſcriptis modo, ſed ex ore magiſtri Ariſtotelis didiciſſe veriſimile eſt, dum (referente Themiſtio) hæc verba profert: *Quum intellectus homini extrinſecus accedat, quumque tanquam appoſitus, inuectusque ſit, quæritur, quomodo nobis congenitus dicatur.* 1. de an. t. 65. 3. de an. c 39.

Ex his iam ſatis patere puto, determinationem Ariſtotelis propoſitæ quæſtionis, nempe vnde; & quomodo anima tum vegetalis, tum ſenſitrix, tum demum rationalis fœtui accedat; eſſe hanc in præſentia, quod anima vegetalis & ſentiens Embryoni impertiatur à parentibus interuentu ſeminis eorum; (nam infra diſtinctius docebit, vegetalem à matre, ſenſualem vero à patre prodire) anima vero rationalis ſola eidem conce-

ptui forinsecus adueniat, seu à Deo, nullo mediante corpore.

CAP. XLIX.

Explicato contextui comparatur 26. tex. 2. Phys. in quo docens Aristoteles, quousq; Physicus possit considerare formam, explicat, vnde & quomodo anima humana oriatur, dicens, Homo hominem generat, & Sol.

QVibus sane apprime illa consentiunt, quæ in textu vigesimo sexto secundi Physicorum scripta sunt; quorum interpretatio, quæ à nobis affertur, & comparatio ad superiora, vt magis pateat, verba textus ad vnguem afferamus explicaturi literaliter, ait ergo: *Amplius, eorum, quæ ad aliquid materia est: ad aliam enim formam alia materia. Quousq; ergo Physicum oportet cognoscere formam, & ipsum quid est? An quemadmodum Medicum neruum, aut fabrum æs, vsq; ad aliquid? Alicuius enim gratia vnumquodq;, & circa ea, quæ sunt separabilia quidem forma, in materia autem. Homo enim hominem generat ex materia & Sol: quomodo autem se habeat hæc separabilis, & quid sit, Philosophiæ prima est officium determinare.*

Ad quorum explicationem accedentes, dicimus, quod quum in textibus superioribus monstrauerit Aristoteles, Physicum debere considerare vtramque naturam, materiam

riam scilicet, ac formam; quærit in præsenti, nunquid Physicus debeat considerare formam quomodocunque, an potius vsque ad certum terminum, primo afferens causam intentionis, seu rationem dubitandi, inquiens, quod quum materia referatur ad formam, & vicissim forma ad materiam; quippe ad diuersitatem formarum diuersificantur etiam materiæ secundum varios apparatus: forma enim rudis primam materiam postulat, at perfectior secundam excultam magis, & ita deinceps: quum, inquam, materia & forma referantur adinuicem; rationi consentaneum est determinare, quousque debeat Physicus considerare formam, an scilicet quomodocunque, an potius ad certum terminum. Quæsitum determinat deinde, & determinatio fundata est super analogia naturæ ad artem, dicens, quod sicuti in artibus Medicus contemplatur neruum, & faber æs, non quocunque modo talia considerari possunt, sed vsque ad certum terminum, puta Medicus neruum, vt est pars corporis humani sanabilis, faber vero æs, vt est susceptiuum statuæ: refertur enim æs ad statuam, & neruus ad sanitatem, seu ad corpus humanum sanitatis capax: ita prorsus dicendum est de Philosopho naturali, eum scilicet debere considerare naturam, quæ

est forma, non quocunque modo ea contemplari possit, sed vsque ad certum terminum, nempe quatenus in materia est, seu non sine materia, si non secundum materiam, vt superius in textu vigesimo primo tactum fuerat: & hoc ita est munus proprium Philosophi naturalis non abstrahere à materia, vt circa eas formas naturales, quæ separabiles sunt à materia, ita se gerere debeat, quod eas non consideret, nisi prout sunt in materia: nam quomodo huiusmodi formæ separentur à materia, & quid sint secundum se, Physici negotium transcendens pertinet ad Metaphysicum: quod autem inter formas naturales aliquæ sint separabiles à materia, probat, inquiens: *Homo enim hominem generat ex materia, & Sol.* Quæ ita interpretabere, Homo quum nactus sit in sui generatione duo particularia efficientia, materiale vnum, ac naturale, quod est homo generans; immateriale alterum transnaturale, & immortale, quod est Deus Optimus, quem Solis nomine significat: quumque efficientium munus sit generare quid sibi simile, quoad fieri potest: necessario confitendum erit, hominem in sui generatione sortitum esse animam mediæ naturæ, partim materialem & corruptibilem: partim immaterialem, atque immortalem, quod verba illa indicant, *ex materia* homini proxime

me appoſita, non autem Soli; quippe homo hominem generat ex materia, hoc eſt, educendo eius formam de ſinu materiæ per phyſicam tranſmutationem: & Sol hominem generat, ſed non ex materia ſimiliter: quam enim in generatione hominis Sol, id eſt, Deus, animam procreat, eam non ex materiæ ſinu per phyſicam tranſmutationem educit, ſed extra materiam creatam materiæ inducit: & anima humana ſicuti ſecundum eam partem, quæ à patre ex materia generatur, eſt à materia inſeparabilis, & omnino pertinens ad contemplationem phyſicam; ita ſecundum eam, quæ à Sole aut Deo creatur, eſt ſeparabilis à materia, & vt huiuſmodi non amplius ad Phyſicum, ſed pertinet ad Metaphyſicum: ita enim Phyſicus materiei affixus eſt, vt nunquam ſine ea contemplari quidpiam poſſit, vt qui per huius conſiderationem à cæteris omnibus Philoſophis differat: nam Mathematicus conſiderat formas ſecundum ſe quidem in materia exiſtentes, ſed illas ope mentis abſtrahendo à materia: Phyſicus autem conſiderat non ſolum formas, quæ in materia ſunt, prout in ea exiſtunt; verum etiam formas tum ſeparabiles à materia, quatenus ab ea non adhuc ſeparatæ ſunt, vt animam rationalem hic ādmonet à Phyſico contemplari, non niſi ſecundum quod

est reipsa in materia, quod præstitit in libris de anima, qui propterea videantur pertinere ad Physicum, & non exacte tractare de illa mentis actione, qua mens non vtitur materia ceu instrumento, quod est ipsum intelligere; tum re ipsa separatas, sed quatenus sunt appropriatæ aliquo modo ad materiam: sic in octauo Physicorum, & aliis operibus Physicis de intelligentiis agitur, quatenus sunt motrices, assistentes, & formæ appropriatæ materiei cœlesti: At Metaphysicus contemplatur formas abstractas, vt sunt à materia seiunctæ, & formas in materia, prout sunt ab ea cum separabiles reipsa, tum etiam separatæ: quod alibi quoque non semel docuit nos Aristoteles, & præcipue vbi docens, quodnam discrimen sit inter causas effectrices, & formas in relatione ad effectum, ait efficientia esse priora origine, at formas simul fieri cum effectibus, vnáque cum ipsis interire, sola excepta mente ac anima intellectiua, quam putat & ab æterno à Deo conditam, licet in tempore, dum simus, eam nobis infundat, & in æternum post mortem hominis duraturam.

Neque mirum est, Aristotelem hoc in loco nomine Solis Deum intelligere, tum quia ipse idem alibi nomine cœli Deum significauit, inquiens, *necessarium fuisse, mundum hunc inferio-*

2. Meteor. c. 2.

feriorem contiguum extare superioribus lationibus, vt omnis eius virtus gubernetur inde. Certum est enim, omnes virtutes sublunares gubernari non posse à motibus cœlestibus, sed à solo Deo: anima namque rationalis, humanaque voluntas à cœlo cogi non potest; imo ipsi vel Ptolemæo anima prudens cœlos superat: sic idem per diuersa alibi scripsit Aristoteles à Deo immortali, cuius sedes est extra cœlum, cunctis entibus pendere esse, & viuere; tum vt insinuaret se Dei, vt abstractus est ab omni materia, meminisse non posse eo loci inter effectrices causas: si illud verum est, quod ab eodem inferius obseruatur, quæcunque non mota mouent, vti est Deus, non esse physicæ considerationis, sed metaphysicæ: quare ipsum velauit nomine Solis: tum denique, quia satis aperte constat ex Alcinoo, idipsum & ab aliis Philosophis factum fuisse, & iure, quoniam Sol est diuinæ naturæ imago, symbolum & simulachrum. 1. *Cœl. t.* 100. 2. *Phys. t.* 71.

Et eo magis huic glossæ adhæreo, quo nullam aliam video, quæ textui sic apta, partium eius singularum connexionem seruet, propositam Aristotelis intentionem demonstret atque explicet, veluti hæc à nobis proposita: quæ siquidem passim esse solet loci huius in ore omnium interpretatio, qua dicunt, Aristotelem ostendere in hominis genera-

tione concurrere non tantum agens particulare ac proximum, quod est homo parens: verum etiam vniuersale ac remotum, quod est Sol, voce Solis astra omnia, & cœlum intelligendo; vel etiam Solem ipsum tantummodo, eo nomine, quo Sol inter alia corpora cœlestia magis præest, maioremque opem affert generationi sublunarium, testimonio Aristotelis asserentis: *Accedente Sole ad nos fieri generationes, eodemq; recedente corruptiones*, hoc est vt plurimum: veris enim tempore quum Sol ad nos accedit ab hyemalibus signis ad Arietem pergens, arbores fere omnes emittunt folia & botros: Autumno autem, quum à nobis recedens, Libram & hyberna signa properat, eædem folia exuunt, & fructus: Hæc, inquam, expositio animum non firmat; nam mens non percipit, cur hoc potius de homine dixerit, quàm de alio quouis animali, & omnino de quouis alio generato, quod scilicet à Sole tanquam à causa remota, & à sibi simile in specie agente proximo generetur: sic enim & bos bouem generat ex materia, & Sol: sed si hic exemplo hominis intelligendum quoque esset id ab Aristotele pronunciatum de cæteris omnibus generabilibus; quorsum hæc protulisset pro determinanda quæstione, Quousq; Physicus debeat considerare formam, quam ait

4. Meteor. in fin.
2. de an. t. 55. & seqq.

ab

ab eo considerandam vt à Medico neruus cõsideretur, vsq; ad certum terminum?

Cur vltra hunc terminum reiicit considerationẽ formarum in contemplationẽ Metaphysicam, eam attollẽdo supra limites Physici negocii? non ne forte forma bouis omnino, & vndequaque spectat ad Physicum, cuius muneris sunt omnia, quæ mota mouent, & quæ sunt non sine materia? 2. *Phys.t.* 21. 71.

Quorsum verba illa de separabilitate formæ à materia, puta formam separabilem à Physico cõsiderari prout est in materia, quomodo autem sit separabilis pertinere ad Metaphysicum: est ne forma plantæ aliqua ratione separabilis à materia, & contemplationis Metaphysicæ?

Quare prior magis nobis arridet expositio, quia tum verbis textus, tum aliis locis Aristotelis maxime congrua est, & præsertim textui allato ex tertio secundi de generatione animalium, vbi fatetur Aristoteles in generatione hominis animas vegetalem, & sentientem fœtui communicari à Parentibus, rationalem vero illi extrinsecus aduenire, nempe à Deo: Adde & alteri textui apertissime, in quo scribit omnia suum esse à Superis habere, alia quidem clarius, vt homo: alia autem obscurius: si namque hominis, vt cæterorum omnium, Deus esset solummodo agens vni- 1 *Cæl.t.*100.

uersale, ac remotum, non proximum: profecto entibus non aliis clarius, aliis autem obscurius, sed omnibus eodem modo esse, ac vita inesset à Superis: hoc est, tanquam à caussa omnium prima, remota, & vniuersali.

Id autem quod hoc in loco scribit Aristoteles Solem generare hominem illi tribuendo animam rationalem, non ita intelligendū est, quod velit Deum animam creare, & statim creatam fœtui adiungere: nam ipse opinatur mentem à Deo esse conditam ab æter-
2. de an. t. 82. no, perinde ac ab æterno & lumen à Sole prodiit, & motus cælestis ab intelligentia, & omnino mundus ab ipsomet Deo summo, ad mentem ipsius: sed ad hoc vt Deus Aristoteli possit hominem in tempore generare, sufficit vt illam (etsi ab æterno creatam) conceptui in vtero statutis temporibus infundat.

CAP. L.

Glossatur tertius contextus in quo Aristoteles ostendit quomodo anima rationalis ante fœtū ab æterno subsistat, quaue ratione semen & à Patre sortiatur animam vegetalem, ac sentientem: non autem rationalem: & vbi fœtus animam produxerit, in eo non remaneat tanquam pars.

SCribens igitur Aristoteles in calce præcedentis contextus ex secundo de generatio-

tione animalium, mentem, seu rationalem animam extrinsecus humano fœtui aduenientem ante illum extitisse, vt ipse alibi scripsit, antiquissimo tempore, postulanti vbi nam ea tunc temporis esset, respondet ipsam incoluisse aliud corpus diuinum: quando scribit animam, non solum rationalem, sed & aliam quamlibet, corpus quodam inhabitare longe præstantius, quam hæc sint elementaria corpora: & id non vbique eiusdem esse naturæ, sed iis, quibus subsidet, animabus proportionatum esse, vt id, quod sub rationali anima cæterarum omnium nobilissima residet, inter alia sit diuinissimum : Secundam vero dignitatis sedem teneat, quod famulatur animæ sensuali inter alias nobilitatis mediæ: infimum denique locum præstantiæ id sibi vendicet, quod vegetali animæ deseruit reliquarum ignobilissimæ; & hoc vltimum corpus inquit Aristoteles omnibus inesse seminibus, quæ non aliunde quam ab eo fœcunditatem, propagandæq; sobolis potestatem, nanciscuntur: & calorem appellari: non tamen id esse ignem, vel talem aliquam elementariam qualitatem: sed spirituosam seminis substantiam: in qua quæ prædicti corporis vegetali animę deseruientis natura reperitur, ita prę̃stans est, vt elemento stellarum, hoc est cœlesti corpori proportionata, similisq; sit,

1 de an. t. 82.

Quam

2. de an. c. 30. Quam sane interpretationem innuit non solum Themistius inquiens, *Apud Aristotelem naturam quandam animæ tributam inuenias, quæ quinto corpori proportione respondeat, quam & ad omnium animalium animas pertinere censuit:* Verum etiam ipsemet Aristoteles alibi scribens *Generationem, atq; ortum esse primam vegetatricis animæ cum calore participationem*: Opinatur enim cuiusque animantis originem initium sumere à productione animæ vegetalis, cui quod proxime famulatur, diuinum corpus nomen caloris sortiri censet tunc, quando anima ipsa eo mediante, vel saltem cum eo, alteri corpori huic elementari copulatur.

Li. de respir. c. 7.

3. De gen. an. c. 11. Hisce adde eundem Aristotelem admonẽtem *generari plantas, & animalia in terra, & humore*, nomine humoris complectendo aerem quoque, in quo non secus ac in terra, & aqua animalia gigni memoriæ proditum est: nempe in maximis aliquando pluuiis insectorum multa pluisse tum viua, tum vita functa, cœnoso, ac è putri vapore sursum Solis vi sublato generata in aeris regione, sæpius obseruatum fuisse constat: *generari* inquit, *animalia, & plantas in terra, & humore, quoniã humor in terra, in humore spiritus, & calor animalis in vniuerso inest: ita vt quodammodo omnia plena sint animæ:* hinc subdit: *animantia celeriter consistere, & orisi statim ac calor animalis*, quem in vniuerso in-

esse

esse dixerat, quiue nihil aliud est quam corpus illud diuinum vehiculum animarum omnium, quæ sunt in vniuerso: ex hoc enim & animalis calor in vniuerso est, perperam esse omnia animarum plena deduxisset, nisi calorem indissolubilem animæ omni comitẽ adiunxisset, eumque corpus illud æthereum existimasset, quod hîc vehiculum animarum omnium esse ait: quem enim rationali animæ citra corpus elementare degenti calorem associare posset, nisi is esset diuinum illud corpus, cuius mentionem habet in præsente cõtextu? Subdit inquam, *animantia consistere statim ac calor animalis comprehensus fuerit ab humoribus corporeis*, hoc est, à corporibus hisce elementaribus: admonetque differentiam constituendi viuentis nobilioris, ignobiliorisue generis constitutam esse in comprehensione caloris, quem vocat principiũ animalis, provt scilicet si corpora elementaria calorem inter animarum vehicula infimum, quod proportione respondet elemento stellarum, comprehenderint, plantam produci: si vero medium in dignitate calorem susceperint prædicto nobiliorem, brutum oriri: at si deniqne omnium nobilissimum calorem exceperint, quod animæ rationali deseruit, hominem constitui.

Quum itaque, vt ad pensum redeamus,

nullum

nullum viuens à non viuente gigni conſpiceret Ariſtoteles, vtpote ſciens omne generans eſſe actu tale, quale potentia eſt id, quod generatur: colligit hinc ignem quia diuinioribus illis non gaudet corporibus, nullius animæ participem eſſe, ac nullum gignere poſſe animal: neq; animalium aliquod, non modo ex ſolo igne, ſed ex aliis quoque elementis (q̃ ſignificat nomine denſi, humidi, ac ſicci) conſtitui, eſſe manifeſtum: quando & cætera elementa pariter, non ſecus atque ignis eius corporis ſunt expertia, quod animam baiulat neceſſariam conſtitutioni cuiuſque animantis, dixit autem elementa omnia diuinis illis carere corporibus, non quod in elementis illa omnino non ſint: ait enim alibi calorem animalis in vniuerſo eſſe, vnde omnia ſunt animarum plena: ſed quod in eis non ſint tanquam in poteſtate generantis, ita vt, ſicuti dici potuit animalia, & plantas generari in terra, & humore tanquam in loco: ſic dici nequeat eadem animata generari à terra, & aliis elementis ſigillatim tanquam ab efficiente.

Verum, quod ſubiungit, generatio, ſeu cõſtitutio animalium quorumcunque in illud efficiens referenda eſt, quod principium habet vitale, & huiuſmodi principium ait eſſe calorem tum Solis, qui ſolus fortaſſe reperitur agens proximum in iis, quæ gignuntur ex pu-

putri materia, & remotum in iis, quæ semine propagantur: tum quoque animalium, qui ab animali generante communicatur proprio semini, quod ob id, quia excrementum est quoddam, licet diuersum sit, & alienum quoquopacto à natura caloris illius, in quo tanquam in proprio vehiculo anima ipsa residet, eius tamen non prorsus est expers caloris, qui animam continet quæ est principium vitale: nemo siquidem negarit vitam non aliunde prodire, quam ab anima: per animam vero, quæ est principium vitale, intelligenda est anima vegetatrix, per quam alibi scribitur omnia viuere, quæcunque vitam in se habere dicuntur: His ea quoque consentiunt, quæ alibi scribuntur, *generationem scilicet, atq; ortum esse primam animæ vegetatricis participationem cum calore, vitam vero moram illius.* Sed ad rem. Concludit ex traditis Aristoteles apertum esse calorem animalium non esse ignem, neq; ab igne originem ducere. 2. de an. c. 34. De resp. c. 7.

Post hæc ait. *Corpus autem genituræ, in quo semen animalis principij contentũ vna prouenit, partim separabile à corpore. in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur: partim inseparabile: hoc inquam genituræ semen, &c.* Quæ obscurissima ita interpretabere, Corpus seminis, in quo à genitore vna cum corpulentia spermatis, animalis principii cõtentum pro-

uenit: per contemptum principii animalis intellige corpus diuinum, quod supra dictum fuit esse vehiculum animæ vegetalis, quam nunc ea ratione vocat principium animalis, quia superius scripsit eam omnium primam haberi in animalium constitutione: Corpus inquã seminis, in quo à parente simul & corpulentia seminis, & diuinum corpus vegetali sub anima contentum prouenit: partim subdit, separabile à corpore, in quib. diuina pars comprehenditur, qualis est, quæ mens appellatur: partim inseparabile. Pro cuius abditissimæ sententiæ intellectione præaccipiendũ est apud Aristotelem animam humanam non esse simplicem substantiam, sed formam compositam ex intellectiua, & anima irrationali: similemque, aut potius eandem compositionem ea etiam diuina corpora sortiri inter se, quibus vnamquamque animam immediate indissolubili nexu ita coniunxit, vt nunquam earum vlla citra proprium vehiculum reperiri possit: Prælibandum est quoque hanc animam humanam esse formam substantialiter informantem, atque eam secundum sui essentiam esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte ipsius, quod satis patet ex superioribus.

Cap. 13. 15. Præmittendum est vlterius eandem animã humanam partim, hoc est, secundum partem ra-

rationalem ob sui præstantiorem naturam esse omnino indivisibilem tum per se, tum per accidens, seu ad diuisionem subiecti; partim vero; puta secundum portionem irrationalem, esse divisibilem per accidens; apertum est enim irrationalem animam extensibiliter inhærere corpori, cui ineſt; propterea q; totam esse in toto corpore, & partem habere in parte corporis, & consequenter esse quantam ad quantitatem subiecti, quare & divisibilem ad divisionem illius; quum divisibilitas ita sit de ratione quanti, vt omne quantum eatenus sit divisibile quatenus est quantum.

Prænoscendum est postremo semen, dum in corpore generantis moratur, eadem anima frui, qua gaudent cæteræ partes corporis humani, quum vnica sit in vno viuente anima totalis.

Dum itaque ait Aristoteles semen partim esse separabile à corpore eorum in quibus diuina pars comprehenditur, quæ mens appellatur, id in eo sensu protulit, vt significaret semen, dum à corpore generantis seiungitur, separari partim à corpore, hoc est à parte corporis illius diuini, quod in homine constitutum est ex omnibus simul vnitis vehiculis partium animæ humanæ; non tamen arbitrandum est in hominibus, in quibus divina pars

continetur, quæ mens appellatur, à quacunq; parte huius corporis semen seiungi; sed ab ea tantum parte, quæ menti, seu animæ rationali famulatur; partim vero inseparabile, puta ab alia parte corporis illius diuini, quæ famulatur animæ irrationali; nam eam secum, simul cum ipsa brutali anima, defert ad conceptum constituendum, mente, ac eius vehiculo relictis in corpore generantis, vnde effluxit.

Quia ergo quam in semine agnouit animam irrationalem, non eandem numero de semine in fætum transmeare censuit, sed illam in eodem alteram suæ speciei generare; scribit vlterius, corpus seminis, quod proxime dixerat esse à vehiculo animæ sensualis inseparabile, posteaquam ea, qua pollet, anima irrationali alteram eiusdem speciei in Embryone genuerit, non permanere in fætu, tanquam vnam ex partibus eius, sed in flatus dissolui, ac euanescere; idque ex ea, quam obtinet humida, aquosaque, ac propterea in halitus facile dissipabili natura, seu substantia comprobat, propositam ab initio capitis principalem soluens quæstionem, qua quærebatur vbinam vadat corpulentia seminis, si illud constituendi conceptus pars non euadit, quando ea, quam in se continet, facultate quicquid apta est operari desierit.

Quum

Quum igitur probauerit seminis substantiam iam constituto conceptu in halitus dissolui, addit propterea quærendum non esse an semen, facto conceptu, ex vtero foras in omni conceptione exeat, an potius fiat pars constituti conceptus; sicuti nec de coagulo quæri tale quid est opportunum, an scilicet, posteaquam lactis substantiam coegerit, ex ea exeat; an potius in ea remaneat, ceu portio coagulati lactis; quando, non secus ac semen effectrix est, & non materialis causa conceptus; ita coagulum mouet lactis substantiam cogendo, & in eo non permanet, ceu pars materialis.

Ab hinc admonet Aristoteles se compleuisse quod sibi tertio loco determinandum proposuerat, nempe quum quærebatur de anima sensuali, vtrum in semine, & conceptu inest, an non; nam talem animam inesse illis ait in potentia, nequaquam vero in actu; hoc est, in potentia secunda, & in actu primo; non autem in potentia prima, quæ omnem actum animæ excludit (quod patet ex superioribus, & infra commodiori loco demonstrabitur abunde) neque in actu secundo.

Cap. LI.

Exponitur quartus contextus, in quo docet Aristoteles semen, dum in vtero adiungitur men-

ſtruo ſanguini, in eo generare animam irrationalem, atq; ita conceptum fieri.

DOCET ex his Ariſtoteles, quomodo ſemen vi n habeat conceptus conſtitutricem, abditiſſima (vt ſolet) verborum ſerie, dum ſcribit, *Semen autem quum excrementum ſit, eodemq; moueatur motu, quo augetur corpus in digeſtione vltimi alimenti, vbi vterum ſubijt, conſtituit, & mouet excrementum fœminæ eodem motu, quo ipſum mouetur; nam illud quoq; excrementum eſt, habetq; omnes partes potentia, actu nullam.* Quæ ita accipies. Semini, quia excrementum eſt, præſtantior non ineſt anima quàm ſit irrationalis; quippe huius animæ ſolius motus proprius, & actio, nutritio eſt, qua proximè corpus augetur, dum eius vnaquæque pars vberiorem, quàm quæ vel ad ſubſtantiam, quæ effluxit, reparandam; vel ad præſentem ſtatum conſervandum, ſit ſatis, vltimi alimenti copiam ad ſeſe attractam digerẽdo, ac in propriam ſubſtantiam commutando; quod ſanè ſemen, vbi in vterum exciderit, ea quam habet, anima irrationali alteram eiuſdem ſpeciei animam generat in ibi reperto menſtruo; quod pariter, quia fœminæ excrementum eſt, ſolius tunc irrationalis eſt animæ capax; alterius vero animæ dignioris, nempè rationalis capax efficitur inpoſterum, quando ab anima illa, quam à ſemine adeptum

fuit,

fuit, iis insignitum fuerit instrumentis, & partibus, quas omnes, quotquot futuro animali necessariæ sunt, habet in potestate,

Etsi vero (subdit Aristoteles) idipsum sit excrementum fœminæ, non solum partes fœminarum proprias in potestate gerit, sed illas quoque, vnde mas à fœmina distat; ita si quidem ex fœmina non semper fœmella, sed aliquando generatur masculus; sicuti ex mutilatis parentibus non solum trunci, manciue gigni possunt conceptus, verum etiam non mutilati; Similitudinem roborat, quia fœmina ceu mas quidam læsus est, ac imperfectus; & menstrua eius semen sunt, quamuis puram seminis essentiam non obtineant: quod ideo probat, quia vel vegetali anima priuantur: vocat autem hoc in loco vegetalem animam originem, & principium animæ, quia eam censet primam omnium in conceptum recipi, & esse (sicuti prius de sensuali, & alibi de intellectiua scripsit) principium, atque partem animæ humanæ, quæ ex eis composita natura est. 9.t.3. De an.

Hinc, quia in generatione animalis dixerat excrementum fœminæ, siue menstruum, licet eiuscemodi sit, vt dici valeat quodammodo semen, non tamen vere esse semen, quia non habet animam, qua semen præditum esse oportet; docet Aristoteles cur oua subuentitia,

titia, quæ ſcilicet abſque actione maris oriuntur, non ſint prolifica, & vitalia; idque ait euenire, quia ipſa de ſe non ſunt animata, & quamuis habeant poteſtate partes animalis, principio tamen carent vitali, anima nimirum, quam illis afferri admonet à ſemine maris.

Ab hinc ſubdit, ſtatim, vbi excrementum fæminæ receperit à ſemine maris principium illud vitale, conceptum fieri.

Ait poſtremo, vbi factus eſt conceptus, illi vndique adnaſci cutem exſiccata ob calorem extima menſtrui ſuperficie, non ſecus ac in pulte oriri contingit cruſtulam, quam vetulam appellant, exſiccata ſuperficie ab ambientis frigiditate; eandemque cutim; cui origo eſt ex lentore, qui vniuerſum Embryonem circumambit, indies diuturna caloris actione magis, magisque exſiccato: aſſerit in aliquibus eſſe magis, in aliis vero minus neruoſæ ſubſtantiæ ſimilem: ſimpliciter tamen cutis ſubſtantiam eiuſdem eſſe formæ, rationis, ac ſpeciei cum vena, membrana, & eiuſcemodi aliis partibus albis, quæ non niſi exceſſu, defectuque, ſeu ſecundum magis, & minus interſe differunt.

CAP. LII.

Interpretatur quintus contextus, in quo Ariſtoteles demonſtrat partem animi noſtri vegetalem

lem nobis indi, dum simus, à matre: sensualem autem ab ipso patre.

Dixerat Aristoteles in medio quarti capitis secundi de gen. an. rem ita se habere, vt sine maris emissione concipi impossibile sit: sed huius caussam non attulerat; Dixerat quoque pluries in generatione masculum fœtui animam impertiri, fœminam vero corpus, & materiam; Mox ex eo quod in animalibus fere omnibus reperitur distinctio sexus maris, & fœminæ: concludit fieri vt masculus nequeat sobolem propagare absque interuentu fœminæ; quippe mas in se habet quidem animam, qua alteram eiusdem speciei in fœtu generare potest, menstruum tamen non obtinet, quod est materiale principium conceptus: Hinc autem quum apertum sit fœminam, & menstruum in se habere, & animam eiusdem generis cum anima masculi, sufficientia principia ad sobolem propagandam: Emergentem quæstionem proponit, cur fœmina sine mare concipere nequeat? cur enim agens appropinquatum passo bene disposito, in ipsum proprias non exerceat vires: nulla ratio est, quæ doceat.

Dubitationem tollit Aristoteles inquiens quod conceptus animalis, seu animal ipsum, quod generatur, à plantis distinguitur beneficio sensus: quumque animam sensualem

(quam necessario habet animal viuens vel in actu secundo, vel in potentia secunda) in fætu generare non possit nisi masculus; inde fit vt fæmina ad concipiendum indigeat maris ministerio.

Hinc auget difficultatem Aristoteles, quia non bene dictum videtur quod anima fætui à masculo, non autem à fæmina communicetur, nam experimento sæpe compertum est fæminas in genere ouiparorum absque maris opera ex se ouum parere, quod tamen esse animatum inde certo constat, quia tale ouum subuentaneum aliqua corruptione perit, ac moritur; nihil autem perire, ac mori potest, quod vitam ac animam non habeat.

Adde quoque oua subuentanea ea ratione viuere, qua in aluo matris, antequam in hanc lucem edantur, nutriuntur, atque augentur: est autem auctio, & nutritio animatorum actio, non secus ac mors eorundem passio.

Soluit hæc itidem Aristoteles inquiens, ex allatis fieri quidem vt oua subuentanea sortiantur à matre animam vegetalem, qua communicant animalia cum plantis, non autem sensualem, per quam huiusmodi oua fæcunda redduntur: sed hanc à masculo suscipiunt, quando hic certo, ac debito tempore coierit: si quidem fæmina intra se multa oua subuentanea gerente, quorum alia textam iam

jam habeant, alia non; si tunc mas coierit, oua illa tantum fœcunda redduntur, atque à masculo animam sensualem adipiscuntur, quæ texta carent, nam durum illud textæ corpus impedimento est quominus cętera aspergantur semine masculeo, à quo suscipiendo animam sensitiuam fœcunda fiunt. Quia ergo (ait Aristoteles) necesse est fœtus animalium habere animam sensualem, quam oriri Naturæ legibus sancitum est à masculo in iis, quæ sexu distinguuntur; ideo contingit vt (licet in plantis, quæ sexus distinctionem non habent, vna pars ab aliis diuisa sit prolifica) hoc tamen animalibus negatum sit vnam tantum partem, nempe fœminam absque interuentu masculi fœtum generare in iis, quæ sexu distinguuntur. Si quæ autem sunt in genere animalium species, in quibus sexus non distinguatur, in his idem animal ex seipso sibi simile generare posse arbitrandum est, quod & si nondum certo cognouerimus reperiri genus aliquod animalium, quod non habeat distinctionem sexus; dubium tamen illud facit, quod in genere piscium Rubri, siue quos vocant Rubelliones, quum omnes fœminæ, & prægnantes reperiantur, videntur carere diuersitate sexus, de his tamen, vt diximus, nondum compertum est quod fidem faciat satis; Illud tamẽ verum est in genere piscium

dari quod neque mas est, neque fœmina, vti anguilla, est autem hoc genus quodam mugilum in fluuiis cœnosis; Dices tu & hos pisces in eo etiam anguillis assimilari, quod non sint prolifici, sed omnes, vt anguilla ex putrido illo cœno generentur. Hoc autem certissimum est, in quibus distinguitur mas à fœmina, hanc sine illo non posse perfectum animal generare, alioqui mas esset superuacaneus, ac frustra conditus à natura; Mas ergo, in animalibus distinctum sexum habentibus, ipse est, qui generationem complet, atque perficit, masculus enim fœtui sensualem animam conciliat, aut per se, aut per genituram.

CAP. LIII.

Explicata Aristotelis opinio summarie proponitur, quæ est rationalem animam in nobis immediate à Deo pendere, sensitricem à Patre mediante semine, vegetalem vero à matre.

EX traditis satis apertum puto Aristotelis opinionem hac in re illam esse, vt ipse sentiat animam humanam è triplici substantia constitutam sui partem rationalem à Deo sortiri, sensualem vero à Patre mediante semine, at vegetalem à matre; Primum quidem ob eam rationem, quia quum intellectus actiones habeat corporei organi famulatu

latu non indigentes, quumque actio vbique proportione respondeat essentiæ illi, à qua prodit, ideoque apertissime nobis demonstret naturam agentis; Non potest profecto in constitutione hominis illi mens aduenire nisi ab eo, qui extra corpoream naturam subsistit, Deo immortali, & hoc nullo mediante corpore nostrate. 1. Cæl. t. 100.

Secundum vero, ac tertium, quia quum vegetales, ac sensuales operationes omnes sint huiusmodi, vt fieri nequeant sine instrumentis corporeis (neq; enim nutritio absq; calore, qui qualitas corporea est) aperte declarant principia, vnde pendent, hoc est, vegetalem, sensualemque animam ab agente corporeo etiam fœtui communicari; Duo autem quum sint corpora ad animalis generationem concurrentia, vnde tales animas fœtus nanciscipotest, masculus, ac fœmina (ea excepta animalium procreatione, quæ per putredinem effici solet.) Et quia aperte constat in ouiparis fœminã edere oua subuentanea sine opera maris, quæ quum augeantur, nutrianturque, ac morte moriantur, licet vitam vegetandi habeant, sensuales tamen edere nequeunt operationes, aut fieri animalia, nisi aspergantur semine maris; Certo statuendum est fœtum suscipere animam vegetalem à matre, sensitiuam autem à Patre, alioqui & frustra

ſtra factus is eſſet à Natura in iis, quæ ſexu inuicem diſtinguuntur.

Atque quemadmodum mens, ſiue anima rationalis, quoniam immortalis eſt, propter-
1. De an. t. 82 ea ingenita exiſtens, & antiquiſſima, per æthe rea illa corpora inuiſibilia homini accedit extrinſecus, dum ipſe generatur, à Deo Optimo Maximo nullo mediante corpore, aut motu, ita quum ſemen, quo mediante maſculus conceptui ipſi ſenſualem animam tribuit, nõ permaneat vllo modo tanquam pars in gignendo animali, ſed vel foras ex vtero egrediatur, vel in halitus ob ſui naturam humidam diſſipetur conſtituto cõceptu, quumque non poſſit eademmet numero anima de vno in aliud ſubiectum corpus tranſmigrare, aſſerendum eſt proculdubio eo prorſus modo à ſemine conceptui animam ſenſitricem conciliari, vt ſemen, qua pollet mediante, alteram eiuſdem ſpeciei animam ſenſualem in fœtu ipſo producat; Sic & à Matre in conceptum haudquaquam migrat vegetalis anima, ſed fœmina miniſterio propriæ animæ alteram eiuſdem ſpeciei animam vegetatricem generat in ſanguine menſtruo, qui eſt materiale principium Embryonis, ac omnino gignendi animalis.

Ita Ariſtoteles mihi ſenſiſſe videtur De Ortu Animæ humanæ.

Age

Age in præsentia videamus nunquid eius opinio, quemadmodum est cæteris antehac examinatis præferenda, ita quoque veritati sit consentanea, propterea que à nobis amplectenda.

Cap. LIV.

Examinatur Aristotelis Opinio, ostendendo animam rationalem non extitisse ante corpus, nullumque aliud ab elementari corpus habere, animam vero sensitiuam fœtus non esse numero diuersam ab ea, quæ est in semine; & vegetalem non habere ortum à Matre.

Qva in re, quum intelligere, ac veritatem intelligibilium intueri, actio sit mētis citra corporis interuentum; quumque mens nostra in hac vita non possit ita supra corpus sese attollere, vt omnino libera sit à corporeo cōmercio, hinc factum est, vt diuinum sit, ac supra humanæ naturæ conditionem, non decipi circa veritatis cognitionem, humanum vero sit errare, atq; ita hominis proprium, vt nemo semper veritatem attingat, imo quilibet aliquem errorem necessario committat; Sic D. Plato in Theæteto scribit: *Quum bono oppositum aliquod semper esse necesse sit, nempe malum: quumque mala, quare & error, ac falsitas, apud Deos locum habere nō possint, naturam mortalem, regionemque inferiorem necessario*

sario circumeunt; propterea igitur omnis homo mendax. Nullus ergo me damnare debet, si de illorum numero non sum, qui alicuius ita sunt addicti autoritati, vt iurarint in verba Magistri; Is namque mihi est animus, qui vti semper grauium, ac illustrium Doctorum sententias magnifecit, ita rationem ipsam maioris, sensum vero (vtpote in cognitione proprii obiecti minus fallacem) maximi facere consueuit in iudicanda quaque controuersia; Ideoque fit, vt quascunque autoritates negligam, quas ratio ipsa, vel conuellat sensus; & eo magis, quia Platoni, *vis animi veritatis est amans, eiusque gratia cuncta peragit*; quare nulli mirum sit si pro veritate non possum cum Aristotele probare animi nostri partem rationalem, licet ea sit immortalis, esse increatam, ac nusquam non fuisse; propterea quod à Naturæ decretis abest, assertore vel ipso Aristotele non vno in loco, quidquam diutius ociari; Non ergo dicendum est mentes hominum, antequã corpus hoc elementare ingrediantur, incoluisse ab æterno, aut antiquissimo tempore, corpus aliud æthereum, vel quomodocunque aliter extitisse, quippe extra corpus elementare tot sæcula ab omni opere feriatas dicere oporteret, quum mens separata nihil aliud efficere possit quam intelligere, & eam fateatur Aristoteles

In Philebo.
2. De an. t. 82

teles à principio, dum simus (nobis indi ignaram penitus, omnisque cognitionis expertem, ac tanquam rasam tabellam, in qua nihil adhuc fuerit descriptum.

Deinde, quum corpus hoc menti impedimento potius sit, quã adiumento ad intelligendum, aut saltem, dum illi adiuncta est in hac vita, eo non vtatur ad hoc opus, profecto si mens nostra ante nos tanto tempore à corpore separata extitisset; necessario, quod aliæ substantiæ abstractæ faciunt, ipsa quoque versata fuisset in cognitione intelligibilium, & idcirco non ignara, quod ait Aristoteles, sed omni cognitione pollens nobis adueniret, quod arbitratur Plato, quod tamen si fieret, vt scilicet mens nostra quippiam intellexisset antequam oriremur, cur (quod obiicit aliquando Platoni Aristoteles) eorum nos in hac vita non recordamur? 2. Post. c. vlt.

Amplius, certum est hoc in Doctrina Aristotelis, Deum Optimum Maximum esse omnium aliorum entium veram causam finalem, quare & animæ rationalis, cuius Deum glorioſum esse finem essentialem norunt Theologi nostri multo melius; quum autem finis illud sit, cuius gratia cætera omnia fiunt quæcunque ordinantur ad finem, necesse est plane vt animam rationalem, non ingenitam, sed factam esse credamus. 2. Phys. t. 29. 31.

Si

Si præterea verum est, quod passim autumant omnes Peripatetici, finalem causam, & effectricem per sæpe coincidere, cur dicere dubitauit Aristoteles Deum benedictum, qui eius finis est, esse efficientem causam intellectus humani; quum aliunde oriri nequeat; quam à Deo, nam cæteta infra Deum finita virtute donantur, quæ ideo non possunt vltra suas vires mentem humanam tum simpliciter de nihilo creare, tum creare infinito tempore duraturam?

2. *De an. t.* 35 *& sequentib.*

Adde quod actus essentiales, & intrinsecè subiectũ perficientes, qui alio nomine actus primi, & formæ substantiales nuncupantur, sunt & ipsi Aristoteli, non proprie causæ, sed concausæ ipsius cõpositi, huiusq; ea ratio est, quia formæ substãtiales, etsi prius Naturę ordine, simul tamen secundum tempus esse incipiunt, cum eo, ꝙ generatur, & eo loci à conditione, & lege ista excepit Aristoteles sine vlla probatione animã intellectiuam, quamuis recte eam supra formas alias fecerit remanere post dissolutionẽ compositi; Anima ergo rationalis, quũ sit substantialis forma hominis, ac propterea non causa, sed cõcausa ipsius, licet natura homine sit prior, tempore tamen simul cum eo incipit esse; siquidem eodem instanti fiat, atque sit forma, & compositum, quod generatur, verum de hoc late Ficinus.

12. *Met. t.* 16. & 17.

12. *Met. t.* 17.

Sed

Sed & figmentum corporis illius diuinioris, in quo mens noſtra, antequã naſceremur, habitaret, tolerandum non eſt, quoniam ſi, vt ait, id corpus eſt, quo mediante anima humana corpori huic craſſo elementari adnectitur, adnexaq; permanet, fieret vtique vt moriente homine cadauer illius redderetur minus quam eſſet corpus antea viuens; quia cum anima rationali ab eo ſeparatur diuinum illud corpus, quo ipſa nititur, & apud Ariſtotelem neceſſe eſt corpus quodcunque imminui, vbi ab eo corpus ſubtrahitur, at experientia & ſenſus nos aperte docet tantam eſſe cadaueris magnitudinem, quanta erat moles corporis viuentis.

Lib. 18. c. 3. Theol. Pl.

1. Phyſ. t. 38.

Vlterius, ſi anima rationalis diuino illi corpori aſſociata, corpori noſtro huic elemẽtari adiungeretur tanquã actus eſſentialis; quum forma eſſentialis, non extrinſece, ſed intrinſece ſubiectum corpus perficiat inde procul dubio ſequeretur dari penetrationem corporum non ſolum in homine, verũ etiam multo magis in cæteris animatis, quorum forma ſubſtantialis eſt anima, quæ ſecundũ omnem dimenſionem corpori extenditur, quam tamen penetrationem corporum adinuicem vbique negat Ariſtoteles.

4. Phyſ. t. 47 1 De gen. t. 32. 35. & alibi.

Addo Ariſtotelem alicubi fuſiſſima oratione demonſtraſſe nullum dari corpus præter

cœlum, elementa, & ex his mista; quoniam si
1. Cœl. & mund. præter ea eiusmodi æthereum corpus reperiretur in rerum natura, necessario proprias sedes, ac locum aliquem obtineret alicubi vel
4. Phys. t. 42. intra cœli ambitum, vel extra cœlum, quippe satis constat ex Physicis, inter locum, & corpus intercedere nexum necessarium, sed quia
1. Cœl. t. 100. confitetur Aristoteles apertissimis verbis extra cœlum, vbi felicissimam vitam degunt diuinæ mentes æterno æuo, nullum adesse corpus, tum alibi intra cœli ambitum terræ mun-
4. Phys. t. 46 di centro immediate aqueum elementum, aquæ vero aërem, & aeri vndique ignem adnecti, igni vero proxime cœlum Lunæ, & huic cœlum aliud, & isti aliud, & sic deinceps vsq; ad primum, cœlum cœlo immediate circumuolui, nullus plane intra cœli ambitum relinquitur locus tali corpori assignandus; Non est ergo id corpus in rerum natura,

1 Cœl. passim. & 4. Phys. t. 45. Id quod & ex eo monstratur, quia Aristotelis testimonio, Omne corpus à Natura aliquem sibi proprium motum obtinuit, motum inquam localem, quum autem quatuor sint lationis species, motus enim aut est mistus, quo solummodo mista ex elementis corpora pollent: aut simplex, hic vero aut est circularis, & vni comperit cœlo: aut est rectus, qui rursum aut est ad medium, seu ad centrum, ac omnino deorsum vel simpliciter, & competit soli

tit soli terræ: vel secundum quid, & conuenit aquæ, aut potius est à medio, seu à centro, ac omnino sursum, & hic vel est simpliciter sursum & conuenit igni, vel secundum quid, & est motus naturalis aëri, nullus autem præter hos motus quum reperiatur, qui proprius sit alterius corporis, nullum pariter præter cœlum, elementa, & ex his mista, dicendum est esse corpus in hac mundana fabrica.

Ita ergo, quod pertinet ad animam rationalem, vltro concedimus Aristoteli eam homini contigisse extrinsecus, hoc est à Deo, sed hanc illi inficiamur à Deo pendere, ac oriri ab æterno per simplicem emanationẽ, quæ tollit ipsum non esse, nã dicimus animam intellectiuam, quum antea reipsa non esset, dum simus, à Deo ex nihilo creari, simul eodemq; temporis momento infundi corpori humano in vtero degenti, aciam organizato, non mediantibus vllis corporibus, sed nudam, ac simplicem; vti à Deo summo fabricatur, ita quoque corpori adiungi.

Quod etiam attinet ad animam sensitiuam, sponte concedimus Aristoteli, eam ortũ ducere à patre mediante semine, sed bene dubitamus an, quæ in semine est, eadẽ numero anima sensitrix in cõceptum sese insinuet, an (quod ille ait) semen qua pollet anima sensitrice sensitricem aliam solo numero diuer-

sam generet in conceptu, quoniam si illud
1. Phys. t. 63. verum est, quod ipse nos alibi docuit, absurdum esse si continuo, & statim ac generatum sit, quidquam corrumpatur, ita vt nullo fere tempore, aut saltem breuissimo in esse permaneat, inconueniens plane fuerit animam sensualem, quæ tempore coitus à Patre indita est semini, paulo post, statim ac sibi similem in fœtu generarit, vna cum semine ex vtero prodeunte, aut in halitus dissoluto, corrumpi, ac interire.

2. De gen. an. t. 3. 2. De an. c. 4 & alibi. Amplius, certissimum illud est, quod passim & ab ipso Aristotele pronunciatur, procreare, ac generare sibi simile, esse propriam actionem animæ vegetalis, ita vt quæcunque animata generant sibi simile, id præstent beneficio animæ vegetalis non alterius vllius; quare si reperiretur aliquod animal, quod omnes alias haberet animas præter vegetalem, id nulla ratione posset generare, ac soboli propagationi consulere; sic quibus cœlum animal est, id iis sibi simile cœlum non procreat, quia caret anima vegetali, solaq; gaudet intellectrice, sic intelligentiæ ob carentiam animæ vegetantis sibi similes mẽtes non procreant; sic intellectus humanus neque seiunctus à corpore, neq; in corpore degens similem sibi animã in filio generat, quia rationalis animæ actiones non communicant cum

actio-

actionib. inferiorum animatum, quæ corporeæ sunt, tanquã eis vtatur vt instrumentis ad suam operationem aliquã obeundam; quum secus eis communicet tanquam causa, & virtus superior ad recte edendas operationes illarum, quæ sunt inferioris notæ; Non minus certum iudico (quod etiam supra obseruabamus) omnem virtutem, quate & animam vegetalem, quemadmodum quando impeditur, non suæ naturæ proportionatum, ac sibi simile, sed quid imperfectius efficere, ita quando ab altiori natura adiuuatur, quid vltra suas vires operari; ac illi, quod non potest non efficere sibi simile, aliud quid seipsa perfectius addere, sed non supra genus, neque enim si & à mente adiuuaretur, quomodocunq; in opere anima vegetalis, hæc in virtute illius mentem crearet, quia vegetalis eius est generis, quod vt in esse, sic in agere pendet à materia, nihilve ideo potest producere nisi ex materia, at mens altioris est generis, quod nec in operari, nec in esse à materia pendens ex materia, aut agente materiali nullo modo produci potest; Ita quando ex se agit anima vegetans, nec impedita, nec ab vllo adiuta fuerit, tunc vndique sibi simile generare.

Es his colligo semen habere vim generandi, non ab anima sensuali per se primo, sed à vegetali, quam à Patre vna cum sensitrice

2. De an. t 15 & aliis. nactum non esse non potuit ipsi & Aristoteli, sed quia facultas, seu anima vegetalis, quæ in semine est, non ex seipsa operatur, imo adiuuatur in opere ab anima sensitrice nobiliori, sed eiusdem generis, materiali scilicet, & corruptibili, inde fit vt in conceptu necessario generet animam vegetalem non solum, sed & sensitricem; Non ergo fœtui à semine inest anima sola sensitrix; Non ergo fœtui à matre inest vegetalis, quod tertio dicebatur; Non ergo anima sensualis in conceptum recipitur procedente tempore post vegetalem, sed simul cum ea, nam vtraq; per eandem numero actionem ab vno & eodem agente, quod est semen, fœtui conciliatur, simul autem esse quorum generatio est in eodem tempore, docet Aristoteles.

Post prad. c. 3

Verum, est & ratio peculiaris, quæ monstret animam vegetalem non posse oriri à fœmina, si enim verum est quod modo falsum deprehendimus, scilicet quod opinatur Aristoteles, vegetalem animam primã omnium in conceptum recipi, sensitricem vero procedente tempore, si illã mater fœtui conciliat; hanc vero pater, cur id non euenit in homine vt mulier citra virum intra se cõcipere possit? sufficit enim ad conceptũ (ex Aristotele) sanguis menstruus, ac anima vegetalis, vnde ille fiat animatus; dicebat namque supra conceptum

ptum fieri, vbi excrementum fœminæ receperit principium, quapropter animatum est, hoc autem est anima vegetatiua. An dices id bene, licet raro contingat, euenire in mulieribus, quibus mola oritur in vtero, est enim mola animatum corpus. Sed hoc tollitur multifariam, Primo enim si Medicis credendum est, mola non à sola fœmina fieri, aut contrahi potest sine interuentu masculi, vt quæ statuatur esse caruncula in formis ex sterili vtriusq; parentis spermate, lentaque humorum viscedine constituta, quod ideo constare potest, quia non nisi in mulieribus coitum passis tale quid visum esse creditur. *Ter. 4.*

Sed si iis potius standum, quæ scribuntur Aristoteli dicenti molam non esse ex vtroq; parente, sed ex altero tantũ, veluti ouum subuentaneum, nempe ex fœmina sola, non obstante eo, quod à Medicis obiicitur, nam etsi sola fœmina molam generare potest, non tamen à virgine tale quid fieri poterit, vel vix, vtpote vteri vasa omnia in muliere coitũ non experta sunt exigua, pauco sanguine referta, & in vteri cauitatem sanguinem non fundentia, tum quia & ipsa, & vteri os interius reserari non soleant nisi actione maris, at mola ex aduerso ad sui generationem requirat os vteri, & vasorum apertum, & plus sanguinis quam soleant continere vasa vteri virginalis; *10. De hist. an. c. 9.*

nalis; Ne dicam innuptas mulieres nobiles, ac virgines creditas molam vtero gestasse testimonio virorum integræ fidei, si inquam aduersariis demus molas generari à sola fœmina, non ideo euadere poterunt absurdum, nam mola non est quid naturale, sed præternaturam, ac morbus in genere malæ compositionis pertinens ad numerum adauctum argumentum vero conuincit naturaliter hoc posse contingere, data hypothesi quod mulier concipere possit citra masculi opus conceptum naturalem.

Deinde fortasse mola in vtero non viuit merito animæ cuiuspiam diuersæ à materna, sed veluti ouum subuentaneum in aluo ouipari, polypus in naribus, ac excrescentiæ aliæ carnosæ prẹter naturam ortę in humano corpore, ita & mola in vtero rude carnis frustum nutritur, ac augetur beneficio animæ maternæ, quæ sua exercet munia in ea parte in qua oritur mola, argumentum autem probat ex data hypothesi mulierem sine ope viri tale quidpiam generaturã, quod ex se, ac beneficio suæ animæ numero saltim diuersæ à materna, nutriri, augerique valeat, ac viuere.

10. *Hist.* 9.

Deinceps mola eius naturæ non est, vt superueniente viro à semine possit sensualẽ animam suscipere, & extrinsecus à Deo rationalem, ita vt demum fieri valeat homo alter, ac

à matre

à matre in lucem edi tanquam perfectum animal, ac rationale; sed ratio nostra ex supposito demonstrat fæminam sine viro in se quid posse concipere, quod per participationem animæ tum sensualis à patre superueniente, tum rationalis à Deo fieri queat animal perfectum, atque homo.

Denique mola, quum caro sit, non vegetalem solum, sed sensualem quoque animam obtinebit; nam ipsi & Aristoteli caro quidquam non est, nisi æquiuoce vt lapidea manus, manus esse dicitur: caro (ait) quidquam non est nisi animam habeat, eamque sensitiuam; hinc ergo fieret vt fæmina non tantum vegetalem animam fætus generare posset, sed etiam sensitiuam; vnde aperte magis sequeretur fæminam posse sine interuentu maris concipere; & vlterius conceptum in lucem edere, vt cui apud Aristotelem habenti animam vegetalem, sensualem, non à patre, sed extrinsecus mens aduenit. 2. *De gen. an. c. 1. & c. 4.*

Non ergo indit fæmina fætui animam vegetalem, quod censuit Aristoteles.

Cap. LV.

Soluuntur Aristotelis rationes, ostendendo aliquid ortum posse esse immortale: semen fieri partem fœtus & non esse parem rationem de fœtu, ac de quo subuentaneo.

AGE nunc Aristotelicis argumentis respondeamus. Quod itaque circa intellectum primo probabatur esse antiquissimum, atque ingenitum, quia incorruptibilis; tenui fundamento nititur, in sola Aristotelis autoritate constituto, nempe quod nullum de nouo factum sit incorruptibile, sed omne quod fit in tempore ita vt ante non fuerit, in tempore quoque corrumpetur sic vt postea non erit; quod enim de nouo fieri dicitur, dupliciter ad tempus se habere potest; vel enim fit post temporis ortum, ac sub passionibus temporis, ita vt per motum, aut saltem producatur non sine motu, qui tempore mensuratur; ac ab eo agente fiat, cuius actio est temporanea, vt formæ omnes corruptibiles, quæ per motum fiunt, ac ab agente, cuius actio tempore mensuratur, & subiicitur passionibus temporis; reguntur enim sublunaria efficientia omnia in agendo à motu cœli, & omnino
1. Meteo. c. 2. à tempore ipsi & Aristoteli. vel quod de nouo fit, nascitur quidem post temporis ortum, sed supra conditiones, ac passiones temporis, vt pote non fiat per motum, qui mensuretur tempore cuiusmodi est creatio; nec fiat ab agente, quod in agendo pendeat à motu cœli, ac omnino à tempore, vti est Deus Optimus Maximus; Quæ fiunt de nouo primo modo, siue in tempore sub passionibus temporis, tem-

tempore mensurantur, ac sunt corruptioni obnoxia, vt quæcunque ab agentibus sublunaribus proxime oriuntur; At quæ fiunt in tempore supra passiones temporis, & citra illius conditiones, eo non mensurantur, sed possunt esse æterna; sic anima rationalis à Deo fit per creationem, quæ actio non tempori subiacet, sed æternitati; ideo mens in tempore orta est immortalis; Ita Platoni, ac cæteris fere omnibus vetustioribus Philosophis Mundus, qui est incorruptibilis, non semper fuit; quamuis de mente Platonis aliter Proclus arbitretur; id tamen in Timæo legimus; Deum æternum aliquando condidisse Deos iuniores nulli corruptioni obnoxios.

Quod autem secundo probat Aristoteles animam sensitricem fœtui, ac semini paterno eandem numero non inesse: sed semen propria mediante alteram eiusdem speciei generare in fœtu; quia semen non permanet tanquam pars in constituto conceptu: vna vero, eademque anima de vno in alterum subiectum non transit: firmius non habet fundamentum: si quidem seminis corpus non remanere tanquam principium materiale constituti conceptus, neque Aristoteli ipsi, neque rationi, neque sensui consentire videtur; Aristoteli quidem, nam

supra

supra is aperte fatetur eandem rationem habere semen ad conceptum, quam habet coagulum ad lac: quum autem sapor, & odor coaguli permanentes in lacte coagulato plane demonstrent substantiam coaguli quoque in lacte petmanere; alioqui enim migrarent accidentia de vno in alterum subiectum: satis aperte constat & corpulentiam seminis permanere in conceptu.

Sensui vero, quo & in ouis fœcundis; quæ subuentanea non sunt, apertissime remanere semen masculi referens speciem grandinis: & in stirpibus tum plerisque aliis, tum manifestissime in limonibus conspicitur, in quorum fructibus valde maturis sæpissime videri possunt semina, è quibus planta nascitur, cuius nascentis materia est corpus, ac substantia seminis alba, & crassa: Si itaque id in plantis euenit, ac in animalibus ex ouo natis, vt seminis corpulentia cedat in materiam geniti conceptus: cur id quoque contingere non debet in homine, ac cæteris animalibus perfectis, quorũ semina in fœtus substantiam abire sensus, & ipse iudicat in abortibus primæ, vel secundæ diei ab actu conceptionis, quorum materia alba est, & crassa ad instar seminis, & lactis cuiusdam subcruenti, teste Alberto Magno?

5. De animal cap. 5.

Rationi autem, nam eo supposito, quod & sensui

sensui notissimum, & ab Aristotele, Galenoque concessum, fieri non posse conceptum, nisi semen in vtero retineatur: quum autem semen si in vtero retinetur, id alicuius gratia fiat; quumque ex eo, quod semini duo insunt materia & forma, multiplex vsus assignari possit, cuius gratia semen pro conceptu constituendo in vtero contineatur; nempe à forma seminis conceptus potest animari, ac necessariis ad vitæ actiones instrumentis exornari; à materia vero constitui, aut contemperari; diuersa nanque quum sint materia, & forma seminis, distinctos quoque vsus habere debent in constituendo cõceptu. Quod si quis dicat ideo semen pro fætu in vtero retineri, vt à forma seminis materia conceptus, quæ in vterum à fœmina est immissa, sortiatur & vitam, & animam, & instrumenta, quibus anima vtitur ad obeunda munera vitæ: is profecto reddere rationem non poterit, quare Natura vt in insectis plerisque fecit, sic in animantibus cæteris nobilioribus, atque præsertim in homine id non præstiterit, quod fœminæ à maribus excipiant vim, seu animam solam seminis, non autem semen ipsum: quod alioqui & frustra eiaculatur in vterum, & magno cum detrimento maris, & sæpe cum periculo vitæ: non decet autem hoc summam naturæ prouidentiam, de in-

7. De hist. an. cap. 3. Lib. de sem.

1. De gen. an. in fin.

2. De gen. an. cap. 1.

de insectis maiorem curam habere, quam de hominibus,

Sin autem dicat alius præter hunc vsum desumptum à virtute seminis, alterius etiam vsus gratia ad conceptum semen in vtero retineri, qui proprie desumitur à corpore seminis, & hic vsus est, non constituere tanquam materia ipsum fætum: sed vel coagulare sanguinem, aut aliam quamuis materiam conceptus; oporteret profecto materiam, & corpulentiam seminis vt naturam contradistinctam ab anima seminis, aliquid efficere in materiam fætus, sed omnem Philosophiam tollit, qui materiei, cuius proprium est pati, vim concedit effectricem, atque mouentem; imo præterea necessarium esset, vbi semen hos vsus præstiterit, ipsum ex vtero exire aut in flatus dissolui; quorum neutrum contingit: tum quia semine attracto, vterus, qui conceptum gestare debet, ita os claudit, vt apud Galenum ne tenuissimo specillo aditum præbeat: tum quia sanæ mulieres, ac boni habitus, toto grauiditatis tempore nullum humorem, nullumque flatum ex vtero sibi prodire vsquam animaduertunt: quod certum est indicium iis ex vtero nihil effluere. Neque tuta est euasio, quod seminis substantia, non quidem in flatus crassiores, atque sensibiles, vtpote crepitum facientes, quales ab im-

ab imbecillo calore ſuſcitari ſolent: ſed in tenuiſſimos conuerti ſpiritus, qui per meatus, quibus vndique ſcatet corpus vniuerſum, abſque eo quod vtero gerens id animaduertere valeat, diſſipantur, perinde ac difflantur continue à toto habitu corporis halitus quidam ſenſum ſubterfugientes: quoniam craſſiorem, tenacioremque ſeminis corpulentiam à calore, qui in ſano vtero eſt, qualem mulieris grauidæ opus eſt eſſe, miti ac blando in tenuiſſimos, ac inſenſiles halitus totam diſſolui, veriſimile non eſt.

Indè etiam tollitur ea ratio, qua deinde Ariſtoteles probare nitebatur ſemen, facto conceptu, in halitus diſſolui, aut ex vtero foras exire, vt cui prona eſt ad id ſubſtantia humida, & aquoſa: propterea aque facile diſſolubilis in halitus, & facile labilis ex vtero foras: Nam & vteri os clauſum egredienti materiei non ita facilem aditum præbet: & ſemini cum humiditate craſſities adiuncta eſt, ac lentor: quare idipſum neque inſenſibiliter ex vtero exire valet, & contumacius eſt quam vt in flatus vel craſſiores diſſipari poſſit actione caloris, qui in vtero ſecundum vtranque primarum qualitatum oppoſitionem temperato (qualis Hippocrati eſſe debet vterus mulieris concipientis) reperi- 5. *Aph.* 62.

peritur mitis, beneficus, minimeque mordax: vterus enim neruosa constans materia sanguinis est inops, & modici compos caloris, qui neque illi à partibus, quibus vndique circumdatur, augeri potest; nam hæ pariter immoderato calore, sanguineque copiosiore destituuntur, vt vesica, intestina, peritoneum, dorsum, & alia id generis exanguia, temperamentique frigidioris.

Alterius ergo vsus gratia semen in vtero retinetur, nempe vt ex eo tanquam ex materia constituantur partes albæ conceptus, quales sunt cerebrum, neruus, spina, vena, os, arteria, membrana, cartilago, cutis, & huiusmodi; Nam quod vlterius dicebat Aristoteles (vt aliqui exponunt) cutem animalis in vtero fieri ex menstruo fætum ambiente refrigerato à parietibus vteri, quibus adhæret, vt in pulte fieri solet exterior illa excara, refrigerata extima superficie liquoris à frigore ambientis; & similem, eundemque fere generationis modum sortiri venas, neruos, membranas & alias corporis nostri partes albas; quas ideo à cute, non nisi maioris, minorisue: seu excessus, defectusue ratione differre scribit; nisi nomine frigoris calorem mitem intelligat, dissimulantis est hominis, & consuetudinem naturæ, in cuius opera frigus non ingredi vulgatissi-

gatissimum est in ore omnium Philosophorum:& rationem ipsam,qua perspicuum est partes albas corporis nostri non solum secundum excessum, atque defectum abinuicem differre,sed specie,ac secundum propriã naturam:quod tum sensus ipse in anatome, tum quoque actiones illarum variæ,ac multiplices, quæ ab vna, & eademmet essentia proficisci nequeunt, satis apertum faciunt: albarum namque partium in humano corpore aliæ sensu pollent,aliæ eo carent:& rursum aliæ per se mouentur,aliæ vero moueri non possunt nisi ab aliis motæ: Nisi forte, non quantum adesse,sed quantum ad fieri eas velit Aristoteles ab inuicem secundum magis & minus differre,prout scilicet aliæ ab intensiori, aliæ vero à remissiore calore efformantur.

Quod autem postremo loco confirmabat Aristoteles vegetatricem animam conciliari fœtui à matre, desumpto argumento ab ouis subuentaneis,quæ sine ope maris à fœmina generata nutriuntur, atque augentur, & morte pereunt:ac propterea cuius beneficio istas edũt operationes,vegetatricem animam à matre necessario sortita sunt: soluim dicentes oua ipsa subuentanea,& ea quoque, quæ futura sunt vitalia,atque fœcunda,ante actionem maris viuere,tanquam fructus matris,

tris, beneficio animæ maternæ, vel etiam demus ea ipsa viuere per propriam animam à materna generatam: hanc tamen necessario exuunt aduentu maris, à quo nō possunt sortiri sentientem sine vegetali, vt satis ostendidimus in superioribus: verum esse longe diuersam rationem de animalibus aliis perfectioribus, & præsertim de homine: quoniam mulier naturaliter non potest ex se sine interuentu masculi quid in vtero gignere, quod habens animam vegetalem solum tanquam ouum subuentaneum, superuentu maris postea sortiatur sensitricem, ac fiat animal: quippe conceptus in muliere apud ipsum & Aristotelem fieri non potest nisi quando post coitum semen maris permanserit in vtero fœminæ sex, aut septem dies.

7. Hist. c. 3.

Hactenus de opinione Aristotelis: quod si quis contendat Aristotelem longe aliter de anima sensisse: quia & ego noui nulla alia de re illum tam obscure, tam perplexe tractasse: propterea non repugnabo: sed superior opinio sit confutata tanquam à veritate aliena, in quam quis posset fortasse descendere: siquidem valde gauderem me tam ardua in re à tanto Philosopho non dissentire: Sin autem hæc est germana Aristotelis Opinio, ipsam

psam pro veritate acrius expendisse non pœniteat.

Atque hæ sunt quæcunque circunferuntur Illustrium Scriptorum opiniones De Ortu Animæ Humanæ.

Finis libri primi.

FORTVNII LICETI

DE ORTV ANIMÆ HVMANAE,

LIBER SECVNDVS.

In quo ex propria sententia explicatur, Vnde, Quomodo, & Quando Anima humana habeat Originem.

CAPVT I.

Animam humanam non esse simplicem substantiam, sed actum essentialiter compositum ex anima vegetali, sensitrice, & intellectiua.

QVVM itaque in superiori libro late pateat quæcunque de Ortu Animæ humanæ tradita sunt, & à veteribus, & à iunioribus Philosophis, non omnino intellectui satisfacere, nec prorsus mentem firmare: quamuis hoc nos admonere posset in abditissima, difficillimaque hac speculatione,

ne, in qua vel totius Philosophiæ Coryphæi Græci, Arabes, & Latini laborarunt, vlterius progrediendum non esse: contra tamen rei dignitas, & difficultas nos impellit, vt ex propositis, ac examinatis aliorũ sententiis quod luminis haurire potuimus, tamdiu ventilemus, ac augeam⁹ vlteriori disquisitione, quo propositę contemplationis veritatem in profundo, & obscuro huius Philosophiæ puteo latentem detegamus, detectam illustremus, ac illustratam studiosis in propatulo offeramus: si tantum nobis licuerit.

Aggrediamur ergo iam hoc opus, ab ipsius essentia animæ originem expiscantes: & fœlix sit omen.

Est anima humana non simplex natura, sed forma composita ex irrationali, mortaliue anima, tanquam potentia, & rationali, quæ est immortalis, tanquam actu eiuscemodi potentiam essentialiter perficiente. Quod etsi satis apparet ex traditis passim in superiori libro: quia tamen res est multum inter Philosophos controuersa: hoc ipsum vlterius demonstremus.

Quum ergo Aristoteles ex eo, quod animę actio est vel separabilis, vel inseparabilis à corpore, colligi posse iudicauerit animæ ipsius essentiam esse itidem vel separabilem, vel ab eodem inseparabilem: necessario con- 1. *de an. t.* 13.

ſtendum eſt actionem vbique proportione reſpondere illi eſſentiæ, à qua prodire conſpicitur: ita vt veriſſimũ ſit aſſerere qualis eſt actio, talem & eſſentiam eſſe, vnde actio pendet: quum igitur actiones homo habeat non vnius, ac ſimplicis naturæ, ſed multiplicis, ac diuerſi generis : aliæ namque ſunt ſine vlla cognitione: aliæ vero cognitionem includũt: & inter has aliæ corporea inſtrumenta poſtulant: aliæ autem citra organi corporei miniſterium eduntur: oportet quoque animæ humanæ eſſentiam, vnde tales prodeunt actiones, non eſſe ſimplicem, ſed multiplicem & conſtitutam ex diuerſis naturis, quales ſunt anima intellectiua immortalis proprias actiones edens abſque interuentu inſtrumenti corporei: ſenſitiua cognitione pollens, & mediante organo corporeo proprias facultates exercens : atque vegetalis nullius cognitionis particeps, & inſtrumento corporali vtens ad operandum quicquid agere apta eſt.

2. Amplius, apud Ariſtotelẽ ſubſtantiæ ſunt ſicut numeri: ſed numerorum nullus naturæ ſimplicis, at omnes compoſiti ex vnitatibus: alii quidem paucioribus, vt binarius: alii autem ex pluribus: & hi hoc modo conſtituuntur, vt per additionem nouæ vnitatis, tanquã formę, pręexiſtenti numero eeu materiei, fiat ſemper noua ſpecies numeri: ſic enim bina-

rio

rio addita tertia vnitas fit ternarius numerus: cui si addatur quarta, nascitur quaternarius: & ita deinceps. Nisi ergo tale quid in substantiis contingeret, vt earum aliquæ ex simplici forma, & materia constituerentur, talia sunt elementa: aliæ vero maiorem compositionẽ nanciscerentur per additionem vlteriorum formarum præexistentibus in materia, qualia dicimus nos esse animalia, & homines, quorum constitutio est primum quidem ex nuda materia, simplicique forma in elementis: ex quorum miscela deinde quod nascitur tale est mistum, vt sit capax animę vegetalis: qua postea susceptа, fit viuens: quod in potentia existens ad animam sensitricem, hac vegetali præexistenti adiuncta, fit animal: cuius formæ si mens associetur, tanquam vltima vnitas, præexistentibus in numero priori, constituitur homo: male sane dixisset Aristoteles substantias esse sicuti numeros.

Præterea, si anima humana esset simplex natura, non composita essentia ex rationali, & anima sensuali, ac vegetali: per eandem plane animam homo esset & homo, & animal, & vegetans: quum autem homini quicquid competit per formam specificam, id illi competat per se primo: profecto homo esset per se primo & homo, & animal, & vegetans: ita enim Triãgulo cõpetit p se primo habere 5.

tres, quia id illi conuenit per formam, qua est triangulum, quæ illi est differentia vltima, & specifica. At vero homo nullo pacto dici potest per se primo vegetans, aut sentiens, tum, quia vegetare est passio propria animati corporis, quod genus est hominis remotum, cõmune omni viuenti sublunari: & sentire est passio propria animalis, quod est genus proximum hominis, commune etiam brutis: sed passionem generis non conuenire per se primo speciei, satis aperte docuit nos Aristoteles in primo posteriorum, vbi detegit errorẽ, qui plerunque fit circa vniuersale: quem errorem sane euitare nequeunt hoc in loco aduersarii: tum etiam quia quicquid per se primo competit alicui, in alio id esse nequit, nisi in virtute primi illius, cui conuenit per se primo: namque habere tres, quia inest triangulo per se primo, id ineſſe non potest Scaleno, Isopleuro, aut alteri cuiuis alii, nisi per participationem trianguli; necesse est profecto vt stirpes, & bruta vniuersa habeant in se animã, ac naturam humanam; aut illæ non sint vegetantes, hæc vero nec vegetantia sint, nec animalia; quorum nullum fieri potest. Hominis ergo anima composita natura est ex specifica forma intellectiua, seu rationali, qua homo per se primo est homo, specie distinctus à quocunque alio; & generica tum proxima,

1. Post. s. 11. & 14.

xima, puta ſenſuali, qua homo per ſe quidem, ſed non primo, eſt animal, in quo conuenit cum brutorum animalium genere vniuerſo; tum remota, nempe vegetali, qua homo ſimiliter per ſe, ſed non primo, eſt vegetans, in hoc cum ſtirpibus conueniens.

Vlterius, ſi anima humana non eſſet compoſita natura ex anima vegetali, ſenſitiue, ac intellectiua, vt diximus, ſed eſſet ſimplex intellectus; quum intellectus, vtpote immortalis, genere differat Ariſtoteli à vegetali & anima ſenſitiua naturæ corruptibilis: quumque ab animarum differentiis differentiæ animatorum deſumendæ ſint apud Ariſtotelem, qui ſcribit, actum eſſe, qui ſeparat & diſtinguit: procul dubio differret homo ſecundum genus & à plantis, & à brutis: quum tamen cum illis in genere remoto conueniat, quod eſt vegetans; cum his vero in genere proximo, tum logico, quod eſt animal: tum phyſico, quod eſt corpus naturale mortale, ſeu animatum, aut animal mortale. Id autem nos dicimus euenire, quia res differunt adinuicem per ſuos actus, ſeu formas totales: modo intellectus non eſt forma totius naturæ humanæ, ſed pars talis formæ, quæ eſt anima humana, compoſitam naturam habens ex intellectu, vegetali animâ, & ſentiente; idcirco proprie homo ab aliis non

4.

10. *Metaph.* t. 26.

7. *Metaph.* t. 49.

debet dici differens per ſolum intellectum, ſed per totam animam humanam: hæc autem, licet habeat potiorem ſui partem immortalem, ſecundum ſe tota quum ſit corruptioni obnoxia: ideo fit, vt homo ſit etiam mortalis, vt bruta & plantæ; ac propterea ab iis genere non differat.

5. Amplius, quum, ſicuti generatio phyſica eſt eductio formæ de ſinu materiæ: ita corruptio ſit eiuſdem formæ interitus, aut non ſine hoc: ſi anima hominis eſſet ſimplex intellectus, non ex materia genitus, ſed ex nihilo creatus, & immortalis, non caducus: ſi, inquam, anima noſtra eſſet ſimplex intellectus prædictus, non ſubſtantia compoſita ex rationali anima, & irrationali, naturæ generabilis & caducæ, ita vt ad huius ſolius generationem & interitū tota & anima humana, vt compoſitum, ſit vere ac phyſice, quantum natura formæ patitur, ex materia generabilis & corruptibilis; procul dubio non eſſet homo proprie ac phyſice, vt bruta & ſtirpes, generabilis & mortalis; quod qui affirmare non dubitant, præterea quod hominem non eſſe vniuoce animal cum brutis, & vegetans cum ſtirpibus ponere videntur, ii ſane pro voluntate philoſophantur. Mihi autem homo eſt corpus naturale, ac materiale: naturalibus proinde ex materia paſſionibus, generatio-

rationi, mortiq́ue obnoxius: eiusq́ue anima ideo ex materia genita, & mortalis: etsi potior humanæ animæ pars intellectiua sit non educta de sinu materiæ, sed creata ex nihilo, & immortalis: ad hoc enim, vt aliquod compositum vere aut generetur, aut corrumpatur, non oportet singulas illius partes aut generari, aut corrumpi: sed sufficit vnius tantum, vel ortus, vel interitus: sic ignis vere generatur & corrumpitur, ad generationem & corruptionem formæ suæ, eadem permanente materia ignis ingenita & incorrupta: sic cœleste animal, quod ex orbe & intelligentia constituitur, interiret, si sphæra dissolueretur, superstite intelligentia. Ita ergo anima humana, vt dicit substantiam compositam ex rationali anima, & rationis experte, ad huius solius irrationalis animæ conditiones proprie generabilis est, educta de sinu materiæ, & vere mortalis: quare & homo ipse proprie generabilis est, ac mortalis; quamuis animæ suæ pars dignior, mens sola ingenita, sed creata ex nihilo, sit immortalis.

Postea, quum apud Aristotelem homo hominem generet ex materia: quumq́; munus generantis ex materia, sit educere formam geniti de sinu materię, necesse est, plane animam hominis generati pendere ex aliqua parte 6. 2. *Phys. t. 26.*

parte ab homine generante ex materia, & omnino fieri ex materia: quippe homo materialem naturam habens, nõ potest quidquam generare, nisi ex materia: quare in anima humana præter mentem, quæ à materia in fieri non pendet, alterum genus animæ inesse oportet eductum de sinu materiæ, & mortale. Neque sat est respondere, idcirco hominem ex materia generare hominem, quia pater primum generet ex menstruo animas irrationales: sed has non permanere in genito adueniente rationali; quo fit, vt hominis perfecti anima simplex sit intellectus; quoniam (præter ea, quæ in hanc opinionem superius dicta sunt) sic homo non generaret hominem, sed animal, quod nusquam humanam induit naturam, quum vel exoriente anima rationali, qua fieri posset homo, corrũpatur.

7. Et miror certe ego mirari aliquos, animam humanam componi ex rationali anima & irrationali, quę quum formæ sint, vtræque maiorem habent affinitatem & nexum inter se, quam corpus & anima humana; ex quibus tamen vnum componi hominem non admirantur.

8. Imo, quum illud verissimum sit, non posse naturas valde ab inuicem diffitas discrepantesque in vnum coire sine medio, vel simplici, vel multiplici, prout essentiæ inuicem con-

coniungendæ minori, vel maiori distant interuallo; quumq; anima rationalis inter cuncta entia naturalia dissimilimam habeat essentiam naturæ materiei, cui associanda est in generatione hominis: hinc factum est, vt eam Natura coniunxerit ipsi materiæ, mediantibus pluribus vinculis: intellectus enim corpori adnectitur interuentu animæ sensitricis; quæ quoque longe nobilior quum sit ipsomet corpore; huic ideo & ipsa associatur mediante anima vegetali: cuius etiam dignitas, quia non est comparanda ignobilitati materiæ, materiei propterea vnitur beneficio caloris naturalis, seu temperamenti, quod ex elementorum mistione oritur.

Posterius, si animæ humanæ natura esset simplex intellectus: quum anima humana saltem per accidens ad similes nimirum conditiones corporis, sit augmentabilis, diminuibilis, quanta, diuisibilis, & consequenter mortalis, vt satis ostensum fuit supra; profecto mens nostra pariter per accidens esset augmentabilis, diminuibilis, quanta, diuisibilis, & mortalis; quæ omnia falsa esse, superiori libro monstrauimus. 9. *Lib. 1. c. 13. 15.*

Adde, quod si anima humana esset simplex intellectus; quum intellectus sit omnino tum per se, tum per accidens indiuisibilis, vt qui nullo modo est capax quantitatis, subit 10.

omni-

omnino rationem puncti: & sicuti punctum, quod additum est corpori, non potest dici vnitum singulis partibus illius corporis seorsum consideratis, sed vni tantum: illique non extensibiliter, sed vt terminus: ita probabile non est, mentem corpori adiunctam esse in omnibus partibus eius sigillatim, sed in vna tantum: & in ea non dimensionaliter (vt ita dixerim) sed vt quid indiuisibile.

Verum ita fieret, vt multæ partes in corpore nostro non informarentur anima: & alia multa sequerentur absurda, de quibus abunde superius.

Lib. 1. c. 13.

Tacitæ obiectioni responsio.

Neque sane tuta euasio est dicere, id euenire in anima rationali, quod obseruatur in omnibus substantiis spiritualibus: Deus enim actus est simpliciſſimus, summe indiuisibilis, & maxime vnus, & nihilominus dicitur esse in toto mundo simul, & in omnibus mundi partibus sigillatim: Ita quæuis alia intelligentia motrix est in toto suo cœlo, & in qualibet eius parte, indiuisibilis existens, & prorsum quantitatis exors: Quare & mens nostra, etsi omnino indiuisibilis, potest esse in qualibet parte corporis sigillatim. Nam male comparatur in hoc mens nostra cum substantiis separatis; quoniam rationalis anima est in corpore, tanquam actus intrinsecus,

cus, & forma informans: At diuinæ mentes sunt in mundo, & in cœlo tanquam formæ assistentes, vt alibi ostendimus, ac veluti nauta in naui, quicquid senserint aliqui: quum autem hoc discrimen sit inter formas informantes & assistentes, quod formæ assistentes, etsi puncti ad instar indiuisibiles, sunt nihilominus totæ in singulis partibus corporis, cui assistunt, eo quia illi non vniuntur intrinsece vnione physica, sed extrinsecus tantummodo præsunt: sicut enim nauta non informans nauem essentialiter, sed illi solum assistens, est totus in tota naui, & totus in singulis partibus eius, non quidem simul, quia corpus quum sit, circumscribitur loco determinato suæ magnitudini; sed diuerso tempore: nam potest nauta esse modo in hac, modo in quauis alia parte nauis; sic prorsum intelligentiæ quum sint formæ solum assistentes, possunt esse totæ in toto corpore, cui assistunt, & totæ in singulis partibus eius, ac simul; quia incorpoream naturam habentes non circumscribuntur loco, vt nauta: & præsertim Deus, mundo assistens, est in quauis mundi particula ea quoque ratione, quia est summum bonum, de cuius ratione est, quod sit summe communicabile: at formæ informantes, quæ sunt actus intrinseci alicuius corporis, si fuerint

1. de vita, cap. 16.

rint ad instar puncti indiuisibiles omnino, atque quantitatis nullo modo capaces, non poterunt sine contradictione dici tales, vt sint in omnibus partibus corporis, quod informant, sigillatim: nam sic essent extensæ ad corporis illius dimensiones & diuisibiles per accidens. Igitur mens nostra quum sit actus intrinsecus, & forma informans, simulque ad instar puncti, per se non quanta & indiuisibilis omnino, non potest esse tota in qualibet parte nostri corporis sigillatim.

Non est ergo animæ humanæ natura simplex intellectus.

11. *Ab authoritatibus.* Propositis rationibus, præter autoritatem Aristotelis, Platonis, Plotini, Philoponi, & aliorum, de quibus supra, addere nunc liceat
2. *Collig. c.* 11. sententiam, & primum quidem Auerrois, dicentis, animam nutrientem permanere oriente sensitiua: deinde vero Themistii scri-
12. 3. *de an. t.* 27. bentis, *sensuali animæ, ceu materiæ, intellectum copulari: quippe ordo processusq; Naturæ hic est, vt respectu inferiorum superioribus vice formarum vtatur: & respectu superiorum inferioribus vice materiæ. Summam vero, & supremam formarum intellectum constituit, quo simul atq; progressa est, receptui canit, in eoq; finem, quasi extremam manum imponit: vtpote quæ nullam formam superiorem aut nobiliorem haberet, cui loco materiæ subijceret*
13. *intellectum.* Postremo autem Aristotelis in fine

fine decimiquinti capitis ſeptimi Politicorum, cuius hæc ſunt verba: *Clarum eſt hoc primum quidem, quemadmodum in alijs, quod generatio eſt à principio, & finis à principio aliquo alterius finis: ratio autem nobis, & mens naturæ*, id eſt, naſcituræ, *finis*: quæ iis apprime conſentiunt, quæ ab eodem Ariſtotele tradita ſunt in tertio ſecundi de generatione animalium, & à nobis explicata ſuperius, nempe propriam, ſpecificamque formam, vt cuiuſque rei alterius, ita etiam hominis, quæ dicitur mens & ratio, ſeu anima rationalis, eſſe finem ſiue terminum, ad quem tendit hominis natura ſeu generatio: ſubdit autem ibi, *Quare ad hæc generationem, ac morum inſtitutionem parare oportet. Deinde vt anima & corpus duo ſunt, ita quoq; duas videmus eſſe animæ partes, vnam irrationalem, alteram, quæ habet rationem*: Quis hic repugnabit, contendens Ariſtotelem non ſenſiſſe, animam humanam eſſe eſſentialiter compoſitam ex anima irrationali, & rationis compote, tanquam ex duabus naturis reipſa ab inuicem diuerſis, quarum altera ſubeat rationem eius, quod eſt in potentia, & eſſentialiter perfectibile; altera vero vices obeat actus, & perficientis, quemadmodum homo ipſe compoſitam eſſentiam obtinuit, ex duabus hiſce partibus eſſentialibus, quas vocamus animam & corpus? ſubiungit autem Ariſtote-

Lib. 1. c. 33. in fin.

ſtoteles loc.cit. *habitus quoq; earum duos, quorum alter eſt appetitio, alter mens.* Nomine mentis nunc non animæ ſubſtantiam, vt antea, ſed illius habitum ac facultatem ſignificans. Subdit, *vt autem corpus in generatione antecedit animam, ſic pars irrationalis antecedit eam partem, quæ habet rationem.* Quæ ſane confirmant ſuperiora, quippe irrationalis anima tanquam adhuc perfectibilis naturæ ordine, ſeu via originis præcedit rationali, à qua ceu ab actu vltimam ſui perfectionem & complemẽtum ſuſcipit. Quod autem ſubdit Ariſtoteles eo loco, *Patet id in pueris, quibus ſtatim ira, & voluntas, & concupiſcentia exiſtit: at ratio & mens procedente ætate, in illis fieri natæ ſunt.* Ita intelligendum eſt, quod hic nomine mentis ac rationis, non animæ rationalis eſſentiam, ſed potius actionem ſignificet; ſiquidem promiſcue vtitur Philoſophus nomine rationis ac mentis, tum pro ſubſtantia animæ rationalis, tum pro eius operatione, perinde ac nomine ſenſus pro eſſentia animæ ſentientis, vt quando ait, *viſum eſſe formam oculi, & ſenſum animalis, & animal eſſe ob ſenſum primo.* Quare ex eo, quod actiones animæ rationalis, quæ ſunt mens & ratio, in pueris fieri ſolent poſt actiones animæ irrationalis, quæ ſunt ira, voluntas, non ea, quæ eſt ipſius mentis, ſed concupiſcentiæ, quam alio nomine magis proprio appel-

2. de an. t. 9. & 16.

appellamus appetitum, optime colligit Aristoteles, partem animæ humanæ rationalem in generatione hominis fœtui contigisse post partem irrationalem, quandoquidem vbique ab actionibus ad essentiam validissimum sit argumentum.

Constituta est ergo essentia animæ humanæ ex anima rationis experte, tanquam ex eo, quod est in potentia & anima rationali, tanquam ex actu.

Cap. II.

Non ab vno & eodem agente prodire totam animæ humanæ substantiam.

QVum itaque duæ sint partes essentialiter constituentes substantiam animæ humanæ, rationalis anima, & ratione carens: quumque hæ tanto ab inuicem distent interuallo, vt irrationalis, quemadmodum in operari, sic in esse à materia dependeat: proindeque ex materia orta sit, à corpore inseparabilis, & mortalis; rationalis autem, cuius actio ex corporeo commercio interpellatur potius, quam aliquid adiumenti accipiat, à materia omnino independens sit, ex nihilo creata, atque ideo à corpore separabilis & immortalis: procul dubio si orta referunt naturam illorum principiorum, à quibus prodeunt: sique ab vno & eodem agente in vna & eadem actione, qualis est generatio

vniuſcuiuſque hominis, non niſi vnus effectus naturaliter prodire poteſt; neceſſarie plane aſſerendum eſt, vtramque animæ noſtræ partem, rationalem ſcilicet, atque rationis expertem, non ab vno & eodem agente prodire, ſed à diuerſis: rationalem, inquam, quæ immaterialis eſt, & immortalis, à cauſa ſimiliter immateriali ac immortali: irrationalem vero, quæ contra materialis eſt & corruptibilis, à materiali & mortali.

2. Id quod & inde etiam manifeſtum eſt, quoniam quum agentium, quæ corporea ſunt, vt quæ tangendo agunt, ſuos effectus producant, non niſi ex materia præexiſtente: quæ vero ſunt incorporea, poſſint abſque materia aliquid efficere: propterea humanæ animæ natura, cuius pars quidem caduca ex materia pendet, pars autem immortalis ſine materia naſcitur, non poteſt phyſice ab vno eodemque agente proficiſci: ſed producitur ſaltem à duobus, quorum alterum corporeum eſt, ac materiale, atque mortale, alterum corpore vacans, immateriale & incorruptibile.

Quodnam vero ſpeciatim horum vtrumque ſit animæ noſtræ opifex, inquiramus.

CAP.

Cap. III.

Agens peculiare, vnde proxime oritur irrationalis pars animæ humanæ esse hominem, qui parens est.

QVa in re quum irrationalis animi nostri portio via originis, atque etiam tempore prior existat parte mentis compote; quippe Natura in condendis rebus eum perpetuo seruat ordinem, vt ab imperfectioribus progrediatur ad perfecta magis; ea propter & nos, Naturæ ordinem seruantes, ante omnia indagabimus, quodnam sit corruptibile, ac materiale illud efficiens, à quo irrationalis & caduca animæ humanæ portio originem habeat: & quomodo ab eo ipso proficiscatur, & quando: deinde hoc idem inuestigabimus circa intellectum, atque animi nostri partem immortalem, nimirum à quonam incorporeo, ac immortali agente prodeat, quomodo & quando.

Agens profecto materiale, à quo nascitur portio animæ nostræ caduca, & irrationalis, non nisi illud est, quod hominem generat ex materia: hoc est illud efficiens, quod (vt aiunt) educit animam humanam per transmutationem physicam de sinu materiæ; quum itaque apud Aristotelem, Homo homo- 2. *Phys. t. 26.*
minem generet ex materia, & Sol; siquidem

nomine Solis intelligere vult Aristoteles Solem immaterialem atque incorporeum, qui est Deus glorioſus & immortalis, vt ſupra oſtendimus: allata ſententia hunc in modum legenda eſt, quod verba illa (ex materia) reſpectum & relationem habeant, non ad inferiora; nam Deus benedictus non generat hominem educendo formam, ſeu animam eius de potentia materiæ, ſed ad ſuperiora, nempe connotando modum, quo homo hominem generat: quia ex materia, hoc eſt, educendo animam hominis generandi de gremio materiæ: At vero ſi nomine Solis intelligere malit Aristoteles (quæ eſt multorum opinio) ſydus corporeum, ac planetam dies à noctibus, ſeu lucem à tenebris diſtinguentem, ex cuius acceſſu per Zodiacum ad nos generationes, receſſu vero corruptiones rerum fieri, quandoque monuit: quum ſit hoc agens remotum, ex quo non ſolum anima hominis, verum etiam formæ aliæ ſublunares omnes in fieri atque in eſſe dependent, tanquam ab efficiente communi; relinquitur plane, vt materiale agens, proximum, & peculiare, vnde ortum habet irrationalis pars animæ humanæ, ſit homo parens: oportet enim in generando homine, vt in quauis alia generatione ſublunari, præter agens remotum, ac vniuerſale, quod eſt cœlum, aut Sol, repe-

Lib. 1. c. 49.

2. de gen. & cr. t. 55. 56. 57 58.

reperiri quoque efficiens proprium, & immediatum, quod tangendo agat: id autem esse nequit, nisi homo parens.

Cap. IV.

In generatione hominis fœminam non esse agens, vnde primum motus principium, nec mere patiens: sed causam adiuuantem, & inseruientem masculo, qui proprie subit rationem agentis ac generantis.

VErum quoniam hominis nomen vtrunque parentem significat, masculum puta, & fœminam, operæ pretium videre est, an ab vtroque horum, an ab altero tantum, & à quo animæ nostræ pars caduca originem trahat, & quomodo vterque parens constitutioni fœtus, & omnino generationi animæ mortalis inseruiat seorsum.

Qua in re ne omnia, quibus late satis in superioribus ostendimus, nullam animæ nostrę partem à matre ortum habere, argumenta repetamus: inprimis quum portio animæ nostræ caduca essentialiter, vt partibus constituatur anima vegetali & sentiente, quod abunde declaratum est superius: quumque homo iuxta partem vegetalem conueniat vniuoce cum stirpium genere vniuerso: par est hominẽ vt in participatione essentiæ animæ vegetalis vniuoce conuenit cum plantis;

ita cum iisdem conuenire in modo originis eiusdem animæ: quum ergo plantæ suam animam acquirant, non à terra, qua & Aristoteli, vt supra ostendimus, vtuntur tanquam matre, ac fœmina; quum hæc sit absque anima: sed à planta, vnde semen exiuit, quæ illis est loco masculi, ac patris: pari pacto asserendum est, partem animæ nostræ vegetalem nobis non inesse à matre, sed à patre.

2. de gen. an. c. 4. c. 18.

Quod inde etiam apparet, quia secus fœminæ nihil opus esset masculo ad concipiendum. Sed hæc supra latius.

Quum autem portio animæ humanæ sensitrix, vt quæ cognitricibus polleat facultatibus, longe dignior sit parte vegetali omnis cognitionis experte; quumque effecta omnia quoad fieri potest, referant naturam agentis, à quo prodeunt; necessario fatendum est, fœminam, quæ multo est imperfectior, quam sit masculus, habere etiam minorem vim agendi in constitutione fœtus, quam habeat mas; ac proinde masculo generante animam vegetalem, illam supra masculi vires non posse producere partem nobiliorem, cuiusmodi est anima sentiens: Itaque pars irrationalis animæ humanæ totam sui naturam & originem trahit à patre.

Mater autem, quia suo calore ac spiritu viui-

viuifico fouet, atque adiuuat virtutem masculi, illique subministrat decentem, & sufficiétem materiam, in quam suas vires, ac facultates exercere valeat: non vt patiens tãtum, sed vt caussa quędam instrumentalis, atque inseruiens: adde etiam vt coadiuuans, concurrit ad constitutionem hominis: ex quo licet non sit proprie generans, reduci tamẽ potest ad causas effectrices, eo modo, quo & instrumenta, & coadiutrices caussæ ad supremum genus caussæ efficientis reduci solent.

Est igitur Pater agens, à quo vere generatur pars animæ nostræ caduca quoad portionem tum vegetalem, tum sentientem: non Mater. Id quod inde etiam patet, quia ex Aristotele *naturalissimum est omnium viuentium, quæ perfecta sunt, & non mutilata, generare sibi simile in specie*: quum itaque, eodem Aristotele assertore, fœmina, siue mulier sit homo quidam imperfectus, ac mutilatus: non est certe asserendum à fœmina oriri animam fœtus: sic etenim illa generaret sibi simile. 2. de an. t. 34.

An vero Pater animam irrationalem filii ipsemet proxime, ac immediate producat, eã educendo de sinu materiæ: an potius ad id præstandum opus sit patri ministerio seminis (quod pertinet ad id, quod est quomodo irrationalis animæ nostræ pars à Patre oriatur, an scilicet immediate, an mediante semine)

recte explicare non possumus, nisi cognita prius natura seminis, an scilicet sit animatum & qua anima, atque vnde & quomodo hæc illi insit, quomodoque generationi famuletur.

Singula igitur contemplemur ante omnia indagantes nunquid semen sit animatum, necne.

CAP. V.

Semen habere in se vim procreatricem, seu viuificatricem conceptus: & formatricem partium illi necessariarum: atque ex consequenti animam.

QVa in re, qui à cœlestium mutationum proprietatibus ad intelligentiarum, vnde talis est origo lationis, naturam nulli sensui cognoscibilem inuestigandam Senioribus aditum præbuit, ordo nobis dubio procul ex propriarum seminis operationum conditionibus ad animæ in eo existētis essentiā sensus pariter latentem intelligēdam facile sternet iter.

Si itaque omne agens à propria forma sortiri vim agendi, propriasque in determinatam sibi materiam, decenti, & opportuno in loco exercere vires, vetus est naturæ institutum: Exercere profecto seminis formam proprias facultates in eam, quæ illi præsto esse solet in vtero, materiam Embryonis, nouum esse non debet.

debet. Sunt autem quæ obiri à semine solent in fœtu primariæ operationes duæ, Conceptus nempe animatio, seu viuificatio, & partium omnium pro vitæ actionibus edendis animanti necessariarum efformatio: vt videre est apud Aristotelem, qui ait, *semen igitur tale est, motumq; habet, & principium tale, vt motu peracto pars existat quæq;*, ecce vim partium formatricem, *eademq; sit animata*, ecce vim animalis productricem: quarum vtraque seorsum satis demonstrat semen esse reuera corpus animatum. *2. de gen. an. c. 1.*

Quærentibus enim animæ illius, quam ab initio conceptionis fœtui inesse apertum est ex superioribus, agens immediatum, quum id nullum aliud reperire liceat nisi semen, siue hocipsum cum Aristotele censeant non fieri partem constituendi cõceptus: siue cum Medicis oppositum iudicent: Alioqui si efficiens immediate generans animam conceptus nõ est semen, plane id munus Patri, vel Matri adscribendum est: sed quum efficiens immediatum, vt quod tangendo agit, necessario subsistat cum passo dum actio fit: Pater vero quum non necessario subsistat cum cõceptu, dum is animatur: nam fœtus constitutio, ac viuificatio non fit ante sextam diem à coitu, vt supra & ex Aristotele ostensum fuit: quum tamẽ Pater statim ac Matrem presserit prima *Lib. 1. c. 2. & alib.* *1. de gen. an. c. 1.* *7. Hist. 3.*

die

die concubitus periisse possit illæso conceptu: non Pater ergo, neque Mater (vt visum est in præcedenti capite) dici potest efficiens immediate tribuens animam conceptui, qua is primo viuificatur, quæ actio in vtero editur non ante sextam diem ab actu veneris: Restat igitur vt generans animam, fœtum primo loco viuificantem, sit semen: Quum autem omne agens naturale vniuocum actu tale sit, quale potentia est id, quod efficitur, apud Aristotelem: quippe agentis munus est formã educere de potentia passi, quod ab eo obiri non potest, cui talis forma reipsa non insit: necessario plane asserendum est semen, quũ Aristoteli sit agens vniuocum, eidem quoq; actu esse animatum.

2. *de gen. an. c.* 1.
2. *de an. t.* 51. 54.
2. *Met. t.* 18. *& passim alib.*

At etiam esto Pater, qui reipsa generat animam fœtus, quum tamen ille ante huius constitutionem, hoc ipso illæso, periisse possit: ideoque non agat tangendo: pater profecto fœtui animam non impertiet, nisi mediante semine, ita vt semen accipiat in se animam à patre, vel quam eandem numero fœtui conferat, vel qua mediante similem in cõceptu generet: quodcunque accidat, oportet semen, ante animationem fœtus, animam in se habere: quum autem in quouis corpore est anima aut sentiens, aut vegetalis, in eo esse nequeat, nisi vt actus, & forma: propterea statuen-

7. *Met. t.* 31.

tuendum est, semen esse actu animatum.

Amplius, hoc idem apertissime demonstrat vis, quæ in semine inest, cunctarum partium fœtui necessariarum efformatrix, quæ sane vel est anima ipsa, quod obseruat & Ficinus dicens: *Priusquam adultum sit corpus, animã totam in fabrica illius occupari:* & Themistius inquiens: *Anima fabricatur, architectaturq; sibi conueniens, accommodatumq; instrumentum, deformat ipsa sibi, & præparat domicilium non deformatum ante, & præparatum, demum subit: Non enim quemadmodum cithara dedolatur prius, & conditur, tum demum adhibetur ad musicam: ita & corpus ornatur, instruiturq;, mox animæ sumendum offertur.* Animaduertendum tamen est hæc nõnisi de irrationali animæ parte verificari, quũ mens de foris adueniat corpori iam plane organizato: Vel hæc vis formatrix est animæ facultas, prodiens ab illius essentia, proindeque ab anima inseparabilis, quod & Simplicius adnotauit inquiens, *In hominis natura, seu generatione, rei quæ fit, rationem præacceptam esse. per quam fit quod fit: patre nimirum motionis, generationisq; principium semini inserente, generationisq;, ac motionis seriem ad finem vsq; aliter quam in his accidit, quæ sponte mouentur.* Quod ita accipies interpretatum à iuniore Zimara, *In ortu, & generatione hominis, vegetali anima generantis, quæ generationis principium existit, insitas esse rationes*

In Tim.

1. de an. c. 22.

2. Phys. com. 28.

2. de an. t. 36. 37. 38.

par-

partium humani corporis procreatrices, quas semini communicans, & quasi artifex spontina miracula mouens, principio motionis facto, seminiq; indito, animal, aut plantam efformat, hoc est, quid, quod praditũ est anima sensitrice, aut vegetali. Sed eiusmodi rationes partium nostri corporis formatrices, si substantiæ sunt, nil nisi essentia sunt, aut essentiales ideæ animæ illius, à qua semini cõmunicantur: quare & absq; ipsa in eo reperiri nequeunt: si vero accidentia, ea p se sola non possunt ab anima Patris, in qua prius erant in semen transferri: quoniã accidentium de vno in alterũ subiectũ impossibilis est migratio.

Hisce adstipulatur Aristoteles apertissime semini tribuens vim constitutricem, ac formatricem conceptus, his notis, *Hoc loco quærimus, à quo partes corporis generentur: aut enim extrinsecus aliquid, aut in genitura, & semine insitum agit, idq; aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animam est: sed ab aliquo extrinsecus agente effici quæque, aut viscera, aut alia membra, remotum à ratione videtur: fieri enim non potest vt moueat q̃ non tangit, & quidquam ab eo, quod non moueat, afficiatur.*

4. de gen. an. c. 4.
12. de gen. an. c. 1.

Reliquum est igitur vt ea, quæ nostri corporis partes effingit vniuersas, & semini insit vis formatrix, & eadem sit anima, vel saltem non sine anima.

Quam sane vim formatricem, & generatricem

tricé mox aperte magis semini inesse ita concludit Aristoteles, vt ante adnotabamus. *Semẽ igitur tale est, motumq; habet, & principium tale, vt motu peracto, pars existat quæque.* ecce iterum vim partium formatricẽ, *eademque sit animata,* ecce vim animalis productricem *non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro: sed corrupta æquiuoce dicetur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit.* Quare si, vt paucis interpositis ait, *omne agens actu tale est, quale potestate est id, quod efficitur: necessario asserendum est semini à quo partes omnes nostri corporis formari, & fieri animatas ait Aristoteles, actu inesse animam: quæ, vel non sine qua, si est vis illa formatrix, quæ in spermate est* (vt nuper docuit nos Aristoteles) *cogimur itidem fateri semen esse animatum.*

Et eo magis, quo in generatione viuentium semen habet rationem artificis, & agentis vniuoci ac principalis apud Aristotelem, non instrumenti solum, vt late patet ex traditis passim in superiore libro. 7. Met. t. 31.

Quod aperte quoque scribitur à Platone in calce Timæi, & à Galeno asserente, *semen primum omnium habere principium vegetabile, quod non ex sanguine, sed ex ipso semine arteriam, venam, neruum, & os, & membranã efficit:* Lib. de sem.

quasi

quasi vis formatrix sit anima vegetalis, vel ejus facultas existens in semine.

CAP. VI.

Semen pollere non solum anima vegetali, sed etiã sensitrice: cuius opera, absq; eo, q̃ regatur ab intelligentia non errãte, vivificat conceptum, & efformat membra.

SED animam, quam nuper in semine reperiri demonstrauimus, non vegetalem solummodo esse, verum etiam sensitricẽ, multa sunt quæ conuincant argumenta: & primum, quia semen brutorum animalium, quod necessario sensitrice anima formatur, longe præstantiorem naturam sortiretur, quam semen humanum, cui non sensitrix, sed solummodo inesset anima vegetalis: at vero, vt semen humanum in perfectione superari à semine brutorum, aut stirpium, longe abest à ratione, & ab Aristotele ipso scribente minoris rei, & imperfectioris minus esse principium, & imperfectius: ita semen brutorum sensuali anima pollere, rationi est cõsentaneum: quomodo enim semen in corpore fœtus, quod efformat, sensitricem animam gigneret, si ea careret? Nam quum vltra suas vires nihil agere valeat: quidquam plane aliud seipso perfectius generare nequit: oportet namque (vt ait Ficinus) certa quædam ex cer-

10. Sect. prob. 15.

certis quibusdam seminibus exoriri; & quæ ex potentia in actum transeunt, per causſam quandam in actū produci talem, quæ ipsa iam in se talem, vel æqualem, vel præstantiorem habeat actum; neque sufficere putandum est, si vniuersalis, remotaque causſa tantum sit præstantior; alioquin causſæ nostrates possent in virtute cœlestium perfectissima quæque producere; quum tamen naturalissimum sit agentibus physicis generare sibi simile in specie. Semen ergo brutorum animalium, à quo fœtus eorum fit animal, sensitrice anima gaudere opus est; multo magis igitur tale quid de humano semine dicendum est, quod polleat anima sensitrice, nedum vegetali.

Idque ex eo maxime deducitur, quod in semine inest admirandæ partium nostri corporis fabricæ vis formatrix, quam rudiori animæ vegetali omni prorsus cognitione destitutæ delegandam non arbitror, impossibile nanque reor tam pulchrum partium humani corporis apparatum, tam artificiosum nexum, tam admirabilem structuram, tam elegantem ordinem ab anima infima, & omnis cognitionis experte, qualis vegetatrix est, proficisci, & sine frequentissimo lapsu.

Neque locus est refugii ad intelligentiam non errantem, à qua vegetalem animam in

formatione fætus ita gubernari asserunt, vt errare de seipsa nequeat, nisi vel à deficiente, vel ab excedente, vel ab indisposita materia impediatur in functione proprii muneris; tum quia simile quid est hoc Colcodeæ Auicennæ, quam supra confutauimus; tum quia hinc fieret vt in formatione fætus anima vegetalis gubernata, ab ista tam alta natura nunquam impediri posset ab imperfectione materiei, quominus semper intentum finem assequeretur generando quid sibi simile absque vllo errore: tantam enim vim habet intelligentia quæuis, vt quàm facillimè possit in defectu materiæ, supplementum aliunde accersire; in excessu, superfluum aliò trudere; & indispositam materiam apparare, atque ad amussim disponere; tum demum quia, non solum vitio materiæ, sed quandoque culpa efficientis, errata, & monstra contingere apertum facit, qui non semel in hominis manu exuberare solet sextus digitus: is enim quum non oriatur ob materiei defectum, quod nemo ibit inficias; neque propter eiusdem excessum, quod clarè docet vicini digiti macies, atque pusilitas; aliquando enim accidit vt sexti digiti magnitudo vnà cum mole proximi neque superet legitimi, ac proportionati digiti in altera manu quantitatem, neq; ab ea superetur; indicium certissimum

tissimum id erroris, nõ vitio materiæ, sed culpa efficientis contingere, non quidem debilis; nam id potest in necessariis deficere, non exundare in superfluis; neque robustioris; tale siquidem in proportionata materia haud geminandam formam non geminat; sed insciii, vel non animaduertentis quotuplex esse debeat formandum instrumentum.

Quum itaque, si anima in formatione conceptus regeretur ab intelligentia non errante, nunquam eius culpa (si non absolutè) errata contingerent; quumque in constitutione hominis rarò admodum (teste Aristotele) monstruosæ partes efformentur, quas tamen frequentissimum esset videre, si ab efficiente omni vi cognitrice destituto fabricarentur; non immeritò vis efformatrix partium nostri corporis interdicitur animæ vegetali, tam ex se operanti, quàm gubernatæ ab intelligentia non errante; sed adscribitur animæ sensitiuæ, quæ cognoscit quicquid operatur, & errare quidem potest opus suum non animaduertens, aut alibi intensius occupata, aut ob incuriam; sed in homine raro, quoniam ea facultate cognoscendi pollet, quę non multo interuallo superetur ab intellectu, in brutis vero sæpius, quia in his anima sentiens inferioris notæ est quã in homine, ac rudioris cognitionis. Semẽ igit. in quo residet

4. De gen. an. cap. 4.

facultas ista formatrix partium nostri corporis, necessario habet animam sensualem.

Alioqui si semini sensitricem animam inesse non dicamus, vndenam fœtus talem animam immediate sortiri possit, non apparet: assignandum est etenim immediatum efficiens, à quo conceptus proxime nanciscatur animam sensualem, quod sane nihil aliud statui potest quam semen: sensitrix nanque anima, quam ante aduentum mentis fœtus obtinet, de necessitate vel proxime genita est in conceptu, quum ante conceptionem ipsa non esset; vel quum antea existeret, aliunde recepta est in conceptum; Si profecto sensualis anima, quum prius non esset, in humano conceptu immediate producta est; oportet eam proxime genitam fuisse vel à matre, vel à patre, vel à semine; nullum enim peculiare aliud agens, quod tangendo moueat, quale esse debet quod immediate agit, reperiri potest in generatione animalis, seu in eductione sentientis animæ de potentia materiæ, præter ista tria, mater, pater, & semen.

At vero impossibile videtur immediate generans animam sensitiuam fœtus esse matrem, quæ ad generationem non concurrit sic actiue ac masculus; sed si ipsa fœtui animam sensitricem conciliaret, magis profecto effectricis causæ rationem haberet in gene-

ratione

ratione hominis, quam masculus, à quo vel nulla prorsum, vel sola vegetalis sensitrice imperfectior fœtui communicaretur.

Amplius, si mater fœtui animam sensualem tribuere potuit, eandem ipsi & vegetalem impertiuisse nihil est, quod impediat; sed ita masculo nihil opus esset ad sobolem; quum fœmina conceptui, cui materiam suppeditat, formam quoque indere posset. Non ergo mater est agens immediatum, quod proxime generat partem sensualem animæ fœtus. Verum neque pater, qui mori potest antequam fiat conceptus, dici debet proximum efficiens, quod tangendo moueat, à quo conceptus hauriat animæ suæ partem sensitricem, Relinquitur ergo vt hoc munus proxime generandi animam fœtus sensualem adscribatur semini, semen autem si fœtui sensitricem animam indere potest, eam necessario in se habere debet. 1. Lib. c. 54.

Sed si animam sensitricem, quum antea extaret, aliunde fœtui communicatam statuamus (quod erat principalis dilemmatis alterum membrum) hoc rursus ita subdiuidendum est, asserendo animam sensualem extrinsecus ita, hoc est, à patre in conceptum recipi vel nullo prorsus, vel aliquo mediante corpore, quo innitatur, cuius diuisionis quum primum membrum prosternat demonstra-

tio Aristotelis in superioribus exposita, qua dicebatur animam, cuius actiones corporei organi interuentu eduntur, non posse sine corpore subsistere, sensualemque animam eiusmodi esse, vt sine corporeo instrumento fungi nequeat propriis muneribus, quippe ambulare animal non potest sine pedibus, proindeque non posse sensitricem animam citra corpus existere; proptereaque quum antea esset, fœtui extrinsecus accedere nullo mediante corpore, sed hoc est priuilegium mentis.

Reliquum est igitur vt anima sensitrix, ante fœtum existens, illi accedat mediante aliquo corpore, quo prius fulciretur, quod equidem corpus nihil nisi semen esse potest. Sin autem semen animam sensualem fœtui communicat, necessarium est planè semen eandem animam in se habere, semen igitur nedum vegetalem, sed & sensitricem animam obtinet, qua est animatum.

Illud obiter hic adnotamus quibus rationibus hactenus probatum est humano semini reipsa inesse animam sensualem, non vegetalem tantum, iisdem planè confirmari aliorum animalium semini animam eiusdem generis, licet naturæ imperfectioris, at semini plantarum solam inesse vegetatricem.

Monstra-

Cap. VII.

Monstratur animam irrationalem, quæ in semine est, oriri ab anima patris quoad partes ratione carentes in emissione seminis multiplicata, & diuisa ad partitionem subiecti.

SED an quæ in conceptu est anima sensitiua, eadem numero sit cum ea, quæ prius erat in semine, an potius numero diuersa, licet eiusdem speciei, ita vt semen non quam actu habet animam sensualem, eam ipsam fœtui conciliarit, sed huius animæ ministerio in illo alteram eiusdem speciei produxerit, nunc videre operæprecium arbitror.

At illud prius inuestigemus vnde, & quomodo hæc, quæ in semine est anima originem habeat.

Horum primum vt apertissimum est cuique, vel ex testimonio Aristotelis perspicuis verbis absque vlla probatione tanquam notissimam sententiam afferet asserentis, *Quicquid in semine reperitur, id ab eo procul dubio creatum esse, qui semen fecerit*; ita secundum facilè nobis erit indagare intimius naturam seminis perscrutantibus. 2. *Degen. an. c.* 1.

Quam itaque in stirpium ferè vniuerso genere rationem habent, qui ex eis oriuntur fructus, eandem ferè prorsum in hominibus

ſperma ſortiri & Ariſtoteles, & materia, & modus generationis, & vſus, & vires, & alia pleraque accidentia, quibus adinuicem vtraque communicant, abunde demonſtrant; Nam Ariſtoteles ait quod *ſemen, & fructus inter ſe differunt prioris, poſterioriſq; ratione; fructus enim quod ex alio eſt, ſemen aũt ex quo aliud.* nam alias ambo idẽ ſunt, ita vt ſperma dicatur fructus patris generantis, & ſemen filii generati, perinde ac caſtanea fructus eſt arboris, à qua decidit, & ſemen nouellæ ex caſtanea ſata enaſcentis.

1. *De gen. an. cap.* 18.

Et quemadmodum fructus ex elaborato magis alimento, quod totius arboris nutritioni ſupereſt, originem ducunt: ita plane ſemen ex puriori ſanguinis portione, quæ ſupereſt nutritioni vniuerſi corporis generari, ſatis apertum cenſeo.

Et veluti è ſatis fructibus, qui vel ſemina ipſa ſunt, vel ea in ſe continent Theophraſto autore, in humum bonis qualitatibus affectam, eiuſdem ſpeciei arbor, ac planta germinat, cuius ea eſt, vnde ſati fructus ortum duxere; ſic ex iniecto ſpermate in ſanum vterum, beneque affectum corpus, eiuſdem ſpeciei animal producitur cum eo, à quo ſperma prodiit. Sicuti præterea fructus ab eis arboribus non producuntur, quæ, vel ſolum quam par ſit aridius colentes ſufficienti

1. *De hiſt. plan. c* 3.

carent alimento, vel ex aduerso præ nimia soli humiditate, ac pinguedine luxuriant; vel iuuenes, ac prope ortũ existentes omne, quod è terra hauriunt, humoris, ac pabuli vt indebitam augeantur molem pro sui nutritione, & incremento absumunt, vel senio confectæ tanto non affluunt calore, quanto opus esset ad confi.iendum alimentum sufficiens tum sui ipsius nutritioni, tum quoque fructuum productioni, vel deniq; humum, climave sortitæ frigidioris temperaturæ, ob allatam rationem de senio, pari pacto semen homines illi non generant, qui vel graciliores sunt, ac nimis extenuati, ob defectum sanguinis, vel nimium obæsi, propterea quod sanguis, ex quo gigni sperma deberet conuertitur in adipem; vel pueri, quia eis totũ, quod ingerunt, alimentum necessarium est pro corporis nutritione, ac incremento, vel senes, vel qui regionem incolunt frigidiorem, vt Scythæ, qui vt plurimum sunt infœcundi, quoniam vtrorumque imbecillus calor tantum sanguinis generare nequit, quantum & restauratio eius, quod de senum corpore dissoluitur, vnde continue decrescunt, & seminis productio in vtrisque requirere videretur.

Vti etiam stirpes calidiori cœlo, & solo gaudentes inter cæteras fructuum sunt feraces, ita & homines clima calidius incolentes

9. De animal. c. 5. 7. De his. an. l. 4.

valde sunt salaces, atque aliis fœcunditate præstant, quales sunt Ægyptii, quorum mulieres vnico initu sæpe quatuor, sæpissime vero tres generare fœtus testantur Albertus, & Aristoteles.

Quare si semini animam ratione carentem à genitore communicari dixero, atque eandem in spermate à patre seiuncto permanere eodem prorsus modo, quo & fructibus vegetatrix à propria stirpe impartitur, in eisq; ab eadem auulsis remanet, nil nisi verum dixisse credidero, nempe fructus, dum arbori hærent, eiusdem animæ beneficio viuunt, qua & arbor ipsa viuere dicitur, quæ arbotis anima postmodum plurificatur, diuiditurque ad subiecti diuisionem, puta quum fructus ab arbore separantur, ceu semen à masculo, cuius rationem habere plantas, easq; vti terra tanquam vtero, ac matre supra demonstrauimus abunde. Lib. 1. c. 18.

Ita prorsum arbitror semen in corpore patris eadem anima potiri, qua & pater ipse fruitur, quam diuidi ac plurificari censeo ad subiecti diuisionem, dum semen à patris corpore seiungitur, quæ quidem plurificatio, atque diuisio animæ humanæ in patre fit solummodo secundum partem animæ nostræ caducam, & irrationalem, quæ sola vna actu existens est potestate multæ, ac diuisibilis aliquo-

quomodo propter participationem quantitatis, vt ostensum est superius, altera portione animæ humanæ, puta rationali, existente omnino vna, atque indiuisibili propter sui immaterialitatem. Sed hæc omnia adhuc magis confirmabuntur infra, vbi quæ in oppositum proponentur, difficultates examinabuntur. *Lib.1 c. 13.15*

Cap. VIII.

Ostenditur tum vnde, quo modo & quando animæ humanæ portio & vegetalis, & sensualis, quæ in fœtu est, illi reuera insit, tum quomodo & quando fiat conceptus, & in eo formentur partes.

VIso quod anima vegetalis, & sensitiua semini à patre ineſt, dum anima paterna secundum sui partes ratione careutes, ac mortales plurificatur, atque diuiditur ad partitionem subiecti in actu veneris, reliquum est modo vt videamus vnde, quomodo & quando anima rationis expers, quæ in conceptu est ante aduentum mentis, illi vere insit,

Qua in re, quum satis demonstratum sit in superiorib. conceptui in vtero degenti, tum vegetalem, tum sensitricem animam impertiri à semine, quumque ex traditis in primo *Lib.2. c.4. &*

libro

Cap. vlt. libro non minus apertum sit semen cedere in materiam Embryonis, concludendum certe nobis erit animam, quæ prius erat in semine, non alteram similem sibi postea, tempore conceptionis, in Embryone generasse, sed eandē numero semetipsam Embryoni communicasse, ita vt semen eam ipsam, quam habet, animam materiæ muliebri in vtero sibi adiunctę communicando conceptum constituat, animet, atque viuificet.

Alioqui & Natura in superuacaneis exundaret, animam alteram gignendo in Embryone, cui quæ antea erat in semine, suffecisset, at vero naturam nusquam duo adhibere, vbi vnum sit satis, ita notum existimo, quod multiplici Aristotelis comprobatione non egeat.

8. Phys. t. 63. Adde quod si verum est Aristotelis dogma hoc, *absurdum esse si continuo, & statim ac generatum sit, quidquam corrumpatur*, ita vt breuissimo tempore inesse permaneat, inconueniens plane erit animæ partes mortales, ac rationis expertes semini à patre inditas in actu veneris, post septem dies in actu conceptionis, statim ac sibi similes in fœtu produxerint, corrumpi, ac interire. Et eo magis, quo naturæ legibus refragatur quidquam sponte, naturalique propensione ferri ad id producendum, à cuius ortu generans illud necessario debeat interire, quum è contra cuique

cuique hanc legem natura indixerit, vt sui conseruationem semper intendat, atque procuret.

Sed quemadmodum vbi tum ramus ab arbore auulsus in humum iterum plantatus, tum semen à planta in terram, tanquam in vterum matris, eiaculatum nouam gignit stirpem paternæ stirpi similem, non quidem suæ animæ ministerio alteram eiusdem speciei animam generando in terræ succo, sed suam propriam materiæ illi communicando, quam è terra hausit, sibique adiunxit tanquam pabulum, ita prorsum genitura à patre demissa in vterum fœminæ, nouam in conceptu animam non generat ministerio illius, quam à patre acquisiuit sed eam ipsam, quam in se habet animam semen conceptui, atque Embryoni communicat.

Semen igitur, vbi in vterum sese receperit adiungit sibi sperma fœmineum, & menstruum sanguinem, talique materiei communicat animam suam, quam à patre acquisiuit, eandem numero eo modo, quo in nutritione animal, quod nutritur, adiunctæ sibi materiei alimentari per nutritionẽ communicat essentiam animæ proprię; Quare sicuti in nutritione alimentum non conuertitur in naturam partis nutriendæ suscipiendo in se formam, & animam eius statim ac illi parti aspergitur

gitur roris instar, sed prius ab anima & forma partis acquirit similem temperiem, colorem, consistentiam, & aliam quamlibet qualitatem in parte nutrienda existentem (quæ actio Medicis dicitur assimilatio) quibus qualitatibus mediantibus, tanquam præuiis dispositionibus, postea induit substantiam partis, quæ nutritur, suscipitq; formam, & animam eius; Sic muliebris materia non statim ac semini in vtero adiuncta est, ab eo animam suscipit; sed prius à semine apparatur, ac disponitur ad animam, quia semen sibi adiunctam in vtero materiam fœminæ alterat tum in primis, tum quoque in secundis qualitatibus, illique talem temperaturam, & consistentiam tribuit, quæ sit præuia dispositio ad suscipiendam animæ substantiam, & in ista materiei præparatione semen occupatur, ac laborat septem diebus à coitu, septima vero die apparatæ materiei, sibique agglutinatæ suam formam, & animam communicat. Vnde bene dicebat Aristoteles tum *conceptum fieri, vbi excrementum fœminæ receperit à semine maris principium, quo animatum est*; tum *certum esse conceptus facti indicium, vbi semen à coitu intra vterum permanserit per septem dies*; & *corruptiones, quæ accidunt mulieribus intra septem dies, vocari effluxiones; quæ vero à septimo ad quadragesimum, abortiones*; & hoc non nisi quia septem primis

2. *De gen. an. c. 3.*

7. *Hist. c. 3.*

mis diebus ex vtero effluere nequit nil aliud quã purum ſemen, aut mẽſtruum; at poſt hoc tempus ex ſemine, & menſtruo conceptum animal, cuius ſolius præcox, & immaturus exitus ab vtero, abortio proprie nuncupari poteſt.

Ita ergo quæ prius in ſemine quaſi ſopita, & dormiens latebat anima ſenſualis in actu primo, à materia muliebri primum expergiſcitur, ac ſuſcitatur ad actum ſecundum, puta ad præparationem dictæ materiei pro anima ſuſcipienda, & conceptu conſtituendo: facto conceptu: deinde promouetur ad perfectiorem, & laborioſam magis operationem, nempe ad formationem partium neceſſariarum futuro animali ad vitæ actiones obeundas; quod opus vt plurimum completur intra quadraginta dies à conceptione.

Seminis porro anima iſta tum ad primam illam operationem, qua materiæ indit præuias diſpoſitiones ad animam, & poſt illas ipſi eidem animam ſuam communicat: tum in ſecunda, qua in conceptu format inſtrumenta opportuna futuro animali ad munia vitæ, vbique vtitur ceu inſtrumento calore, ac ſpiritu ſemini inſito, ſed foto, atque adiuto à calore, & ſpiritu matris influente, tanquam inſtrumento ſecundario.

Atque hæc de ortu animæ humanæ iuxta

partem

partem illius ratione vacantem dicta sufficiant. Quæramus nunc de Origine partis rationalis.

CAP. IX.

Vnde, Quomodo, & Quando oriatur, & fœtui aduenìat pars animæ humanæ rationis compos.

ANIMAE nostræ portio rationalis, quum in operari à materia non pendeat tanquam ab instrumento (vt superius abunde ostensum fuit) eadē profecto haudquaquam in esse ab ipsa materia dependere potest quippe idem vbique principium est, quo quid est, & quo quid agit.

Amplius, quum ea, quæ intelliguntur, apprehendantur per modum, & naturam illius, quod apprehendit, apprehendat autem Mens hominis obiecta intelligibilia nonnisi abstracta à materia, & depurata à conditionibus eius, necesse est dubio procul fateri naturam, & originem mentis non dependere à materia.

Deinde, æternus quum sit, & immortalis noster intellectus, eum certe à materia inde pendentem esse necesse est; quæ teste vel Aristotele, causa est rebus, quę ab ea pendent, vt esse, ac non esse possint. Oritur ergo Mens nostra, non emergens de sinu materiæ more

7. Meta t 53.
12. Met. t. 30.

formarum corruptibilium. Quum autem corporeum vnumquodque agens, & quodvis mortale generans, vt quod necessario tangendo mouet, suos effectus non pariat, nisi eos educendo de sinu, ac potestate, materiæ, & omnino præsupposita materia, non potest profecto mens humana prodire, nisi ab incorporeo, atque immortali efficiente.

Verum quoniam in ortu mentis nascitur per se quædam substantia de nouo, ex nullo præsupposito subiecto, erit sane productio animæ rationalis, non generatio physica, quæ est mutatio non entis huius ad esse hoc, vt non equi ad equum, sed creatio, quæ est productio substantiæ, ac entis ex nihilo, seu mutatio non entis simpliciter ad esse simpliciter.

Ex hoc duplici ratione colligitur Agens, à quo per creationem producitur anima rationalis, esse Deum Optimum Maximum, non vllam ex causis secundis, ac infra Deum. Prima quidem ratio est.

Quia, quum inter nihil, & ens nulla sit proportio, ac propterea inter ea ponenda videatur infinita distantia, non potest procul dubio quid ex nihilo ens producere, si non habeat virtutem infinitam: at vero agentium nulli adscribi potest vis immẽsa, nisi soli Deo; namq; cætera omnia infra Deum vt finitum

habent suę naturę gradū: quippe illis fieri potest additio vlterioris perfectionis, q̃ summa est in Deo: ita necessario pollent limitato vigore; in natura enim finita vis infinita esse nequit, Deus autem vt immensam habet naturam, omninove infinitam, cui nihil addi potest, infinitam quoque virtutem necessario possidet: vbique etenim virtus naturæ proportione respondet; Oritur ergo per creationem à Deo pars animæ nostræ rationalis.

18. *De immor. an c. 3.*

Alia vero ratio est, quia quum in quauis re sit duplex esse (vt obseruat Ficinus) primum quidem esse simpliciter, ante quod nihil est, idque est simplicissimum esse, in quo omnia communicant quæcunque esse dicuntur, alterum vero sit esse hoc, puta esse equum, esse ignem, id autem est esse compositum, posterius, ac particulare, quo singula ab inuicem differunt: si profecto nulla causa potest producere effectum seipsa priorem, communiorem, ac simpliciorem, sed semper effectus, & causa adinuicem sibi mutua proportione respondeant, quemadmodum res quælibet necessario acquirit esse id, quod est, seu esse secundum, atque particulare à causis pariter secundis, ac peculiaribus pari ratione res aliqua non potest sortiri esse primum, simplicissimum, & communissimum, nisi à prima, simplicis-

pliciſſima, & vniuerſaliſſima omnium cauſa, quæ Deus eſt, Optimus Maximus; Creatur ergo mens noſtra, ſiue anima rationalis ſolum à Deo glorioſo.

Sic autem creata rationalis anima, quum non deceat eam, antequam corpori adiungatur, ſolutam ab eo perſiſtere, tũ quia noſcens melius eſſe ſibi ſolutam eſſe à corpore (vt ait Ariſtoteles) nollet fortaſſe illi ſeſe inſinuare, & nolente Deo liberam eius voluntatem cogere, male ſic hominum generationi conſuleretur, tum quia creata mens, niſi à Deo ſtatim aſſociaretur corpori, profecto ipſa antequam corpus ingrederetur vel quidpiam intelligeret, vel nihil cognoſcens ignara penitus fœtui adueniret, ſi mens humana ante corpus aliquid nouiſſet; cur corpori adiuncta illius non recordatur quod prius nouit, quod argumentum obiicit aliquando Platoni Ariſtoteles? ſi vero rudis, & omnis cognitionis expers ante corpus extitit rationalis anima, neſciret ipſa profecto cui corpori ſeſe committere, quamobrem neq; ita bene cum humano genere ageretur, fieri namq; poſſet vt prius multis corporibus non humanis ignara ſeſe inſinuare tentaſſet, quam aliquem conceptum humanũ informandũ adinueniſſet, & quum multa ſimul illi præſto eſſe poſſint corpora informanda nullã rationem haberet

1. *De an. t. 49*

2. *Poſt. t. vlt.*

cur potius hoc, quam illud corpus humanum actuaret, casuque contingeret vt eadem rationalis anima adiungeretur potius filio Petri, quam conceptui genito ex Socrate, quod summam Dei prouidentiam, & naturæ sagacitatem non decet.

A Deo itaque momento, ac supra conditiones temporis, creatur animæ nostræ pars intellectiua ex nihilo, statimque creata nullo temporis interuallo ab eodē corpori nostro infunditur perfecte organizato, aliisq; animæ partibus, vegetali nempe, ac sensuali, prædito. Quod non contingit ante quadragesimam diem à conceptu, quoniam sicuti actio formandi tot, tamque diuersas, & artificiosas partes in corpore, celerius perfici non poterat, ita perfectissima inter animas rationalis corpori rudiori, naturæque imperfectiori adsociari non debebat.

Adsociatur autem rationalis anima corpori in se habenti animas mortales, vegetalem nimirum, & sentientem, sed longe aliter ac istæ, quia mortales animæ inuicem in vnam naturam, tanquam materia, & forma, coeuntes, quæ dicitur anima rationalis, aut sentiens à nobiliori parte, corpori simul vniuntur immediate, atque secundum omnem illius dimensionem, vt quæ sunt materiales, & quantitatis aliqua ratione participes, vt puta

per

per accidens, quocirca corpori coextenduntur; at Rationalis anima vnitur corpori mediantibus illis in eo præexistentibus, & in vna tantum parte illius, in eaque indiuisibiliter, seu non extense, quoniam à materia non pendens nullo modo est capax quantitatis, cuius radix, ac fundamentum est materia. Immediate vero Rationalis anima adiungitur animæ ratione carenti in corpore extensæ, tanquam punctum corpori, & veluti actus internus omnino indiuisibilis vnitur suo perfectibili extenso, non secundum omnẽ ipsius dimensionem, sed in vna tantum sui parte, quam rationi consentaneum est esse illam, qua anima rationis expers perficit partem omnium principem in corpore nostro, quæ Medicis est Cerebrum, Peripateticis autem Cor. Ex anima vero rationali in corpore extensibiliter præexistente tanquam ex vlterius perfectibili, & rationis compote, indiuisibili, ac de foris adueniente, tanquam ex vltima perfectione componitur vnum per se ens perfectum, quod appellatur Anima humana, quæ ceu forma informans immediate humano corpori vnitur, ac secundum omnem illius dimensionem, sed hoc ratione partis suæ materialis, ac irrationalis, nam iuxta sui partem rationalem, quæ non est capax extensionis, vnitur vni tantum particulæ corporis,

illique impartibiliter, seu non extense. Sic enim totum lumen, ceu forma vnitur diaphano secundum omnem ipsius dimensionem, at si mente concipias aliquam partem luminis indiuisibilem, ea tibi videbitur actuare vnam solummodo particulam perspicui, non omnes illius partes, quum tamen lumen sit vna tantum numero forma in perspicuo, etsi habeat plures partes. Quæ omnia animæ humanæ bellissime adaptantur, atque conueniunt, vt fusius in superioribus demonstratum fuit.

Lib.1. c.15.
Lib.2. c.1.

Ita in præsentia nos De Ortu Animæ humanæ opinamur.

FOR-

FORTVNII LICETI

DE ORTV ANIMAE HVMANAE,

Liber III.

IN QVO PROPONVNTVR, ET enodantur magis arduæ difficultates, quæ contra ſententiam Autoris adduci poſſunt.

CAP. I.

Quid obiici poſsit aduerſus ea, quæ De Ortu Animæ humanæ in ſuperioribus ex propria ſententia diſputauimus.

QVONIAM ad ſtabiliendam quamque veritatem non ſat eſt illam validis argumentis corroborare, niſi etiam de medio tollantur quæcunque illi aduerſari videntur; ideo ſententiam noſtram de Ortu Animæ

humanæ in ſuperioribus libris promulgatam, & confirmatam in hoc tandem ab omni labe vindicandam eſſe duximus. Quæ igitur nobis refragari poſſunt proponamus omnia, ſigillatim poſtea cuncta diligenti examine perpenſuri.

1 Inprimis, male iſtud ſtatuiſſe videmur fœtum in vtero ali per os, namque in oppoſitum arguit Ariſtoteles, quia id contingeret quoque in cæteris animalibus, quod tamen falſum eſſe demonſtrat non ſolum ſenſus in anatome, qua diſſecantes conſpicimus ea nutrimentum ſibi haurire per vmbilicum, ſed & ratio, qua conſtat animalia quæque in vtero circundari membranis, quæ à matre ad labia fœtus quidquam permeare non permittunt. Adde quod in pullis extra vterum in ouo genitis aperte conſpicitur vmbilicus refertus luteo, quod eſt eorum alimentum, cur ergo & in vtero formatis id non euenit, vt per vmbilicum ſibi alimentum hauriant? Hæc Ariſtoteles.

2. De gen. an. c. 5.

2 Cui & illud ſecundo refragatur, quod ſtatuimus fœtum poſt quadraginta dies in vtero permanere vt roboretur ad facile tolerandas aëris inclementias; quum tamen Ariſtoteles fateatur fœtum in vtero manere non niſi gratia alimenti, quod à matre per vmbilicum trahit.

2. De gen. an. c. 4.

Non

Non minus falso dixisse videmus mentem ad intelligendum non vti corporeis instrumentis, quum ea occupata in profunda meditatione alicuius obiecti, vt in Ecstasi, sensus omnes non alia ratione ferientur, nisi quia mens ad centrum secum rapit, non partem, vt in leui, ac tenui speculatione; sed totum sensum, totumque spiritum, ac animalis calorem, quo mens ad contemplandum vtatur, tanquam instrumento; perinde nanque digito vno quid vehementissime comprimente, cæteri ab omni actione ociantur, illo vno ad suam istam actionem edendam totum spiritum animalem, totumque calorem, qui ad vniuersam manum influere, ac transmitti solebat, trahente, ac rapiente ad sese. 3.

Amplius si verum est quod statuimus mentem ad speculandum non vti sensu, ac phantasia, sed ab ea potius interpellari; cur in somno, dum sensus omnes ligati ociantur, mens tunc maxime non contemplatur, vtpote in tempore opportuno, quo timendum non esset eam perturbari ab imaginatione, ac phantasia? 4.

Præterea, quum mens talem naturam habeat apud Aristotelem, vt possit omnia fieri, omniaque intelligere: ex se autem non magis vnum, quam alterum intelligeret; opus est profecto, si debet mens quidquam intel- 5. 3. *De an. t.* 17

ligere, eam dirigi, mouerique ad contemplandum potius hoc, quàm illud intelligibile, ab appetitu, qui præcipiens menti quid agendum, non permittit eam operari citra interuentum organi corporei, quippe appetitus nobis communis quum sit cum irrationalibus animalibus, sensus est, ac facultas corporea.

6. Difficultatem & illud parit, quod scripsimus de mente Aristotelis, animam rationalem esse antiquissimam, & ab æterno, non ortam in tempore, namque idem Aristoteles ponens discrimen inter causas effectrices, & formales, è quorum genere est anima rationalis, ait causas effectrices, seu mouentes esse ante suos effectus, causas verò formales simul tempore cum illis.

12. Meta. t. 16.

7. Dubium quoque est id, quod diximus animam hominis ita esse compositam ex anima irrationali, & intellectrice, vt illi præexistenti in conceptu hæc posterius adiungatur, tanquam actus, & complementum, nam primo illud vulgatum est axioma, quicquid aduenit enti in actu est accidens; quum igitur primis temporibus fœtus in vtero constituatur ens in actu per animam irrationalem, profecto si hac non corrupta, sed permanente, fœtui adiungatur anima rationalis, ea ipsa erit accidens, non substantia, quod tamen est falsum.

Deinde

Deinde ex hoc id etiam ſequetur abſurdi, quod mutatio de non homine ad hominem erit alteratio, non vera generatio, quæ apud Ariſtotelem fit, quando mutatur totum ſuppoſitum præexiſtens nullo remanente ſenſibili vt ſubiecto eodem. 8

1. *De gen. t.* 25.

Vlterius obſtat & Fernelius quoniam anima vnitur corpori mediante calore & ſpiritu, qui eſt vehiculum animæ, ac illi ptoportione reſpondet; ſed in vnoquoque viuente vnius tantum generis calor eſt, vt qui ab vno principio prodit; ergo vnumquodque animatum vnius tantum generis animam obtinuit, ſeu ſimplicem, vel nutrientem, vel ſentientem, vel mentis compotem, non ex hiſce omnibus coagmentatam. 9

1. *De abs. rer. cau.*

Item, in animali præter formas ſingularum partium, carnis, oſſis, nerui, & aliarum, datur alia forma totius, quæ non includit in ſe formas partium, nec eſt ex eis coagmentata; Ergo forma hæc totalis eſt ſimplex natura. Antecedens probat quatuor argumentis, & primo: 10

Ex Ariſtotele forma omnis, & anima eſt prior quàm ſit corpus, ſed omne, quod eſt compoſitum ex formis partium corporis, eſt poſterius quàm ſit corpus; ergo anima non poteſt cõflari ex formis partiũ corporis. Deinde, forma totius edit aliquas operationes, quas

quas nulla forma partium obire poteſt; ergo forma totius eſt quid à formis partium diſtinctum, non ex illis conſtitutum.

Deinceps, ex Ariſtotele compoſitũ omne eſt, non vt cumulus, ſed vt ſyllaba ba; quare ſicuti ba. non eſt b. & a. ſed tertium quid ab his diſtinctum; ita animal non eſt ſuæ partes, ſed quid ab eis diſtinctum; quare nec forma animalis erit coagmentata ex formis ſuarum partium, ſed quid ab eis diuerſum, & ſimplex. Demum, dum animal moritur, anima, & forma illius vel interit, vel ab eo ſeparatur; ſed in animali mortuo ſuperſunt oſſa, nerui, caro, & aliæ partes omnes cum ſuis formis; ergo forma totius animalis non eſt quid conflatum ex formis ſuarum partium.

II. Neque item verum videtur quod vlterius dictum eſt à nobis animam humanam quoad gradus inferiores, vegetalem ſcilicet, ac ſenſitiuum, eſſe multiplicabilem, ac diuiſibilem ad diuiſionem ſubiecti; nam ouum gallinæ ſubuentaneum, quod ſine ope maris genitum in fœmineo corpore viuit, nutritur, augeturque, tanquam fructus illius, dum ab aluo gallinæ excluditur quum non remaneat animatum (alioqui eſſet prolificum) ſatis demonſtrat animam ouipari non eſſe diuiſibilem ad partitionem ſubiecti; ſi ergo anima oui-

ouipari non est diuisibilis, ac multiplicabilis; quanto minus animæ humanæ pars rationis expers erit partibilis, ac plurificabilis?

Amplius, & illud mirum videtur, ac impossibile, quod homo, cui vnica est anima (siue simplex hæc sit intellectus, siue composita natura ex rationali, & rationis experte) suo semini animam ratione carentem impertire valeat eidem non communicando rationalem. 12

Adde quod si hoc in emissione seminis contingit, cur dum effoditur oculus, obtruncatur caput, vel alia quæuis pars à corpore reliquo separatur, hæc itidem, vt sperma, non remanet extra corpus animata, & viuens? 13

Sed & quod ab Aristotele scribitur, ossium, neruorumque materiam esse seminale excrementum: id quod & alibi confirmatur, vbi scribitur animalia, & plantas fieri ex semine tanquam ex principio materiali, aperte refragatur iis, quæ supra nobis determinata sunt de mente Aristotelis hac in re, nimirum Aristotelem censuisse semen non cedere in materiam geniti, sed effectricis causæ tantummodo rationem obire. 14 2. *Degen. an. c.* 4. 1. *Phys. t.* 62.

Tandem & illud falsum esse videtur, quod supra nos diximus semen esse animatum, eademque numero anima potiri, qua & id, quod 15

quod ex eo nascitur, multis rationibus, & primo allatis à Fernelio dicente quod si semen esset animatum eadem numero anima, qua & Embryon, quum fœtus non sit minus homo quàm infans, neque infans quàm puer, neque puer quàm adultus; profecto semen æquè esset homo ac quiuis nostrum; quod tamen est falsum penitus.

16 Addit, si semen esset animatum, ergo vel vna tantum illi inesset anima, vel idem multas haberet animas, si semini vnica inest anima, quomodo ex eo simul vno partu enasci possunt plures conceptus? at si multæ illi insunt animæ, cur ex eo oriri potest vnicus fœtus vna tantummodo anima præditus?

17 Subdit, si dum eiaculatur semen, in eo remanet anima similis ei, qua pollet animal, à quo semen decidit, par est sicuti semen à corpore, ità seminis animam ab anima parentis generari, sed istud qua ratione fieri possit, vt vnius hominis anima alias de se nouo quodam, & inaudito procreationis genere, tam repentè, tam multa, tam crebro multiplicet, æquum est vt clarius explicetur.

18 Amplius, quomodo propriè hominem faciet ea, quæ in semine est facultas, quæ nondum est hominis natura antequã homo fiat?

19 Præterea, non decet animam, quæ præstantem sic habet naturam, inesse vili, ac sordido

dido excremento, cuiusmodi semen est ipsi & Aristoteli.

Vlterius, sicuti se habet putris materia ad ea, quæ putredine generantur; ita semen ad animalia perfecta, sed putris illa materia ex se animam non habet, igitur neque semen. 20

Quod si in semine inest anima; ergo vel similiter ac in perfecto animali, vel dissimiliter; si primum, ergo semen erit perfectum animal, si dissimiliter, ergo vel tota anima perfecti animalis inest semini: vel tantum illius pars; non pars, quoniam anima nullas habet partes, quæ seorsum à toto subsistant, quum non sit corpus; si tota in semine inest anima, ipsa profecto vel est eiusdem generis, & essentiæ cum ea, quæ est in animali: vel diuersæ naturæ: si primum, vel esset æquè perfecta: vel imperfectior, si æquè perfecta, tuum ergo semen erit perfectus homo, si imperfectior, igitur formæ, ac substantiæ susciperent magis, & minus; si vero anima, quæ est in semine, dicatur esse diuersæ naturæ ab ea, qua pollet id, quod ex semine oritur, semen profecto non poterit fieri animal, nisi pereat illius forma, atque hinc fiet, vt in semine nihil præextirerit formæ eius, quod semine propagatur. Hæc Fernelius. 21

Quibus addi potest, si semen, vt dictum est supra, est materia generandi viuentis, quomodo 22

modo illi formam eandem cum ea, quæ futura est in gignendo animali, inesse credendum est? ex physicis nanque scimus materiam per se sumptam, & ante actum generationis non habere formam futuri compositi, sed priuationem.

23 Vlterius, apud Aristotelem, anima est actus corporis organici; quum autem sensu ipso vel iudice, semen nullis munitum instrumentis sit corpus similare, ac homogeneum; necessario asserendum est semen non esse animatum.

2. De an. t. 6. 7.

24 Cui tamen si animam quis aliquo modo adscribere vellet, eam procul dubio illi inesse non nisi potentia concedendum est cum Aristotele.

2. De gen. an. cap. 3.

25 Alioqui (quod obiicit etiam Fernelius) frustra in semine constitueret quis actu reperiri animam, quæ destituta omni instrumentorum genere necessario ad proprias operationes obeundas, in semine sedentaria, & ociosa permaneret contra Dei placitum, & naturæ nihil feriari patientis.

26 Deinde, Aristoteles ait communem esse omni animæ definitionem, Actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis, cuiusmodi paulo infra ipsemet Aristoteles negat esse semen, & fructus; quos tamen perinde ac semen nos in superioribus diximus esse animatos. Po-

2. De an. t. 4. & sequentib. t. 10.

Postremo: Quum omne totum mutilari oporteat, vbi sui aliqua pars à cæteris in eo separatur: si semen est pars animalis, vnde exit: & seminis anima, dum id adhuc est in corpore genitoris, est portio animæ, quæ dicitur esse forma totiꝰ animalis: ꝓcul dubio asserendū est post effusionē seminis animal mutilatum euadere tum quo ad corpus, tum etiam quoad animam, cuius vtriusque partem amisit in semine eiaculato. 27

Atque ista præcipua sunt dubia, quæ obiici posse videntur nostræ opinioni: Quibus vti proposita sunt, ita sigillatim satisfaciendum, cætera enim, quęcunque afferri queunt vlterius, ex propositorum solutione facile diluuntur.

Cap. II.

Fœtum in vtero sibi alimentum trahere non solum per vmbilicum, sed etiam per os: nec reclamare Aristotelem: vnde tollitur prima dubitatio.

QVod itaque primo loco nobis obiiciebatur ex Aristotele demonstrante infantes non ali in vtero sugentes, ac omnino per os: tum quia id contingeret quoq; in cæteris animalibus, vt in vtero per os alerētur, quod tamen falsum esse demonstrat non solum sensus in anatome, qua dissecantes conspici- 2. de gen. an. c. 5.

mus ea nutrimentum sibi haurire per vmbilicum, verum & ratio ipsa, qua constat animalia quæque, & volatilia, & aquatilia, & terrestria, dum in vtero degunt, circundari mẽbranis quibusdam tenuibus, quæ separantes fœtum à parietibus vteri non admittunt humores, seu obstant quo minus à corpore matris ad labia fœtus permeent humores, quos ille ore sugens dici possit per os sibi alimentum haurire : tum quia, si id apertum est in iis animalibus, quæ ouo nascuntur, etiam extra vterum assumere sibi alimentum, quo augentur, foris, hoc est, per vmbilicum, qui est pars non contenta in corpore fœtus, sed foras extra illud protensa: conspicuum enim est hoc in pullis nondum ex ouo exclusis, vt qui gignuntur ex albumine, & luteo nutriuntur, quod habent vmbilicum refertum substantia lutea: cur id non dicamus quoque cõtingere in iis animalibus, quæ in vtero formantur, vt scilicet per vmbilicum sibi nutrimentum attrahant, contra quod arbitratus est Democritus ? Hæc inquam Aristotelis argumenta Democriti opinionem confutant, qui statuit fœtum in vtero ita ali per os, quod nihil per vmbilicum trahat : id quod ex eo satis apertum est, quia ipse opinatur (referente Aristotele) fœtum in vtero permanere, non vt nutriatur, quoniam quum in vtero

2. de gen. an. 6. 4

id

id ore præstet sugendo caruncularn quandam, sic posset & extra verum nutriri sûgendo mammillas, sed vt in eo formentur membra : At vero nobis asserentibus fœtum in vtero ali quidem maxime per vmbilicum, sed aliquid etiam alimenti per os assumere, non intendit refragari Aristoteles in loco citato, quod clarius apparebit si allata ratiocinia sigillatim exactius contemplati fuerimus.

Quod enim attinet ad primam rationem, qua dicitur, si infantes in vtero sugentes alerentur, ergo idem eueniret in cæteris animalibus: hoc tamen falsum esse demonstrat cum sensus, tum etiam ratio: consequentiam, quã non potest negare Democritus existimãs fœtum in vtero ali per os tantũmodo: quippe vsus, atque actio partium, quibus communicamus nos cum cæteris animantibus, cum iisdem nobis etiam communis esse debet: quare si os commune nobis est cum aliis animalibus, siq; in nobis eius vsus præcipuus est, vt eo cibum hauriamus tum in vtero, tum extra vterum: is quoque vsus tribuendus est ori cæterorum animalium: consequentiam inquam recte quidem possemus negare nos opinantes hunc vsum, qui est alimentum attrahere in nobis in vtero degentib. maxime quidem esse ipsius vmbilici: sed quia non satis est id q̃ per vmbilicũ trahim⁹, ad nostri nutritio-

nem:ideo aliquid alimenti per os etiam ſugimus,propter rationes allatas in ſuperioribus: quum autem eædem rationes locum non habeant in cæteris animalibus,quibus propterea ſufficit alimentum,quod attrahũt per vmbilicum:hinc fit vt ſi nos in vtero & per vmbilicum, & per os alimentum ſuſcipimus, quia eo copioſiore indigemus:cætera animalia non ideo ſimiliter ore,& vmbilico trahũt, quum illis ſufficiat illud quod vmbilico hauriunt.Sed conceſſa conſequentia quod in cęteris animalibus idem eueniat, vt ſolum ore alimentum ingerant:non poteſt Democritus reſpondere aſſumpto , eiuſque probationibus,quatum prima nititur ſenſu,altera vero ratione:nam diſſecantes fœtus animalium in eorum vmbilico clare intuemur alimentum, in ore autem,ac ventriculo vel nihil prorſum vel parum aliquid humoris: ſignum certiſſimum quod fœtus in vtero non ſolum per os cibum hauriat,quod ait Democritus: ſed & per vmbilicum : quod nos Ariſtoteli concedimus,eidem reſpondentes ea ratione in vmbilico fœtus reperiri alimentum multoties, in ore vero,atq; in ventriculo non ita frequẽter:quia longe maius eſt, quod per vmbilicũ trahitur,quam alimentum,quod ore ingeritur à fœtu,dum in vtero eſt.

Addo id etiam fieri,quia non ſemper con-

tin-

tingit ventriculum scatere alimento nedum in vtero degentibus, sed etiam in natis: nam sæpius in anatome adultiorum hominum vidimus ventriculum omni alimento vacuum.

Præterea quod dici potest in fœtu fieri ꝙ in vtero alimentum per vmbilicum attractũ sit dissimilis naturæ ab iis humoribus, quos reperiri contingit in ventriculo: qui tamen non ideo censendi sunt non obire officium alimenti; nam si per vmbilicum sanguinem trahimus, per os autem pituitam, vtrunque tamen est alimentum, pituita per vlteriorem coctionem apta nata cedere in materiam sanguinis, & alimenti.

Quod vero pertinet ad rationem, qua dicitur animalia idcirco nõ nutriri per os, quia circumdãtur membranis quibusdam tenuibus, quę impedimento sunt quominus à corpore matris pertranseat tantus humor ad os fœtus, quantus sat esse valeat pro nutritione illius: bene per ipsam conuellitur opinio Democriti, qui opinatus est fœtum nutriri solũmodo per os: quum etenim fœtus in vtero tanto indigeat alimento: quanto possit & assidue nutriri, & iugiter augeri: necessario fatendum est adesse in membranis fœtum circumambientibus orificium patens, per quod à matre Embryon hauriat continue sufficiens alimentum: id autem nihil aliud esse potest

nisi vmbilicus: quoniã ad os Embryonis nulla est via per membranas apparens, qua ille cibum capere valeat sugendo. Hoc tamen nobis non refragatur, quibus ad paucum illud alimentum, quod opinamur fœtum in vtero per os attrahere, sufficit cum humor, qui colligitur intra illas membranas, & fœtum, qui ipsis circumdatur: tum porosa substãtia ipsarum, & conspiratio, siue consensus, qui ponitur ab Hippocrate inter partes corporis nostri vniuersas. Quemadmodũ enim mẽbrana qua ossa inuestiuntur, Periostion à Græcis appellata, impedimento non est: quinimo sicuti crassior, ac dura magis ossium substantia nõ obstat quominus à venis humores transeant vsque ad ossium medullam pro eorum nutritione: multo minus prohibere poterit mollior, ac porosa substantia membranæ tenuioris ingressum pauci humoris, cuius indiget Embryon assumendi per os ad sui ipsius nutritionem completam, seu sufficientem.

Lib. de alim.

Ad secundum vero argumẽtum, quo sensu vel ipso demonstratur fœtum ad se attrahere alimentum per vmbilicum, obmutescere ceu piscem Democritum oportet, qui hoc prorsum negat: Nos autem, qui concedimus Aristoteli fœtũ in vtero alimentum sibi haurire quidem præcipue per vmbilicum, verũ etiam aliquid humoris ac pabuli per os attrahere,

here, Aristotelis opinioni non putamus contrariari, atq; ideo nec eius argumentis succũbere.

Cap. III.

Cur fœtus, antequam in eo formentur membra, in vtero maneat: & statim iis in ipso efformatis, ipse ex vtero non prodeat: quare soluitur difficultas secundo loco proposita.

SED quod opponebatur deinde placitum Aristotelis, fœtum in vtero permanere gratia alimenti, quod haurit à matre per vmbilicum, non vt formentur in eo partes, atq; organa necessaria ad vitæ actiones obeundas, quod arbitratur Democritus: neque vt iam formatæ partes firmentur, fiantque robustæ quominus patiantur ab iniuriis ambientis, & ab extrinsecus occurrantibus, quod nos dicebamus: tenui admodum nititur fundamento: Loco enim citato Aristoteles, & Democritus considerant fœtum ante sui organizationem, dum veluti moles carnis indistincta nutrimentum haurit à vase vmbilicali, perinde ac in tertia coctione quælibet pars corporis nostri ad sui nutritionem sibi attrahit alimẽtum à venis, quæ in eam implantatæ sunt à natura: Nos autem loquimur de fœtu iam organizato, quærentes cur statim, ac in eo formata fuere membra omnia, ipse ex vtero non prodeat, sed per plures menses

2. de gen. an. c. 4.

in eo maneat. Quare si Democrito, nihil tamen nobis hoc loci obstat Aristoteles. Immo quemadmodum confiteri opus esse ducimus fœtum ante sui organizationem in vtero manere tum gratia alimenti, vt ait Aristoteles: tunc enim quum fœtus non sit aliud quam massa quædam carnis indigesta, more similarium partium vltima tantummodo coctione gaudet: quare opus habet alimento, quod facile vertatur in substantiam nutriti: tale autem alimenti genus nihil est nisi sanguis: sanguinem vero non aliunde sibi Embryon comparare potest, quam à matre per vasa vmbilicalia; manet ergo fœtus in vtero gratia nutrimenti; tum etiam vt eius membra formentur, quod censuit Democritus; vtitur namque vis formatrix perfectorum animalium spiritu, & calore materno, tanquam instrumento, quo sane careret extra vterum. Neque ratio eadem est de ouiparis, atque de viuiparis (quod obiicit Aristoteles) viuipara enim quum longe sint ouipatis perfectiora, atque artificiosa magis; quumque vel ipsi Aristoteli minoris rei, atque imperfectioris minus, rudiusque sit principium; propterea factum est, vt in ouiparis organizandis vtatur natura, seu vis formatrix rudiore instrumento, cuiusmodi est calor externus, tum matris incubantis, tum etiam alterius generis

10. *Sect. prob.* 15.

oui-

ouiparæ (gallina enim è ſuppoſitis ouis turturis atque perdicis, pullos turturis ac perdices excludit incubatu) tum Solis, tum fornacis, tum quoque fimi ac ſtercoris: quibus omnibus ſpeciebus caloris pullos in ouo formari certum eſt, ac ſæpius obſeruatum. At in effingendis membris humani conceptus, aliorumque perfectorum animalium viuiparorum, vtitur neceſſariò vis formatrix nobiliore inſtrumento, cuiuſmodi eſt ſpiritus internus, natiuusque calor animalis eiuſdem ſpeciei, vti eſt mater ipſa: Alioqui, ſi neceſſario concluderet Ariſtoteles contra Democritum, idcirco non manere fœtum in vtero, vt partes eius efformentur; quia in ouiparis fœtus ac pulli partes formantur in ouo extra vterum: neceſſario quoque concludere poſſet Democritus aduerſus Ariſtotelem, ideo non manere fœtum in vtero gratia alimenti; quia in ouiparis fœtus in ouo ex albumine genitus alitur luteo extra vterum: ſed diuerſa eſt ratio, quantum ad hæc viuiparorum & ouiparorum: in viuiparis, inquam, quemadmodum dicendum puto, anteaquam organizentur, ea manere in vtero, & gratia nutrimenti, cum Ariſtotele, & vt eorum membra formentur, cum Democrito: ita vtrumque Philoſophum arbitrari cenſeo, fœtum iam organizatum per plures menſes in vtero morari,

rari, non nisi vt formata membra roborentur, quo possint externas iniurias tolerare citra incommodum vitæ, ac valetudinis: non tantummodo propter alimentum: secus enim nonne formatus puer extra vterum lac è mammis ore sugere posset, ventriculo in chylum conuertere, & hepate in sanguinem pro sui alimento? Quare fœtus primis diebus in vtero manet tum, vt nutriatur eo modo, quo potest, per tertiam solummodo coctionem, tum vt in eo formentur membra sibi ad opera vitæ necessaria: iisque formatis postea, vt firmentur, ac robur acquirant aduersus inclementias aeris, & alia extrinsecus occursantia: eisdem vero firmatis, ac satis roboratis, tandem ex vtero prodit in lucem, in aliis quidem citius, in aliis vero tardius: sed nunquam ante septem menses à conceptu in homine, qui vr plurimum suos fœtus edit in lucem nono mense. Ita vt terminus, quo fœtus possit innocue ab vtero exire vbique, & semper desumendus sit à consistentia & robore partium corporis, non ab inopia nutrimenti, neque à necessitate respirationis, quemadmodum passim dici solet, fœtum tunc ab vtero exire, quando vel maiori alimento indiget, quam id sit, quod à matre in vtero per vmbilicum trahit, vel illi opus fuerit inspiratione aeris huius externi pro refrigerio æstus in corde:

corde: Nam (quod attinet ad alimentum) falso creditur, fœtum extra vterum cibari vberiori aliméto, quam posset in vtero; quum ortus in lucem puer fere per biennium solo lacte nutriatur, quod est eadem sanguinis portio, qua nutriebatur fœtus in vtero, ab vtero ad mammas transmissa, in eisque albefacta & condensata in consistentiam solidiorem. Quantum vero pertinet ad respirationem, falso quoque supponitur, fœtum in vtero non respirare; nam & Hippocrates aperte testatur, puerum in vtero comprimentem labra ore introtrahere spiritum, vbi mater respirarit. Et ratio id conuincit, eaq; multiplex: prima est, quia non alia de causa in prægnantium obitu curant periti Medici, vt arte labia oris seruentur aperta, statimque cæso ventre, infans extrahatur viuus, nisi vt per os matris aeri pateat aditus pro respiratione pueri, alioqui statim morituri. Altera est, quia fœtus in vtero vltimis illis mensibus tanta cordis caliditate abundat, vt ipsi etiam in vtero necessaria sit respiratio pro sui refrigerio, quod ait Hippocrates. Tertia vero est, quia non decet summam Naturæ prouidentiam immediate exponere tenella viscera fœtus externo frigori, à quo facile læderentur pulmones & cor: sed rationi consentaneum est, fœtum in vtero assueuisse aeri tepefacto à

Lib. de Carn.

visce-

viſceribus,& calore matris,vt ſine noxa deinde ortus frigidum poſſet inſpirare. Poſtrema eſt, quia notum cuique eſt, fœtum in vtero, ſeu ipſius cor moueri motu conſtrictionis & dilatationis (ſyſtolem Græci nuncupant, & diaſtolem) ſicut autem dum cor conſtringitur,id euenit, quia expellit fuliginoſa excrementa orta ex aere à cordis caliditate in tenſiori adufto; ita dum dilatatur, id neceſſario fit, quia è pulmonibus attrahit aerem pro ſui refrigerio: at vero nihil horum fieri poteſt ſine reſpiratione.

Ex his ergo ſatis manifeſtum cuique fieri poſſe arbitror, fœtum in vtero, vbi iam ipſe fuerit perfecte organizatus, ſeu poſtremis menſibus,reſpirare.

CAP. IV.

Quod mens in profunda meditatione ad ſpeculandum non vtatur ſenſibus, neq; ſenſuum inſtrumentis: & cur in ecſtaſi ſenſus omnes ferientur à ſuis operationibus. Quare ſoluitur tertius nodus.

AMplius, quod afferebatur contra nos, exiſtimantes,mentem ad intelligendum non vti corporeis inſtrumentis, ab aduerſario poſtulante, cur id contingit (quod & Ariſtoteles teſtatur,& experimentum comprobat)

1. *Poſt. t.30. in fin.*

bat) vt aliquando mente occupata in profundiori meditatione alicuius obiecti intelligibilis, tum externi, tum interni sensus omnes præsentia obiecta sensibilia non sentiant: si hoc non fit ab intellectu secum ad centrum corporis rapiente, non partem (vt in tenui ac leui speculatione) sed totum sensum, totumque spiritum, ac animalis calorem, quo mens ad contemplandum vtatur, tanquam instrumento? Perinde enim digito vno quid vehementissime comprimente, cæteri ab omni actione ociantur, illo vno ad suam operationem istam edendam totum spiritum animalem, totumque calorem, qui ad vniuersam manum influere solebat, trahente ac rapiente ad sese; ita solui potest, quia quum in anima humana mens ad sensualem animam, & hæc ad vegetalem se habeat, tanquam forma ad materiam (quod supra longe patuit) quumque materiei vbique proprium sit pati, ita vt ipsa quidquam efficere nequeat, nisi in virtute formæ sibi adnexæ: propterea fit, vt anima sensitrix in homine nihil agat, nisi adiuta ab intellectu: sic & vegetalis in nobis non operetur, nisi gubernata ab anima sentiente, eo modo, quo actus materiam gubernat ac regit ad agendum: vbi ergo contingat, intellectum totum occupari in alicuius obiecti contemplatione, huius auxilio destituti

tuti sensus omnes propria obiecta præsentia sentire, atque animaduertere nequeunt. Sic enim in apoplexia morbo sentiens anima destituta spiritibus animalibus, & calore, quibus ceu instrumentis vbique vtitur ad omnes suas operationes obeundas, ab omni munere feriatur : eiusque auxilio propterea priuata vegetalis & ipsa nullam actionem edit. Et quemadmodum si diutius perdurauerit apoplexia fortis, per longum tempus anima vegetalis carens auxilio sensitricis, non solum operari in eo, sed tandem desinit sustinere corpus, atque deficit esse; quia vegetalis non est dissoluto corpore, neque ipsa ex se corpus sustinere valet eo nomine, quo ignobilior forma præstantiorem materiam regere nequit. Ita prorsum & anima irrationalis in homine sic indiget auxilio mentis, tum ad operandum, tum ad subsistendum, tum ad corpus sustinendum ac gubernandum, quod si in diuturniore alienatione ac ecstasi persistat homo, is necessario vitam obeat, anima rationis experte inesse non perdurante diutius absque eo, quod à rationali gubernetur. Non ergo vtitur mens ad contemplandum aut sensibus, aut spiritu, aut calore, aut omnino qualitate ac facultate corporea, tanquam instrumento. Quod enim de digito dicitur, vt in effectu conuenit, ita in causa valde dissentit;

tit; possunt enim similes effectus à diuersis causis proficisci: quare non est accommodatum exemplum.

Aiunt aliqui (inter quos Zimara iunior) vehementius aliquid contemplantes idcirco sensibus vllis vti non posse, quoniam animæ essentia, licet diuersis naturis constituta, vna est tamen: vnum autem non potest simul diuersis actionibus vehementius incumbere: ac propterea vbi vna animæ actio vehementior est, altera cessat; quod maior motus minorem obscuret. Sic ergo vna parte animæ circa vnum aliquod vehementius occupata, cæteræ propter nexum, quem cum illa obtinent, à suis operibus feriantur omnino, quasi tota anima circa illud prius vehementer occupata. Ingeniosa contemplatio, sed quæ nec sensui, nec rationi respondeat: Puer enim quantumuis intense ac vehementer exerceat potentias animæ sensualis, tam externas, quam internas, visionem puta, auditum, cursum, appetitum; non tamen eius animæ pars vegetalis cessabit à suis operibus nutriendi atque augendi. Addo in viris Deo deditis, & sanctitate claris, Dæmone illorum imaginationi suggerente obiecta summæ impressionis, ac miræ irritationis, apertissime conspici duos vehementissimos motus adinuicem contrarios, nimirum

2. de an. t. 136.

impe-

impetum furiosum animæ sensitiuæ ad carnalia desideria, aut etiam ad iram vel odium, simul & actionem mentis ratione tali furori acriter reluctantem; quos motus inuicem contrarios, & ad diuersas animæ partes pertinentes, esse vehementissimos, inde patet, quia à sensuali appetitu tam dire cruciantur, vt corpus totum celeriter langueat, ac eneruetur; ratione tanto impetui diutius obsistente, & sæpius ex toto vires comminuente. Amplius, quum pars animæ caninæ sensitiua, vt distinctum quid à parte vegetali, & ea, qua canis in determinata specie constituitur, sit vna, & magis simplex, quam tota essentia animæ humanæ complectens in se vegetalem, sentientem, ac partem rationalem: Animæ humanæ parte rationali vehementius aliquid meditante, non ideo cæteræ partes animæ feriantur, quia vnum simul nequeat diuersis actionibus vehementioribus incumbere: nam canis simul & olfactu intense leporis odorem sentit, & ipsius carnem vehementissime appetit, & vt ea potiatur, velocissime currit, beneficio eiusdem animæ sensitiuæ, cuius hæc omnia sunt munia, odorare, appetere, atque currere. Tandem verum illud esse concedimus, quod ait, maiorem motum minorem obscurare: sed si maior motus minorem obscurat, non tamen tollit, quo minus

minus fiat; Ecstasis autem sensationes omnes, non obscurat solum; sed etiam tollit omnino.

Cap. V.

An in somno, dum sensus ligati sunt, mens, quæ ab ijs turbatur potius, quam adiuuetur ad speculandum, sua exerceat munia, & ita occurritur quartæ oppositioni.

QVod autem quarto loco quærebatur, si mens ad speculandum non vtitur sensu ac phantasia; imo ab ea potius interpellatur, quam adiuuetur; cur in somno; dum sensus omnes ligati ociantur, mens tunc maxime non contemplatur; vtpote in tempore valde opportuno, quo timendum non esset, eam perturbari à phantasia; nos à superiori doctrina recedere non cogit. Et primo, quia falso dicitur, phantasiam in somno vinctam, ab omni opere feriari: sunt sensus exteriores in somno ligati, phantasia vero apud Aristotelem in somno vigens, satis potest mentem turbare. Deinde, quia verum non est suppositum, nempe dormientes non posse exercere opera mentis ac intellectus: Puer, dum dormiret, distincte ac ordinate clara voce proferebat integras periodos eorū, quæ ipse prius vigilans mēte perceperat, tum Galenum perlegens, tum à seipso componens; neque sane

2. de an. t. 156.

hoc opus phantaſiæ dicari poteſt, vt quæ ſenſus eſt: nec ita poteſt attolli, vt poſſit obiecta intelligibilia percipere: Sed hoc eſt, quod aliquando ſcripſit Ariſtoteles, puta intellectum poſſibilem, ſimul atque ſingula factus eſt, ac ſciens, hoc eſt, poſteaquam ſemel cognouerit entia, & eorum ſpecies induerit, per ſeipſum contemplari poſſe entium ſpecies ſibi impreſſas, ſine ope intellectus agentis: quare etiam ſine ipſis ſenſibilibus, aut phantaſmatibus, ſeu vel ociantibus ſenſibus ac phantaſia, circa quæ verſatur actio intellectus agentis; quam dicunt eſſe depurationem ſenſibilium phantaſmatum, quæ ſunt in phantaſia, à conditionibus materiæ.

3. de an. t. 8.

Adde illos, qui dormientes præſagiunt, conſpicuas in ſomno habere mentis operationes: quippe diuinatio mentis actio eſt, non phantaſiæ, aut cuiuſuis alterius ſenſus; alioqui & animalia bruta diuinare poſſent.

Amplius ad principale quæſitum dicere poſſumus ex Ariſtotele, mentem non exercere ſua munia, niſi ſedatis perturbationibus, ac tumultibus omnibus, quicunque vehementiores in corpore fieri poſſunt: quum ergo in ſomno, qui maxime datus eſt animalibus, vt concentretur calor innatus ad coquendum alimentum, multæ fiant perturbationes, ſicut in ebriis, ab aſcendentibus vapo-

7. phyſ. t. 20.

poribus à ſtomacho ad caput, ab ebullitione caloris concoquentis alimenta, & à ſegregatione excrementorum à bono ſucco: propterea iure merito mens, dum ſomno tenemur, vt plurimum ab omni opere vacat.

Cap. VI.

An mens ad ſpeculandum impellatur ab appetitu, an ipſa ex ſeipſa ad id moueatur: & ſi ad hoc ab eo dirigitur, an dici poſſit ad intelligendum vti ſenſu. Vnde tollitur quinta inſtãtia.

AD quintam vero dubitationem, quæ erat huiuſmodi: Mens quum talem habeat naturam apud Ariſtotelem, vt poſſit æque omnia fieri, omniaque intelligere; ex ſe autem non magis vnum, quam aliud intelligeret, opus eſt profecto, ſi debeat mens quidquam intelligere, eam dirigi ac moueri ad contemplandum potius hoc, quam illud intelligibile, ab appetitu, qui præcipiens menti quid agendum, non permittit, intellectum ſuas actiones edere abſque interuentu organi corporei; quippe appetitus quum ſit nobis communis cum irrationalibus animalibus, ſenſus non eſſe non poteſt: omnis autem ſenſus facultas eſt corporea; reſpondetur multipliciter, & primo negando omnem appetitricem facultatem, qua pollet homo, eſſe de genere ſenſus, & qualitatẽ corporeã: homo enim, qui 2. de an. t. 17.

pollet duplici facultate cognitrice, sensitiua, inquam, qua cum brutis conuenit, & rationali, qua cum intelligentiis separatis; duplici item gaudet appetitu, irrationali altero, qui sensibus dicatus est, eos promouendo ad opus, diciturque appetitus simpliciter, & vulgo sensus: altero rationali, qui intellectus præest ac dicitur voluntas. Si ergo in obiectione agatur de appetitu irrationali, falso iste dicitur inseruire menti, eam promouendo ad contemplandum; nam solum sensibus famulatur: sin autem sermo sit de appetitu rationali, qui alio nomine voluntas appellatur, falso dicitur, eam esse sensum & qualitatem corpoream: nam actio voluntatis, quæ libero arbitrio exercetur, &, vt dicam, actus ipse volendi & nolendi immediata, & adæquata est actio animæ; neque enim mente excogitari potest, quonam instrumento corporeo, aut calore, aut spiritu, aut sensu, aut membro vtatur animus ad volendum ac nolendum; quoniam actiones omnes, quæ cum instrumenti corporei ministerio eduntur, temporariæ sunt; quippe nullum corporeum in instanti moueri, aut agere quidquam vllo modo potest; sed velle ac nolle in nobis & momento fiunt, & propterea sine interuentu organi corporalis.

Adde actiones, quæ fiunt ministerio instru-

strumenti corporei, sic ab eo pendere, vt veluti ad ipsius dispositionem & vigorem perfectæ fiunt ac vigent; ita ad eiusdem infirmitatem langueant: at quum in senibus & ægris sæpe totum corpus, omnesque partes eius vires continue deperdant; desideria tamen omnia, quæ à voluntate prodeunt, cum intellectui applicata, tum etiam sensui (Venerem enim senes non appetunt impulsi ab appetitu sensuali, qui cum organorum ignauia necessario torpet, sed à voluntate, propter malum habitum ab intellectu declinante, seque ad sensum porrigente) omnia, inquam, desideria voluntatis in senibus adhuc iuuenilia quum sint, imo & sæpe vehementiora, plane confiteri oportet, voluntatis nostræ actiones corporei famulatus interuentu non indigere.

Ex quo obiter illud etiam satis apparere arbitror, quod obseruabat Simplicius in Epictetum, liberum arbitrium ac voluntatis actionem esse eam inter cæteras, qua euidentissime rationalis animus non communicat cum corpore, quod satis illi est ad hoc, vt à corpore sit separabilis atque immortalis. *Enchirid. c. 3.*

Præterea falso in obiectione dicitur, appetitum seu voluntatem semper mouere mentem ad intelligendum, quia primo sequeretur, actionẽ appetitus ac voluntatis esse prio-

rem actione mentis; quum tamen ex aduerso actio voluntatis vbique præsupponat actionem intellectus, saltem confusam: nihil enim appetere ac velle possumus, quod non cognoscamus: multa tamen cognoscimus inexpectata, & præter voluntatem, imo etiam contra voluntatem.

Deinde, quia etsi mens sit indifferens ad omnia intelligibilia, ad hoc tamen, vt ipsa contempletur potius hoc, quam illud intelligibile, non est necessarium, neque sufficiens, quod ab appetitu moueatur, dirigaturque mens ad intentum obiectum percipiendum: nam sæpe multa scire vellemus, vt quadraturam circuli, quæ tamen ideo non scimus: sed ad contemplandum necessario requiritur, & sat est obiectum proportionatum præsens, & potentia cognitrix non impedita, sine voluntatis actione vlla: ita enim se habet ad mentem voluntas, quemadmodum appetitus ad sensum: quare si sensus, qui indeterminate respicit omnia sensibilia, determinatur tamen ad hoc magis, quam ad illud, quia hoc sui præsentia sensum mouet ad agendum, nulla interueniente ope appetitus: illud vero absens tale quid non præstat: nam & inuito appetitu necesse est oculum bene habentem cernere omnia visibilia proportionata in debita distantia: tactus etiam, appetitu aliter

desiderante, non potest non sentire proximum calorem; ita prorsus de mente dicendum est, eam non semper ab appetitu aut voluntate excitari ad contemplationem huius, & non illius (licet aliquando id fieri possit) sed ab ipso obiecto præsente, si nusquam alias fuerit intellectum, at si eius species in anima extiterit quasi dormiens, ea expergefacta, & impulsa ad mouendum intellectum à nuper sensato iterum illius simulachro, ac phantasmate: id enim tunc euenit in mente, vt vna multarum specierum, quas habet impressas sola intellectum moueat ad contemplationem, excitata à simili natura existente in proxime sensato phantasmate, quod & in citharis concordibus euenire solet, vt fides vnius pulsatæ moueant sibi consonantes fides in alia proxima cithara non tacta.

Postremo, esto quod voluntas impellat mentem ad contemplandum, mens tamen ipsa, & præsertim contemplatrix, non practica, dum impulsa actu intelligit, non profecto vtitur voluntate: distincta enim est actio voluntatis imperantis menti, vt contempletur, ab actione mentis contemplantis ad imperium voluntatis; ita vt voluntas primo loco menti imperet, vt speculetur; mens autem postea speculando non vtatur actione voluntatis, tanquam instrumento; perinde ac

imperans Rex Policleto, vt ſtatuam faciat, Policletus poſtea in effingenda ſtatua nullo modo vtitur miniſterio Regis.

CAP. VII.

Vtrum mens Ariſtotelis ſit ab æterno, & vtrum ipſa eadem adiuncta fœtui ſenſualem animam habenti, & in poſterum retinenti, dicatur aduenire enti in actu, an in potentia: & ita diluitur ſexta & ſeptima dubitatio.

QVod præterea obiicitur, perperam ſtatuiſſe nos apud Ariſtotelem, mentem ante corpus eſſe ab æterno, quum tamen ipſe apertiſſimis verbis aſſerat, hoc eſſe diſcrimen inter cauſas effectrices rerum, & formas earundem, quod efficientia vbique tempore præcedunt ſuis effectibus, at formæ ſunt, eodemque tempore generantur cum iis, quorum dicuntur eſſe formæ; mentem autem humanam eſſe formam, ipſe alibi aperte etiam demonſtrat; facile dilui poteſt. Verum eſt enim, apud Ariſtotelem animæ noſtræ partem rationalem eſſe formam; verum quoque eſt, eundem poſuiſſe loco citato inter cauſas effectrices & formas rerum tale diſcrimen, quod efficientia ſecundum tempus priora ſint ſuis effectibus, formæ vero ſint ſimul omnino cum iis, quorum ſunt formæ, ita vt ſimul oriantur, ſimul ortæ ſubſiſtant, & ſimul

12. Metaph. t. 16.

2. de an. c. 1.

& simul tandem intereant: sed verum quoq; est paulo infra eundem Aristotelem ab ista lege formis à natura indicta, nempe quod semper sint simul tempore, excipere apertissimis verbis animam rationalem: quam & permanere incorruptibilem post dissolutionem cõpositi, vt clare scribit, ita & ante illud extitisse eum subintellexisse credendũ est, q alibi omne ingenitũ incorruptibile, & vicissim omne incorruptibile ingenitũ esse acriter cõtendit. 12. *Met. t.* 17. 1. *De cœl. t.* 126.

Quod autem præterea difficultatem parere videbatur argumentum illud, quicquid advenit Enti in actu est accidens, ac proinde si fœtui actuato ab anima irrationali sic adiungatur intellectus, vt ea superstite, ex irrationali, & rationali animabus vna numero anima constituatur: Mens nostra, seu anima rationalis accedens enti in actu esset accidens: quod tamẽ est falsum penitus: facile tolli potest considerantibus primo quidem de ratione actus esse perficere, atque complere, sicuti de ratione potentiæ est perfectibile esse, ac incompletum: quum itaque fœtus in vtero ante aduentum mentis anima irrationali pollens non sit perfectum quid, atque completum, sed incompletum, & adhuc perfectibile, ideo non erit ipse proprie, ac vere in actu (nisi fortẽ quo ad existentiam) sed in potentia: quare mens illi accedens non aduenit Enti in

actu, sed enti in potentia, ideoque Mens erit substantia non accidens.

3. Phys. t. 3. Deinde, apud Aristotelem entium aliqua ita sunt in actu, vt sint quoque in potentia ad vlteriores perfectiones, quas vbi suscipiunt, eas non induunt quatenus sunt in actu hoc aliquid perfectum, sed quatenus sunt adhuc perfectibilia, & in potentia: itaque illæ perfectiones adueniunt, non enti in actu, sed ei, quod est in potentia. Ecce huius exemplum appositissimum, corpus mobile, hoc est, quid in actu, atque hoc aliquid completum: est tamē etiam in potentia ad formas motuū: quas vbi acquirit, illæ non dicuntur adiungi enti in actu, sed enti in potentia quatenus est in potentia: definit enim motum Aristoteles, quod sit *actus entis in potentia, quatenus est in potentia*: licet actu existat id, quod mouetur: Ita prorsum fœtus in vtero primis quadraginta diebus quamuis in actu sit, & hoc aliquid beneficio animæ irrationalis: quando tamē, hac superstite, fœtui adiungitur intellectus, is illi quum vniatur, non quatenus est in actu, sed quatenus adhuc perfectibilis, & in potentia ad Mentem: profecto anima rationalis non aduenit enti in actu, sed ei, quod est in potentia.

3. Phys. t. 9.

Hinc ergo male colligebant aduersarii eā esse accidens, non formam substantialem.

CAP.

Cap. VIII.

Productionem hominis non esse alterationem, sed generationis veræ, ac propriæ speciem, vnde soluitur octaua ratio.

SOluitur etiam ille nodus, quo dicebatur, si in hominis constitutione rationalis anima adiungeretur fœtui habenti animam irrationalem, hac ipsa remanente in homine producto, fore vt hominis procreatio non esset vera generatio (quam definiuit Aristoteles esse quando præexistens subiectum, seu suppositum mutatur totum nullo remanēte sensibili vt subiecto eodem) sed potius alteratio: nam sic fœtus adueniente sibi intellectu non mutaretur totus, imo remaneret cum iisdem lineamentis idem numero suppositum, quod est vt idem subiectum sensibile: Quoniam primo loco dicimus allatam ex Aristotele definitionem generationis non competere (q falso supponit obiecta ratio) omni transmutationi essentiali, in qua physice producatur de nouo aliqua substantia: sed cōuenit illi soli generationi, quę consequitur corruptionē, per quam mutatur præexistens suppositum secundum formam: verum quoniam dantur tria alia genera generationis, quibus nulla est corruptio comes, & quorum duo naturę metas transgrediuntur, quia vel nullum prę supp- 1. *de gen. t. 23*

po-

ponitur ſubiectum corrumpendum, veluti eſt creatio, qua ab efficiente ſupra naturali quid producitur ex nihilo, vti eſt productio mentis: vel etſi aliquod præexiſtat ſubiectum, id tamen nihil omnino mutatur ad hoc, vt ex eo aliud generetur, vt in iis generationibus in quibus formæ non educuntur de ſinu materiæ, ſed illi ab agente item tranſnaturali extrinſecus accedunt: qualis eſt productio hominis ex concepto animali: Tertium productionis genus eſt naturale prorſus, in quo præſupponitur ſubiectum, ex quo fit aliud mutato quidem, ſed non corrupto: vt ea eſt generatio, in qua vna numero forma fit multiplex ad partitionem ſubiecti: quo caſu fit noua ſubſtantia, ſuperſtite priori, ex qua fit: quamuis aliqua ratione mutata, hoc eſt accidentaliter: quod euenit in productione nouæ ſtirpis in ramo auulſo, ac in fructu, ſemineq; deciſo ab arbore, atq; in productione noui animalis in Entome præciſo, in quo vtraque pars viuat ſeorſum. Sic fœtus, atque homo quum non oriatur ex corrupto alio: quippe anima humana ſecundum partem rationalẽ fœtui extrinſecus accedit ſupra limites naturæ, nulla corruptione præcedente: ſecundum irrationalem vero, vegetalem ſcilicet, ac ſentientem, genita eſt Phyſice ex anima patris quo ad ſui partes ratione carentes multipli-

ca-

cata in venere ad diuisionẽ subiecti citra vllã corruptionem: propterea mirum non est, aut inconueniens, si productio hominis non cõtineatur sub definitione specialis generationis allata ab Aristotele loco citato: sub qua nec etiam est productio nouæ arboris in ramo auulso à trunco, nec generatio novi vermis ex insecto diuiso, cuius aliquando partes vtrẽque sanantur, ac seorsum viuunt: vt contingit per sæpe in lumbricis terræ appellatis, atque aliis vermibus: quæ tamen productiones continentur sub genere generationis naturalis: hoc autem genus analogum est ad hasce duas species generationis physicæ, quarum principale analogatum est generatio definita ab Aristotele in loco allegato (sat est enim scientifico in analogis definire principale analogatum: nam cætera deinde facile noscuntur ex cognitione illius) Male igitur colligebant aduersarii hominis productionem (nisi contineatur sub ea generatione, cui adnexa est corruptio præexistentis suppositi) fore alterationem: namque alteratio est mutatio, non in substantia, sed tantum in passionibus subiecti: at hominis productio (quam nos ponimus diuersam à generatione descripta ab Aristotele in adducto loco) est mutatio secundum formam substantialem, ideoq; generatio quædam sui generis, non omnino su-

supra naturam, sed naturalis ratione animæ vegetalis, ac sentientis, licet citra corruptionem omnino.

Deinde scire oportet verba illa (quando mutatur totum) in definitione generationis apposita non habere eam vim vt præexistens suppositum verbi gratia, aer, aut quoduis aliud, ex quo aliquid generatur, corrumpatur ex toto secundum omnes partes: nam in eo materia est incorruptibilis: sed vt mutetur tantum secundum formam: non quidem penes vtramque formæ partem, si ea constituta fuerit ex generica, & specifica: sed solum iuxta partem formæ specificam: non quod ista pars formæ specifica ita mutetur vt pereat (remanent enim formæ elementorum in misto ex illis genito: alioqui dum hoc in illa resoluitur per corruptionem, nullum assignari potest agens immediatum, ac peculiare, à quo illæ formæ de nouo generentur ex misto corrupto) sed vt mutetur de specifica in genericam, ve (lquod ait Auerroes) ita mutatur in generatione subiectum sensibile secundum formam, quod non amplius retinet idem nomen, & eandem definitionem: istud autem fieri potest citra corruptionem formæ præcedentis.

1. Degen. t. com. 25.

Si ergo in fœtu, adueniente intellectu, anima irrationalis, quæ prius in eo erat vltima, & spe-

ſpecifica, deſinit eſſe talis, & fit generica, & quod prius erat Embryon, fit homo : quare vt nomen, ita & definitio ſubiecti mutatur in generatione hominis : quæ propterea dici debet vera generatio, ac mutatio totius ſecũdum formam, ſeu ſecundum nomen, & definitionem: ita enim dicitur mutari totum : nã duplex eſt quod totum appellari ſolet, vnum eſt totum materiæ: & hoc ita reſpicit ſingulas partes, vt vna vel minima ſuperſtite, non dicatur adhuc totum corruptum eſſe : hoc modo domus, cuius adhuc fundamenta ſuperſunt, non eſt ex toto, ſeu tota euerſa : alterum dicitur totum formæ, ſeu ſecundum formam, quod dicit vniuerſitatẽ partiũ: atq; iſtud vna tantum parte vel corrupta, vel mutata, corrumpitur : vt ſcamnum, quod eſt totum confectum ex tribus tabulis, exempli gratia, tali ordine ad inuicem connexis, quod ſi vna earum comburatur, vel è ſuo loco in alterius ſedem transferatur, vt ſuperior inſitum lateralis, iam non amplius id erit ſcamnum : Nomine totius in definitione generationis, quæ dicitur eſſe mutatio totius in totum, vtitur Ariſtoteles non quidem in primo ſenſu, quo ſignificat totum materiæ: nam materia ſubiecti eadem permanet in genito, & corrupto : ſed in ſecundo, quo ſignificat totum formale, quod mutatur

vel

vel vna tantum parte mutata, puta de specifica in genericam.

CAP. IX.

An spiritus, calorq; noster innatus sit simplicis, an potius multiplicis naturæ. Et vtrum ex ejus simplicitate necessario colligi possit animam item esse simplicem essentiam. Quocirca respõdetur ad nonam difficultatem.

QVod etiam ex Fernelio proponebatur argumentũ, Anima vnitur corpori huic elementari mediante calore, ac spiritu: sed in vnoquoq; viuente vnius tantum generis calor est, atque spiritus, & ille simplex, vt qui ab vno eodemque principio prodit: ergo vnumquodq; animal vnius tantummodo animę, eiusq; simplicis, est particeps: alioqui proportione non respõderet spiritus, seu calor, & anima, cuius is est vehiculum, aduersus ea, quę docuit nos Aristoteles: leue est multis nominib. & primum quia nititur illo spiritu huc à cœlo demisso pro vehiculo animæ, quem sat superq; confutauimus in superioribus, dũ opinionẽ Aristotelis hac de re perpenderem⁹.

2. de gen. an. c 3.

Deinde, esto quod ille spiritus, & calor vniat animam corpori, falso dicitur is esse simplex ex eo, quod ab vno fonte pullulat: quasi quod ab eadem causa, eaq; simplici effici nequeat

queat nisi unus effectus simplicis naturæ; Est mens nostra simplex natura ipsi Fernelio, eaque non vnam tantum, sed tres, & inter illas actiones unam simplicem, cæteras obtinet compositionem habentes; Est item frigus simplex qualitas simplicis corporis, generat tamen in media regione aeris, grandines, niues, & alia mista, & congregat hic apud nos etiam heterogenea, ex quibus quod consurgit simplex esse non potest.

Præterea, non rectè assumi calorem nobis insitum, qui est vehiculum, seu vinculũ, quo anima corpori adnectitur, ab vno tantum principio prodire, ac esse simplicem, satis ea demonstrant, quæ in primo libro afferebamus soluentes vltimam rationem Fernelii, vbi ostendimus huiuscemodi calorem nõ esse simplicem qualitatem, sed ex quatuor primis qualitatibus simul mistis consurgens temperamentum, nec esse ex vno tantum principio, sed ex quatuor elementis ad inuicem mistis. *Cap. 12. in fi.*

Amplius, formaliter ad argumentum negari potest coniunctum, vinculum, siue calor, ac spiritus, quo mediãte anima corpori adiũgitur, simplex est; Ergo simplex & anima; nõne fortasse simplici vinculo adnecti, possũt ad inuicem non simplices naturæ? simplici enim frigore congregantur, & congregata retinentur ligna, sarmenta, lapides, & alia mista corpora cum aqua in glacie.

Nihil tandem ad propositum facit locus Aristotelis, quod talis calor proportione respondeat illi animæ, cuius est vehiculum; quia ibi non conferebat Aristoteles vehiculum cum sua anima, sed vehiculum vnius generis animæ cum vehiculo animæ alterius generis; quum enim sint tria animarum genera, vegetatiua, sensitrix, rationalis; omnibus æquè non famulatur idem vehiculum; sed tria sunt etiam vehicula ad inuicem distincta pro diuersitate animarum, quibus dicata sunt; nam nobiliori animæ nobilius vehiculum inseruit, ignobiliori ignobilius; ita tamen vt, quod famulatur animæ vegetali omnium infimæ, proportione respondeat elemento stellarum.

Hæc ille loco allegato, vt fusius supra ostendimus; de simplicitate autem vehiculi, & animæ, atque horum ad inuicem comparatione, ne verbum quidem Aristoteles.

CAP. X.

Vtrum anima sit forma totius compositi animalis, non autem partium eius sigillatim; an potius totum animal, & vnaquæque illius pars, eadem forma polleat. Quare satis fit decimæ obiectioni.

AT verò quando postea obiiciebat Fernelius, In animali præter formas singularũ parti-

partium, carnis, nerui, ossis, & cæterarum id generis, datur aliqua alia forma totius, quæ non includit vlla ratione in se formas partiũ; nec est ex iis coagmentata; ergo ista forma totius, de qua nobis instituta est otatio, est simplex quædam natura, falsam inprimis habet consequentiam; nam dato (sed non concesso) quòd forma totius non sit constituta ex vlla forma partium, sed quid ab eis distinctũ; nihil tamen prohibet animam alia ratione esse secundum se compositam, in brutis quidem ex vegetali, sensitrice, ac illa, qua constituitur propria species vel canis, vel equi; in homine vero ex vegetali pariter, sensuali, & mentis compote.

Sed & illud omnino falsum est animam, quæ est forma totius animalis, non esse quoq; formam ossis, nerui, carnis, & singularum aliarum partium, sed has sigillatim pollere propria quadam forma diuersæ naturæ tum à forma totius, quæ anima est, tum à formis aliarum partium, quæ non sunt animæ, nam primo loco Aristoteles apertè fatetur carnem, neruum, os, faciem, cor, & sigillatim omnes alias partes animalis ex se habere animam; anima vero cuicunque ineſt ipsius est forma; si ergo anima, quæ est forma totius animalis, re distincta sit à formis singularum partium, quæ itidem sunt animæ à

2. De gen. an. c. 1. & 4.

se inuicem diuersæ, vt & ipsę partes, neque ex eis constituatur, fieret profectò vt de mente Aristotelis in animali tot essent animæ à seinuicem diuersæ, quot in eo sunt partes differentes inter se, vltra eam, quæ dicitur forma totius, quod an verum sit, te iudicem appello.

Deinde ratio non patitur formas partium animalis re distingui à forma totius, quoniam anima, quæ est forma totius animalis, eadem apud Aristotelem est principium, quo primo nutrimur, & augemur, sed quum per se primo nutriatur, & augeatur animal, non quoad totum, neque quoad partes dissimilares, sed tantum quoad partes similares, cuiusmodi sunt ossa, caro, nerui, & id generis, planè confiteri necesse est formam essentialem partium idem quid esse quod & anima, quæ dicitur forma totius; quod autem totum animal, atque partes eius dissimilares, non per se primo nutriantur, aut augeantur, sed ad nutritionem, & augumentum partium, testis est Aristoteles, qui scribit apertissimè per se primo in nobis augeri, ac nutriri partes similares, carnem scilicet, nervum, os, & huiusmodi, ex quibus quum dissimilares constituantur, manus, pes, caput, & id generis, hæ quoque ad primarum augumentum augentur, nutritionemque nutriuntur, non propriè ex se motu distincto; sic & totum viuens, quod

2. De an. 8.24.

1. De gen. 6.33.

quod ex similaribus dissimilaribusque partibus conflatur, augeri, nutririue non potest proprio quodam motu, diuerso ab augumento, & nutritione partium, sed eodem augumento crescit, eademque nutritione alitur, quæ actiones propterea per se primo competunt partibus similaribus, ex consequenti vero dissimilaribus, atque toti animali.

Amplius, hoc ipsum quod est totum animal, & partes in eo singulas eadem forma cõstitui, quæ anima est, manifestissimè colligitur ex Aristotele scribente, *Animal constitui in esse ab ipso sensu per se primò, & oportere accipere quod est in parte in toto viuente corpore, proportionabiliter namque habet sicut pars ad partem, ita totus sensus ad totum corpus sensitiuum secundum quòd huiusmodi*, nomine sensus hoc in loco intelligente ipsam animam sensualem, non aliquod eius accidens, alioqui non rectè dixisset, animal esse ob sensum primo, sed hæc antea satis. 2. *De an. t.* 9. 16. 1. *Lib. c.* 33.

Cæterum, neque vllius momenti sunt, quæ pro antecedentis confirmatione adducuntur, quod enim primo dicebatur, anima est prior corpore, sed compositum ex formis partiũ corporis præsupponit corpus; ergo anima nõ est composita ex formis partiũ, tollitur eo quia particula (primum) aliàs ordinem significat, aliàs perfectionem, si in primo sensu

à Fernelio sumatur, falso dicitur anima esse prior corpore, namq, anima est actus, & perfectio corporis, modo actus, & perfectio quę uis essentialis, vt anima est, præsupponit potius subiectum, ac perfectibile, quàm vicissim, aut saltem non est prior ipso secundum tempus: sin autem assumatur ea vox (primum) in alio sensu, verum est animam esse perfectiorem corpore, sed sic argumentum erit ex quatuor terminis, nam in vna propositione medium, seu (primum) significat idem quod perfectum, in altera vero idem quod primum in ordine.

Maioris ponderis non est, quod secundo affertur, forma totius habet aliquas operationes, quas non potest edere vlla forma partium seorsum, ergo illa ex his non est conflata, sed simplicem habet naturam, falsam etenim habet consequentiam, vt ostensum est supra, eo quia tum decem homines mouent pondus, quod à nemine seorsum moueri potest, tum quatuor faciunt harmoniam, quam vnusquisque illorum ex se facere nequit, tum demum theriaca eos morbos curat, quos nullum eorum, quæ ingrediuntur compositionem theriacæ, per se sumptum sanabit.

Ad tertiam vero obiectionem hanc, sicuti compositum est vna quædam natura distincta à suis partibus, vt syllaba ba, non est b, & a,

sed

sed quid tertium: ita par est vt forma totius non sit cumulus formarum partium, sed quid ab iis distinctum, ac simplex, respondetur negando analogiam: totum enim quamuis concedamus nõ esse cumulum partium (quade re tamen adhuc lis est sub iudice inter philosophos) sed quid à partibus contradistinctum, hoc tamen nõ est simplex, verum quid ex partibus compositum: ita enim & syllaba ba, quamuis non est b, & a, sed quid tertium, hoc nihilominus est compositum ex b, & a, non quid simplex: Ex eo autem non sequitur (dato & non concesso, quod forma totius sit diuersa à formis partium) eam esse simplicem, nec ex illis coagmentatam, sed potius oppositum à simili,

Verum, quod postremo afferebatur, dum animal interit formam totius in cadauere nõ remanere, in quo tamen remanent ossa, nerui, caro, & aliæ partes cum suis formis, indicium certum quod forma, & anima totius, non est constituta ex formis partium, tollitur, negato antecedente, in cadauere namque, quod est omni anima destitutum, non remanet caro, neruus, aut os, nisi æquiuocè, vt pictum, ait Aristoteles. 2. *De an. t. 9. & alibi sæpe.*

Amplius os, caro, & alia quæuis pars considerari potest, tum quatenus est corpus mistum ex elementis, seu genericè, tum qua-

tenus est determinata in specie ossis, aut carnis, misti vt mistum est, forma non est anima, sed ossis, aut carnis in eo quod est os, aut caro, forma specifica est anima, ossa, nerui, & huiusmodi remanent in cadauere quatenus sunt corpora mista, non sub ratione ossis, aut nerui cum sua forma specifica, quare nihil prohibet partes, ac totum animal eadem forma gaudere, quæ est anima, licet sine anima aliquomodo permaneant in cadauere ossa, & nerui.

CAP. XI.

An irrationalis pars animæ nostræ sit diuisibilis ad partitionem subiecti, & cur ouа subuentaneа extra aluum ouipari non viuant, sicut in eo, vnde satis fit vndecimæ dubitationi.

QVOD insuper obijciebatur ex eo, quod oua orta sine interuentu masculi subuẽtanea nuncupata, dum pariuntur, extra aluum matris animam non retinent, qua intra illam pollebant, alioqui essent prolifica, satis apertum esse ouipari animalis animam non esse multiplicabilem, ac diuisibilem ad partitionem subiecti: ex quo à fortiori desumebatur argumentum quod irrationalis pars animę humanę, quę in perfectione longè superat animã cuiuscunq; ouipari, eaue est immaterialior, minus sit diuisibilis, ac proin-

proinde in coitu à patre semini haud communicetur, facile est solutu, quia apertum censeo animam corpori vniri, vnitamque retineri mediantibus quibusdam dispositionibus subiectum apparantibus ad suscipiendam, & retinendam naturam animæ, inter quas dispositiones præcipua est calor in certo gradu (quod supra etiam obseruabamus) quo calore, quia oua subuentanea ex se carent, contra semẽ affluit, hinc factum est, vt ouum subuentaneum in ventre ouipari animalis beneficio caloris ad se à corde ouipari influentis anima materna gaudeat, ceu fructus, & pars illius animantis, vbi autem ab aluo eius excluditur, quia priuatur influxu caloris, ideo animam non retinet, semen vero ex se satis habuit caloris, quocirca effusum, atque à reliquo corpore seiunctum, in actu veneris animam, qua prius gaudebat in corpore animantis, extra illud quoque retinet beneficio proprii caloris.

Cap. XII.

Quomodo pater possit suo semini in coitu communicare partem suæ animæ irrationalẽ non communicato intellectu, si vnica in homine est anima, Quare soluitur duodecima oppositio.

Qvod etiam in altera dubitatione admirabile, quin & impossibile videbatur,

hominem, cui vnica est anima, proprio semini conciliare istam suam animam, absque eo, quod illi communicet intellectum, qui vel tota est anima hominis, vel pars animæ humanæ potior, in superioribus planum fecimus, atq; possibile, sed rei grauitas expostulat; vt idipsum hoc in loco clarius explicemus.

2. De gen. an. c. 3. Tres itaque quum sint animæ, quæ concurrunt ad hominis generationem ex mente Aristotelis, vegetatrix, sensualis, intellectiua, prioresque duę quum ita materiales existant, vt ab ea sint inseparabiles, subiecto, quod informant, sic vniuntur, quod extensibiliter illi inhærentes totæ quidem secundum essentiam sunt in toto subiecto, totæque in qualibet parte ipsius, at secundum quantitatem, qua subiecto extensibiliter vnitæ sunt, totæ item sunt in toto subiecto, at partem habent in parte illius, more formatum inanimatarum, inter quas, & intellectum mediæ quum sint, iure optimo extremi vtriusque naturam redolent, si namque vegetali, & animæ sensitiuæ commune hoc est cum intellectu, vt proprio subiecto vitam impertiant; sensitrici vero, vtpote magis proximæ ipsi menti, id præterea commune est, quod facultatem motricem, potestatemque cognitricem suo subiecto conciliet, non temere vegetali, ac animæ sentienti cum inanimatorum formis com-

communem esse diximus inseparabilitatem à materia, extensionẽ ad eiusdem dimensiones, ac diuisibilitatem, seu multiplicationem ad ipsius materiei partitionem. Quum autem proprietates istę competant hisce animabus, vegetali nempe, ac sensitiuæ per se, & quatenus sunt naturæ mediæ inter animam rationalem, & formas illas, quæ non sunt animæ, dubio procul attributa ista non solum in sensitiua, & vegetali anima imperfectorum animalium (vt quidã existimant) reperiri oportet, sed etiam in animabus inferioribus perfectorum animalium quoramcunque, quod enim est per se tale, semper tale permanet, vbicunque, & in quocunque ponatur. Anima vero rationalis indiuisibilis omnino, ac ita immaterialis quum sit, vt à corpore sit separabilis tum quantum ad esse, tum etiam quantum ad operari (non enim vtitur corpore ad intelligendum) corpori vnitur, non instar inseparabilium formarum, vt tota secundum essentiam sit in toto subiecto, totaque in singula parte illius, secundũ quantitatem vero tota in toto existens, partem habeat in qualibet parte subiecti, sed vti punctum indiuisibiliter, hoc est, non extense, secundum sui essentiam totũ est in tota linea, & omnis quãtitatis expers totum in vnica tantum parte lineæ, non in singulis; ita prorsum rationalis ani-

lis anima corpori non extenſa tota ſecundum eſſentiam eſt in toto corpore, & omnem quantitatem renuens tota eſt, non in ſingulis partibus corporis, ſed in vna tantum parte illius, quæ ſit omnium præſtantiſſima, dignum nobiliſſimę formę habitaculum; quam Ariſtoteles cenſet eſſe cor: Galenus vero cerebrum.

Non tamen propterea plures animas vno in homine ponimus, vt ii, quos ſacroſancta Synodus Conſtantinopolitana anathematizat, illi namque, vt apparet ex verbis Can. ponebant in homine duas animas in vnam naturam non coeuntes, at nos tres quidem ponimus partes eſſentiales ab inuicem diuerſas, verum dicimus eas coire in vnam eſſentiam animæ humanæ; quoniam animam vegetalem ita ſenſitrici coniunctam dicimus, vt ex vegetali, tanquam adhuc perfectibili, ſiue (quod aiunt) ex ente in potentia, & ſenſitrice illi, ceu actu, copulata, emergat vnum per ſe ens, nã ad hoc vt ex duobus fiat vnum ens per ſe, ſat eſt Ariſtoteli quod vnum ſit eſſentiale complementum alterius, ſicuti eſt ſenſitrix ad vegetalem, ex quibus ideo fit, vnum per ſe ens, & vna anima irrationalis, quæ rurſum pariter intellectiuam, ceu actum eſſentialem, ſuſcipit, indeque denuo pullulat vnum per ſe ens, quod eſt anima humana, quæ non raro

Can. 11.

2. De an t. 7.

à parte

à parte sui nobiliori nuncupatur Philosophis intellectus, mens, anima rationalis, aut intellectiua; vnumquodque enim est id, quod in eo est summum. Sed quum longe dissimilior sit intellectus, qui incorruptibilis, ac indiuisibilis omnino est, & prorsum quãtitatis exors, ab anima ratione carente, quæ per accidens quanta diuisibilis est ad subiecti diuisionem, quam sensitrix à vegetali, quę ambæ sunt corpori extensæ, per accidens diuisibiles, proprieque mortales, hinc factum est vt longe differat vnio intellectiuæ animæ cum irrationali ac vnione sensitricis cum vegetali, quia quum hæ inferioris notæ animæ corpori sint extensæ, sicuti corpori ambæ, ita inter se tota vna alteri toti essentialiter, totaque altera cuique parti alterius: secundum quantitatem vero, quam sortitæ sunt à dimensione subiecti, cui extensæ sunt, tota vna alteri toti, & pars vnius parti alterius copulatur. At rationalis anima, quum etiam corpori adiuncta omni quantitate careat, partemque non habens vllo modo extra partem, vti punctum totum toti lineæ, vel corpori; & totum vni tantum particulæ in corpore; ita tota mens toti animę irrationali, totaque vnitur vni tantum illius parti, quæ est in membro omnium corporis nostri præstantissimo.

Sed obiicies non posse vnum vere per se ens

ens ex iis emergere, quæ adinuicem non secundum se tota coniunguntur, non igitur anima humana, si constituitur ex intellectu copulato non toti animæ irrationali, sed vni tantum ex partibus eius, erit vere vnum per se ens, & anima vna.

Dico animabus caducis, ac materiei extensis duplicem ineſſe totalitatem, altera eſt totalitas quantitatis, ſecundum quam & adinuicem, & corpori vniuntur totæ toti, habentes partem parti copulatam, altera vero eſt totalitas eſſentiæ nuncupata, ſecundū quam totæ toti, totæque vnicuique parti & comitis animæ, & corporis ſubiecti, coniunguntur; Immortalibus autem, ac materiei non extenſis, cuiuſmodi eſt anima rationalis, ſolam ineſſe totalitatem eſſentiæ, ſecundum quam vnitum, ſi quis dicat eſſe intellectum toti eſſentiæ animæ irrationalis, quæ reperitur in vna parte ſola noſtri corporis, atque inde vnum ens per ſe, vnamq; animam humanam emergere, nihil falſi dicet, perinde ac is, qui ex linea, & puncto vna tantum in parte ipſi lineæ coniuncto vnum per ſe ens conſurgere fatetur, & non ſecus ac qui ex numero ſenario (qui quantitas eſt quædam habens partes extra partes) & ex vnitate (quæ quid eſt indiuiſibile partium, & quantitatis expers) non omnibus, & ſingulis ſenarii partibus adiuncta.

iuncta, sed vni tantum illius parti, fit per se vnum diuersum à priori, quod est numerus septenarius. Ita enim prorsus mens omni quantitate carens, neque habens partem extra partem, veluti vnitas, & forma, addita irrationali animæ quantitatis quodammodo participi, & habenti partem extra partē, non secundum quamlibet, sed penes vnicam illius partem, constituit vnam numero animam diuersam à præexistenti, quæ dicitur anima humana, siue etiam rationalis à sui parte nobiliori, vnumquodque enim est id quod in eo est summum.

Quum itaque semen non sit ea pars nostri corporis omnium princeps, in qua rationalis anima vnitur irrationali, propterea fit vt quum semē adhuc in corpore genitoris extaret anima humana frueretur quidem nō quoad partem eius rationalem, sed tantum quoad partes ratione carentes; atq; hinc est quod sperma dum è corpore patris eiaculatur, non intellectiuam, sed solum retinet animam vegetalem, ac sensitricem ab intellectu seiunctam illæ autem animæ humanæ partes in semine permanent ea ratione, quia quantæ quū sint ad quantitatem subiecti, diuisibiles quoque fiunt ad eiusdem diuisionem, quippe diuisibilitas ita est de ratione quāti, vt omne quantū eatenus sit diuisibile quatenus est quātum.

Nihil

Nihil ergo mirum, nihilque impossibile est in humano semine, dum coitu eiaculatur, permanere partem animæ nostrę rationis expertem citra intellectum, licet anima paterna, cui semen suam animam acceptam refert, vna tantum sit, & intellectum contineat tanquam sui partem potiorem, perinde ac nihil mirum est in morte hominis animæ humanæ partem vegetalem, sensualemque corrumpi, rationali parte superstite, vt quæ ab iis separetur, tanquam æternum à caduco apud Aristotelem.

2. De an. t. 21

Quare obiter hoc noto discrimen inter generationē hominis, & mortem eius, quod in prima hominis generatione, quæ habet exordium in coitu, dum à mare semen eiaculatur in fœminam, animæ humanæ, pars irrationalis, quæ in semine permanet, separatur à parte intellectiua, hac ipsa superstite in patre, at in morte hominis mens ipsa separatur ab animi nostri partibus ratione carentibus, quæ corrumpuntur.

Obseruo item duplex esse genus mortis, quo cadere potest homo, alterū est mors naturalis, quando propter extinctionem natiui caloris proxime corrumpitur animæ pars irrationalis, ad cuius interitum mens à corpore seiungitur, alterum est mors fere supra naturam, quando in Ecstasi diuturna, & forti propterea

pterea quod mens nō regit, gubernatve corpus, nec animas inferiores, hæ pereunt, à quibus ideo mēs, & à corpore ex toto seperatur.

Cap. XIII.

Cur in homine id contingat vt in semine eiaculato permaneat animæ suæ pars rationis expers; ea vero similiter non permaneat in aliis quibusque partibus à corpore abiunctis. ex quo respondetur decimatertiæ dubitationi.

Sed quod præterea quærebatur, vndenam sit quod in seminis eiaculatione diuidatur, ac multiplicetur animæ nostræ pars irrationalis, eaque remaneat in semine à corpore seperato, idem autem non accidat in cæteris partibus, vbi contingit eas à corpore seiungi; nam effossus oculus, abscissus pes, obtruncatum caput, & aliæ omnes partes à corpore seiunctæ, sine anima vlla mortuæ remanent, aut cito moriuntur, facile tolli potest, quia notum est ex superioribus animam corpori adiungi mediante calore naturali, seu temperamento, quum itaque in eiaculato semine permaneat etiam calor naturalis, vt qui nec ab externa frigiditate extinguitur, sed potius fouetur à blando, ac familiari calore vteri, in quem excipitur, inde fit vt semen eiaculatum animam sibi adnexam retineat merito proprii caloris.

Atque hinc obiter rationem reddere possumus dicti Aristotelici, Quibus penis oblongus est esse infœcundos nimirum seminis calore in longo illo tractu ob carentiam calidi fouentis resoluto, ac extincto, semẽ animam amittere, atq; infœcundum fieri. sed ad rem.

Alia vero ratio est de cæteris partibus corporis nostri, hæ namque, quoniam à reliquis auulsæ, ac separatæ priuantur familiari calore, quo innatus, ac sibi insitus conseruetur, & foueatur, imo quia hic ipse ab ambientis frigiditate extinguitur, idcirco anima destituuntur, soluto eo vinculo, quo illa ipsis erat adnexa; & quoniam hic insitus, ac proprius partium calor, dum hæ à reliquo corpore separantur, in aliquibus citius, in aliis vero serius extinguitur, hinc factũ est vt partes à corpore seiunctæ aliæ statim, aliæ tardius anima priuentur, ac moriantur, quod sæpe scripsit Aristoteles.

Lib. de iuu. & senec. c. 1. & alibi.

Ex quo obiter quoque ratio elici potest, cur quædam capita obtruncata loquuta fuerint, caput enim ex iis est partibus, quæ à corpore seiunctæ aliquandiu calorem in se retinent, atque animam, neq; ad locutionem, seu etiam (quod aiunt) ad motum linguæ, aut cuiusuis alterius particulæ recenter à corpore viuentis animalis separatæ (quam moueri videmus, atque etiam sentire eo deprehendimus,

mus, quia puncta seſe contrahit) ſufficere putandum eſt ſi pars iſta ſeorſum à toto aliquantiſper contineat ſpiritus animales ſibi à cerebro tranſmiſſos, atque horum beneficio ſine anima aliquandiu moueri poſſe, ac etiam ſentire, quia tales ſpiritus ſpeciatim inſeruiant motui, ac ſenſui, namque inſeruiunt quidem ſpiritus animales motui, ac ſenſui, ſed non tanquam agens principale, cui primo debetur actio, verum tanquam organa, quibus anima, ceu agens principale, vtitur ad ſentiendum, & mouendum, quum autem apertiſſimum cuique ſit nullum inſtrumentum quidquam operari poſſe, niſi reipſa regatur, moueaturque ab agente primario, manifeſtum quoq; eſſe debet ſpiritus animales ſine anima non poſſe efficere aut motum, aut ſenſum in parte aliqua animalis ſeiuncta ab ei⁹ corpore.

Cap. XIV.

An ſenſerit Ariſtoteles ſemen eſſe principium materiale eorum, quæ ſemine propagantur, & ita ſoluitur decimaquarta dubitatio.

Non eſt maioris momenti quod nobis dinceps opponebatur, arbitrari Ariſtotelem ſemẽ eſſe principium materiale conceptus, vt qui ſcriptũ reliquit neruorum, & oſſium materiam eſſe excrementum ſeminale, atq; alibi, animalia, & plantas fieri ex ſemine, 2. *De gen. an. c.* 4. 1 *Phyſ. t.* 62.

tanquam ex materia; quoniam per seminale excrementum in primo loco, quod cedit in materiam neruorum, & ossium in prima partium cõstitutione, intelligit Aristoteles, non verum semen, sed menstruum sanguinem, quem antea dixerat esse semen, quanquam non purum. Ita etiam glossari potest alter ille locus Aristotelis, quando scribit animalia, & plantas fieri ex semine, tanquam ex materia, quod pertinet ad animalia, nomine seminis tunc quoque vsurpato in communiori significato, vt conuenit aliqua ratione & menstruo sanguini. Quod autem attinet ad generationem plantarum, in quarum seminibus apertius alibi monuit *aliquid tale primum inesse*; tum *quod potentia est germen*; tum *quod lacteum vocatur, ex quo enascens planta materiam sumit, & alimentum, sicuti in animalium generatione idem excrementum est eorum & materia constitutionis, & alimentum*; nisi dicere velimus Aristotelem hîc semel veritate coactum adnuisse quod alibi renuit, respondendum est eo in loco ex physicis Aristotelem ostensurũ in generatione substantiæ reperiri aliquod subiectum, ex quo generabilia fieri possint, id præstitisse plantarũ, & animalium exemplo, quę gigni vtraq; protulit ex semine, tanquam ex subiecto, non quod vere ipse crediderit semen esse vtrorumq; illorum materiam, sed

1. *De gen an. c.* 20.
2. *De gen. an, c.* 3.
2. *De gen. an. c.* 4.

quum

quum ad ſtabilienda ea, de quibus aliqua eſt dubitatio, mediis manifeſtioribus quoad fieri poteſt vti oporteat, non temere ſibi licere putauit Ariſtoteles ad comprobandum in generatione ſubſtantiæ aliquod materiale principium eſſe ſupponendum, exemplum afferre in animalibus, & plantis, ac dicere eorum vtrunque animatorum genus fieri ex ſemine, ceu ex principio materiali, quod etſi apud ipſum non erat vſque adeo verum, id tamen, & à veteribus, quibuſcum diſputat Ariſtoteles in eo libro, verum creditur, & ſenſibus ipſis manifeſtum apparet, quippe nullam aliam rem videmus, quæ poſſit cedere in materiam, & alimentum primum generandi viuentis, præter ſemen; exemplis etenim nos vti, non vti ita ſint, ſed vt audiant, qui addiſcunt ait Ariſtoteles, & exemplorum non requiri verificationem, ſed manifeſtationem teſtatur Auerroes.

Sed obiicies ſcientificas probationes non debere niti falſo. Dic verum eſſe triplicis generis, nempe verum ſimpliciter, verum aduerſario, & verum ex ſuppoſitione, & ſicuti verum ſimpliciter poteſt eſſe falſum aduerſario, ac ex ſuppoſitione, ita verum aduerſario, & verum ex ſuppoſitione poteſt eſſe falſum ſimpliciter, allata exempla, ſi apud Ariſtotelem non ſunt vera ſimpliciter, ſunt ta-

men apud eundem vera aduersario, quo cum disputat, vel etiam ex suppositione, atque huiusmodi vero niti possunt probationes scientificæ, neq; illud falsum dici potest ex Aristotele, qui scriptum reliquit alicubi Geometram supponentem lineam descriptã in abaco, à qua deducuntur probationes, siue demonstrationes, & conciusiones scientificæ, esse pedalem, aut rectam, falsa non supponere quamuis reuera huiuscemodi linea neque pedalis sit, neque recta.

1. Post t 15.

Atq; hæc in præsenti diligentius de exemplis examinare operęprecium duximus, quoniam frequenter circa ea solent in exercitationes in nodos implicari inexplicabiles.

CAP. XV.

Quomodo seminis anima sit eadem numero cum ea, qua pollet fœtus in vtero, & quomodo ab ea sit numero, ac genere diuersa. vnde diluitur decimaquinta obiectio.

SEMEN non esse animatum eadem numero anima, qua & fœtus ipse in vtero, multis rationibus ostendebatur contra ea, quæ à nobis superius determinata sunt, quarum prima talis erat ex Fernelio, si semẽ esset animatum eadem anima, qua & Embryon, quum fœtus in vtero non minus sit homo quam infans extra vterum, nec puer quam adultus,

2. Lib. c. 8.

profe-

profecto ſemen æque eſſet homo ac quiuis noſtrum, quod tamen longe abeſt à veritate.

Sed hoc leue eſt ſatis, quia Embryon, ſeu fœtus in vtero poteſt conſiderari tum ante, tum poſt adeptionem mentis, ſeu & in primo quadragenario, & vltra quadraginta dies ab actu conceptionis, ſi accipiatur fœtus in primo ſtatu ante aduentum mentis, ſeu in primo quadragenario, verum eſt quod ſemen, & fœtus eandem numero animam obtinent, falſo autem in argumento dicitur fœtum non eſſe minus hominem, quam ſit infans, nam quiſpiam homo dicitur ob participationem animæ humanæ, qua quum infans tota, & integra fruatur, fœtus vero non niſi eius partem rationis expertem obtineat, ideo dici non poteſt ſemen, aut fœtus æque homo ac infans.

Sin autem conſideretur fœtus in ſecundo ſtatu, poſt quadraginta dies à conceptione, quando iam habet animæ partē rationalem, tunc non dicimus nos ſemen eadem numero anima cum fœtu pollere, niſi ſecundū quid, nam fœtus habet totam animam humanam eſſentialiter cōflatam ex anima vegetali, ſenſitrice, & mentis compote, ſemen vero tantummodo huius animæ partes obtinuit ratione carentes, quare quum homo dicatur magis ob participationem mentis, quā cæte-

rarum animarũ, ideo recte colligi non potuit ſemen eſſe æque hominem, ac ſit adultus.

Eſt nihilominus ſemen, & Embryon ante aduentum mentis animal quoddam ſui generis contradiſtinctum à cæteris ſpeciebus brutorum animalium, determinatæ ſpeciei in genere animalis, quæ ſiue ſemen humanum, ſiue Embryon, ſiue conceptus, ſiue fœtus humanus appelletur, ſiue animal imperfectum, vt ait alicubi Ariſtoteles, nil referre puto.

De reſpir. §. 7.

Hæc ita ſe habent in homine. De brutis vero animalibus aliter ſtatuendum eſt, nam quum eorum conceptus omnem animã tum vegetalem tum ſenſitricem in genere, tum eam, qua in certa ſpecie conſtituuntur, à parentibus habeant, ſemen canis, verbi gratia, eadem numero anima abſolute gaudet, atque canis ex eo ſemine oriturus, quare nõ minus canis eſt caninum ſemen quam ſit canis ipſe ortus, quantum ad eſſentiam, differunt autem penes accidentia, nam in canino ſpermate non eſt reipſa ille organorum, ac partium diſtinctus apparatus, qui actu in cane conſpicitur, nec eas actiones edit ſemen, quas canis perfectus.

Quod autem in brutis euenit, idem euenire putandum eſt in ſtirpibus, plantæ namque quum omnem, qua gaudent, animã tum vegetalem in genere, tum etiam qua in certa ſpe-

ta specie Nardi, vel Nucis determinantur, aliunde non hauriant quàm à semine, fatendum est prorsum semen stirpium eadem numero anima potiri cum planta, quæ ex eo germinat, ab eaque ideo non secundum essentiam differre, sed penes accidentia solummodo, vt proximè diximus de brutis.

Cap. XVI.

An semini vna tantum sit anima, an multæ, si vna quomodo ex eo simul possint eadem conceptione constitui, & animari plures fœtus. & ita dissoluitur nodus decimus sextus.

Maivs profectò robur non habet, quod deinceps afferrebatur argumentum, si semen esset animatum, vel necessario vnam solum animam haberet, vel multas potius eiusdem generis, si semini vna inest anima; ergo non possunt ex eo simul animari plures fœtus vna conceptione, & simul nasci plures infantes vno partu; contra tamen obstat experimentum. At si semini multæ insunt animæ eiusdem generis; ergo ex eo non potest oriri vnum animal, cui actu non insint multæ animæ eiusdem generis, quod non minus absurdum est, quàm eas ponere in ipso semine. Nam dicimus semini vnam inesse tantummodo animam irrationalem, quæ quũ materialis existat, ac proinde multiplicabilis ad di-

uisionem subiecti; erit illa quidem vna numero actu, sed multæ in potentia. Quo factum est, vt si semen in vtero diuidatur in multas portiones, illa vna anima multiplicata ad partitionem subiecti, ex eo tot conceptus cõstituantur, totue animata gignantur, quot fuere partes, in quas fuit distributum. Si vero semen non partiatur, sed totum simul vnitum permaneat, vna & permanente ipsius anima, vnus numero constituitur conceptus, atque vnicus paritur infans.

CAP. XVII.

Quomodo anima seminis ab anima parentis ortum habeat. Vnde respondetur ad instantiam decimam septimam.

IN eodem planè censu est, quæ subdebatur oppositio, si dum eiaculatur semen, in eo remanet anima similis illi, qua pollet animal, à quo semen decidit; par est sicuti semẽ à corpore, ita seminis animam ab anima parentis generari, sed istud qua ratione fieri possit, quod vnius hominis anima alias de se nouo quodam, & inaudito procreationis genere tam repentè, tam multa, tam crebro multiplicet, æquum est vt explicetur.

Nam præterea quòd ad hominem dicere possemus ab anima parentum gigni animam seminis, & natorum eodem prorsus modo, quo

quo nouiter quidem, & inauditè ipse fatetur nostrates formas à forma cœli prodire; attamen vere magis dicimus (vt in superioribus dictum est) animam seminis ab anima eius, à quo semen effluit, generari, illa ipsa parentis anima multiplicata in actu veneris ad subiecti partitionem, vbi semen à reliquo corpore separatur, quod procreationis genus nouum non est, aut inauditum; sed vulgatissimum, atque antiquissimum in stirpibus, & animalibus insectis, quorum partes abinuicem seiunctæ viuunt, & nouum animatum in eadem specie constituunt. *Lib. 2. c. 7.*

Benè nouum ipse inuexit procreationis genus Fernelius inquiens formam cœli innumerabilibus formis grauidam omnia gignere, ac fundere ex sese, portentosè certè non minus quàm falso. *1 De abd. rer. cau. c. 8. 10.*

Age nunc examinemus alia eius argumenta, & videamus an sint maioris momenti, ac fuerint sua hactenus trutinata.

Cap. XIIX.

Quæ sit caussa hominis efficiens; Nec non quomodo genitura, siue semen sit excrementum, an vile. Ex quo respondetur ad argumentum decimum octauum, & decimum nonum.

Quod autem præterea obiiciebat, animam, quę in semine est, quum nondū sit homi-

hominis natura, non posse propriè hominem efficere, tollitur ex eo, quod hominis natura, seu forma est essentialiter constituta ex rationali, & anima rationis experte; semen quidem hominem producit, seu homo parens hominem producit, non solus, & ex se, vt supponit obiectio, sed præter ipsum est etiam Sol, siue Deus Optimus; semen quidem fœtui communicando partem animæ nostræ rationis expertem; Deus autem summus rationalem.

At alia dubitatio, qua dicitur non decere animæ præstantiorem naturam alligari semini, quod apud Aristotelem est excrementum vile, supra soluta fuit multis nominibus: sed & nunc etiam confutatur, quoniam in illa falso assumitur semen Aristoteli esse vile excrementum; quia ipse apertissimè testatur semen esse magnum quoddam principium magnarum rerum, & semper alibi, vbi de semine tractat, ait illud esse excrementum vtile, sumens nomen excrementi quatenus significat quid superabundans alimento, non quid naturæ infensum, atque excretione dignum; duo enim ista significata habet vox excrementi, vt indicet tum quod inutile est, immo nocuum, ac excretione dignum ne noceat individuo, vt stercora; tum quod vtile, ac bonum est, superabundans, seu excrescens,

10. *Sect. prob.* 64.

scens, vel si vis excrementum quantitatis (vt monstrabat Pater in suo Dialogo de Genitalium vsu ac dignitate) vel tandem dignum excretione, vt prosit speciei, cuiusmodi est semen. At vero, vbi ait Aristoteles semen esse excrementum vile, ac indignum, id non protulit de semine absolute, & quatenus ipsum secundum se consideratur, sed in relatione ad ens perfectissimum, & nobilissimum vti Deus est; propterea dicens semen esse excrementum indignum, quo proximè Deus vtatur ad operandum ceu instrumento, nobis non refragatur iudicantibus semen esse dignum, cui adnectatur anima rationis expers, quæ item licet naturam habeat secundum se satis dignam, atque perfectam, si tamen ad Deum referatur, imperfectum quid, ac nihil fere nuncupari poterit. 2. Degen. an. c. 3.

Sed & illud perperam assumitur non decere præstantiorem animæ naturam vniri vili excremento; quando sæpe vel in corporibus humanis ex putrido excremento animalia gignuntur, quod sensui est manifestum.

Cap. XIX.

Quomodo semen famuletur generationi; Quare soluitur vigesima oppositio.

Qvod

QVOD vlterius afferebatur, sicut se habet materia putris ad ea, quæ putredine oriuntur; ita semen ad animalia perfecta, sed putris illa materia ex se nullam habet animam futuri viuentis; ergo nec semen: falsa nititur analogia, quoniam putris illa colluuies, quum generandi viuentis solum sit materiale principium vt in termino à quo, seu cum priuatione puta, non opottet vt sit animata; imo quum priuatio ista nitatur forma materiei putridæ, quæ non compatitur naturam animæ, ideo putris illa materia necessario est inanimis, sed semen apud Aristotelem, quum effectiuum principium geniti statuatur, de necessitate est animatũ; quippe generans actu tale est, quale potentia est id, quod generatur. Verum apud nos, qui existimamus humanum fœtum perfici, animamque sortiri partim à Patre, qui semini cessuro in materiam conceptus impertit humanæ animæ partes ratione carentes; partim à Deo summo, qui fœtui indit partem aliam rationis compotem; semen est materia participans aliquid ipsius termini ad quem, qui est anima humana, non materia in puro termino à quo, & priuationi adhuc adiuncta, vt excrementum putre, vel si dicendum velis semen quoque esse in termino à quo, & priuationem comitem habere

animæ

animæ rationalis; illud tamen obseruamus priuationem in semine esse mutilam inchoationem formæ humanæ subordinatum, ac instar materiæ in potentia ad animam intellectricem, cum qua est compatibilis in eodem; at priuatio, quæ est formæ futuri viuentis in materia putri, nititur tali formæ, quæ animam non compatitur; ideo etsi semen, & materia putris sint æquè materia generandi animati, quum diuerso genere priuationis, ac formæ gaudeant; non æquè vtrumque respicit, ac se habet ad formam orituri animalis; propterea q; semen potest esse animatum, putri materia in animata existente.

Cap. XX.

An semini tota insit anima perfecti animalis, nec ne? An seminis anima sit eiusdem naturæ, ac perfectionis cum anima orti ex eo, an non? Quare tollitur vigesima prima difficultas.

Pari facilitate satisfieri potest ei, quod postea obiiciebatur, si in semine inest anima; ergo vel similiter ac in perfecto animali, vel dissimiliter; si dissimiliter, ergo vel tota anima perfecti animalis inest semini, vel tantum illius portio; non portio, quoniã anima nullas habet portiones, quæ seorsũ à toto subsistant, quũ nõ sit corpus, si tota in semine

inest

ineſt anima hæc profecto vel eſt eiuſdem generis, & eſſentiæ cum ea, quæ eſt in animali, vel diuerſæ naturæ; ſi primum, vel eſſet æquè perfecta, vel imperfectior; ſi æquè perfecta, eſſet iam ſemen animal perfectum; ſi vero imperfectior, magis, & minus formæ ſuſcipient, atque in ſubſtantiis inerit intenſio, atque remiſſio; ſin autem ſeminis anima dicatur eſſe diuerſæ naturæ ab anima animalis orti ex eo, ſemen fieri nequibit animal, niſi pereat in eo exiſtens anima; quare in ſemine nihil erit formæ generandi viuentis.

Facilè inquam diluitur hoc dilemma; nam ferè omnia ipſius membra impunè concedi poſſunt; ſingula ergo expendamus, ſi ſemen habet animam; ergo vel ſimiliter, vel diſſimiliter ac perfectum animal; quum notæ illæ (ſimiliter, diſſimiliter) poſſint ſignificare tum modum participationis animæ ſimilem, vel diuerſum; tum animæ ipſius participatæ eſſentiam ſimilem, vel diſſimilem; ſi de eſſentia ſit ſermo, In brutis anima ſimiliter, hoc eſt, eiuſdem naturæ omnino reperitur in ſemine, ac in perfecto animali; Quod verò hinc deducebatur, ergo ſemen canis eſſet canis perfectus, non benè colligebatur; quia ſupponit omnẽ animalis perfectionem cõſiſtere in ſola participatione animæ; quod falſum eſt penitus; nam habẽt animalia ſuam perfe-

perfectionem quoque à recta corporis ſtructura, & à partium compoſitione, conformatioueue: quare gibbi homines, vel mutilati aliquo membro, ſunt imperfecti, quamuis habeant animam eiusdem ſpeciei, & æque perfectam, atque ii, qui omni ex parte ſunt completi. Adde & apud Ariſtotelem idcirco mulieres, & fœminas in vniuerſum, etſi eadem ſpecie anima donentur, qua & mares, eſſe tamen maribus imperfectiores, & quaſi maſculos mancos, & læſos: ſic prorſum ſemen Canis, licet habeat eandem animam, quam & ipſe Canis ortus ex eo, non tamen penitus ac ille eſt Canis perfectus: quum careat iis inſtrumentis, & partibus, quæ faciunt ad perfectionem, & complementum Canis. In homine diſſimiliter: quia ſemen habet ſolum partes animæ noſtræ ratione carentes: homo autem has ipſas, inſuper & mentem, ex quibus tota animæ humanæ natura conſtituitur.

10. *Sect. prob.* 10. 2. *de gen. an.* 6. 3.

At ſi (ſimiliter, & diſſimiliter) ſignificent modum participationis: dicimus in ſemine, & in animali perfecto animam eſſe tum ſimiliter: quia vtrobique eſt vt actus eſſentialis, & forma informans: tum diſſimiliter, quoniam in animali perfecto anima eſt ſemper operãs, & in actu ſecũdo: in ſemine vero vt ſic eſt potius in habitu, ſeu in actu primo. Ergo (ſubdit) vel tota perfecti animalis anima ineſt ſe-

mini, vel aliqua eius portio tantum : Dico in brutorum, & ſtirpium ſemine totam futuri viuentis animam ineſſe: in humano autem animæ humanæ portionem tantum rationis expertem.

Quod vero contra obiicitur, animam, quia non eſt corpus, non habere portiones, quæ ſeorſum à toto ſubſiſtant: falſum eſt omnino: quoniam ſupponit corpora ſolum habere partes extra partes: nam linea, ſuperficies, locus, habent partes quantitatiuas per ſe : formę item omnes extenſæ partes quoque habent extra partes per accidẽs ad conditiones materiæ ſubiectę : ſed præter huiuſcemodi partes dãtur etiam partes eſſentiales, quę inſunt & non corporibus, quales ſunt iſtæ, quas animæ adſcribimus, rationalem ſcilicet, ſenſitricem, & vegetatiuam, conſtituentes eſſentiam animæ humanæ. Si tota, ergo (deinde arguit) anima ſeminis eſt vel eiusdem naturæ cũ anima generandi viuentis, vel diuerſæ : reſpõdeo in brutis eſſe eandem: ergo (ait) vel ęque perfecta vel imperfectior: dico ęque perfectã : replicat, igitur ſemen Canis eſt Canis perfectus: non valet, quia nõ omnis perfectio geniti eſt ob animæ participationem, vt nup oſtendimus : at ſi etiam detur ſemini anima imperfectior qnam genito animali, non tamẽ ideo fiet vt in formis ſubſtantialibus ſit intenſio

sio,ac remissio:namq; id non contingit in cõpositis:quum enim fœmina sit vbiq; masculo imperfectior non est tamen vir magis homo quam sit mulier. At in humano semine dicimus animam esse diuersæ naturæ ac sit in homine perfecto:quia in spermate anima est rationis expers,in homine vero rationis cõpos: propterea tamen non fit vt, ad hoc quod semen fiat homo,per susceptionem animæ rationalis,anima seminis intereat : sed permanet, & illi adnectitur intellectus, ex quibus tanquam potentia, & actu simul iunctis vna fit anima humana, quæ est perfecti hominis forma substantialis: cuius idcirco pars præexistebat in semine,contra placitum aduersarii temere supponentis in omni generatione nouam formam corrumpere præexistentem non enim perit forma elementi in generatione misti:alioqui dum mistum corrumpitur,resoluiturque in elementa quatuor,adesse oportet efficientia peculiaria, quæ proxime generarent de nouo sigillatim formas elementorum,in quæ mistum fuit resolutum: quod difficile est vel fingere.

Cap. XXI.

Qua ratione semen, quod est materia generandi animalis,se habeat ad illud:an scilicet eius formam,an potius priuationẽ obtineat: & Quo-

modo. Ex quo respondetur ad vigesimam secundam rationem.

SED quod vlterius afferebatur, semen, si materia est futuri animantis, non posse cũ eo in anima communicare: quia materia per se sumpta, non formam gignendi compositi, sed eius formæ potius priuationem obtinet: sic tollitur quoniam hominis generatio quũ non simplici forma substantiali, & vnico instanti terminetur, sed ad duplicem terminũ tendat, quem vtrumque non ab eodem agẽte peculiari, neque in eodem tempore assequitur: hinc est quod homo referri potest ad materiale principium, ex quo est constitutus, iuxta duplicem statum, quem sortitur nunc sub vna forma, quam ab initio sui ortus à patre acquisiuit, vti est anima ratione vacans: nunc vero sub alia, quam adeptus est à Deo summo in vltimo instanti suæ generationis, cuiusmodi est Mens: quod est dictu, homo potest referri ad suam materiam, tum quatenus homo completus post adeptionem mẽtis, tum quatenus hominis rudimentum, mutilaque inchoatio, & omnino Embryon ante aduentum intellectus, ac in primo quadragenario: si quidem hoc modo consideretur homo in primo quadragenario, semen non materia hominis, sed homo ipse est genitus à patre

tre in seipso, qui animas illi rationis expertes, sed homini proprias, specieque à cæterorum viuentium formis differentes communicauit: quod etiam notat Ficinus inquiens, *Omnẽ vitam prius generare suam stirpem in seipsa quam extra se: vt vegetalis in plantis, & animalibus generat in proprio corpore semen quasi plantam, & quasi animal, priusquam mittat extra se tale semen, ac ex eo generet plantam, aut animal.* *De religione Christiana. c.13.*

Quod sane semen, quum careat iis instrumentis, quibus sibi opus est ad exequenda animalis officia quumque organa ista sibi cõparare valeat ope illius animæ, quam à genitore susceptit, dum ipsa de habitu, seu de actu primo, per quem latebat in spermate, ad actũ secundum educta, ad operandumque: excitata vires formatricis facultatis exercet in materiam Embryonis ideo semen recte vocari potuit ab Aristotele animal indefinitum, indistinctum, ac imperfectum: quemadmodum extare dicitur Vrsæ partus. *1. de gen. an. c.19. Li. de respir. c.7.*

Atque hoc modo si homo in relatione ad suam materiam contempletur in primo quadragenario, materiale principium hominis est sanguis tum maternus, tum etiam paternus, vnde semen oritur, plane inanimatus: aut semen ipsum non adhuc è corpore patris abiunctum, in quo actu non habet animam futuri

turi animalis, vt quæ nondum orta est, sed priuationum illius tantummodo.

Sin autem ad semen referatur homo in altero statu nempe quando in vltimo suæ generationis adeptus est à Deo summo animam rationis participem : tunc semen, quod non intellectiuam, sed solum obtinet partem animæ nostrę rationis expertem, quę menti subordinata existens, quasi Mentis priuatio, semen aptum reddit, & in potentia ad animam rationalem, cuiusmodi esse debet vera, & proxima hominis materia : tunc inquam semen vere est materiale hominis principium, quũ non animam humanam, sed potius obtineat eius priuationem.

1. Phys t. 59. Sed obstas ex Aristotele, de ratione priuationis esse vt ad præsentiam formæ, cuius est priuatio, pereat, ac euanescat ; proindeque temere statuisse nos priuationem animæ intellectiuæ esse irrationalem, quam ad rationalis aduentum non deleri è subiecto, sed in eo cum mente in vnam naturam animæ humanæ coire dicimus. Cæterum hoc munus præcipuum quum sit priuationis quod non solã carentiam formæ futuræ, sed etiam aptitudinem ad illam in subiecto ponat sic quod non ad aliam suscipiendam formam sit idoneum: manifestum est priuationem non esse merã negationem, sed rudimentum, obscuram-

ramque multoties, ac mutilam inchoationẽ formæ futuræ: quæ ſubiecto adiuncta in vltimo inſtanti generationis quod ſui ipſius in ſubiecto reperit rudimentum non deſtruit, ſed perficit, & complet: at quæ in eo rudimẽto erat, ſui abſentiam bene tollit: quo nomine nihil prohibet dici poſſe priuationẽ ad p̃ſentiam formæ, cui opponitur, & perire, obliterariquę: & incolumen permanere: interit quidem quatenus dicit abſentiam formæ futuræ: permanet autem quatenus eſt radix, ac rudimentum ipſius: quare ab Ariſtotele & ipſa priuatio in generatione dicitur fieri hoc, vt quæ per ſæpe mutila eſt inchoatio nouæ formæ: cuius aduentu hoc nouum eſſe acquirit, quod actuatur, ac magis perficitur: atque ita non ſecus ac ſubiectum recte ab Ariſtotele dicitur fieri hoc. *1. Phyſ. t. 64.*

Non ergo perperam irrationalis anima conſtituta eſt à nobis priuatio animæ humanæ: quum apertum ſit irrationalem animam ſpeciei humanæ à patre ſpermati communicatam, non ſolam carentiam humanæ animæ ſed ponere aptitudinem in ſemine ſic ad rationalem, & humanam animam ſuſcipiendã, quod non ad aliam: eamq; eſſe obſcuram inchoationem, ac rudimentum animę humanę quam ſat ſuperque oſtendimus conſtitui ex rationali anima, & irrationali. Anima *Lib. 2. c. 4.*

namque intellectiua irrationalem, quam in fœtu reperit, non perimit, nisi quantum ad sui carentiam: sed potius eam perficit, atque complet.

CAP. XXII.

An semen sit corpus organicum, nec ne, & Quomodo anima sit actus corporis organici. Vnde tollitur dubitatio vigesima tertia.

QVod autem præterea proponebatur argumentum omne corpus animatum esse organicum, vtpote anima est actus corporis organici: semen autem non esse organicũ, sed similare, ac propterea inanimatum: tollitur primum negando maiorem cum sui probatione: certum est enim partes nostri corporis homogeneas, cuiusmodi est caro, neruus, os, crystallinus humor in oculo, à quibus per se primo vitæ operationes prodeunt tum vegetales, tum sensitiuæ (nutriuntur siquidem, augenturque Aristoteli per se primo, sentiunt, atque mouentur) esse animatas.

1. de gen. & cor. t. 35.
2. de gen. an. c. 1.

Verum instabis harum partium singulam per se sumptam non esse perfectum animal, quamuis anima polleat: quia hæc in ipsis nullam actionem ederet, nisi toti corpori reliquo essent adiunctæ.

Sed & ego inprimis aio, semen per se sumptum

ptum non esse animal perfectum, licet animam habeat irrationalem, quæ neque in eo vitæ munia exercet, nisi idipsum sit in vtero matris menstruo sanguini, muliebriqúe semini associatum.

Deinde puto partibus similaribus animam etiam competere, prout habent naturam distinctam à toto, seu à cæteris partibus, siue etiam secluſa consideratione totius reliqui corporis; nam & ipsæ quatenus à toto distinguuntur, vitæ operationes edunt: nutriuntur etenim, & augentur per se primo; at vero totum ad illarum nutritionem, & augmentum (non per se primo) nutritur & augetur. Quinimo adde & partes aliquas similares (puta frustum carnis) à toto abiunctas reipsa per aliquod spacium temporis puncturas sentire, motuque contractionis & dilatationis cieri à lædente sensibili ad suaue, non nisi merito illius partis animæ, qua & prius in corpore perficiebantur, in eis remanentis, anima totius diuisa ad partitionem subiecti.

Sed & admissa eiusmodi propositione, ea profecto nobis non aduersatur; verum namque est, omne corpus animatum esse organicum (sed glossa) aut actu, cuiusmodi est Petrus, aut potestate, veluti est semen, quod in vterum proiectum, quæ necessaria sibi sunt,

organa fabricatur: extendere siquidem licet animæ definitionem ad actum primum corporis physici, tum actu organici, tum potestate.

At cur minorem concedo, semen non esse actu etiam heterogeneum, ac dissimilium partium? in eo namque actu sunt quatuor humores, phlegma, sanguis, flaua, nigraque bilis; quorum itidem vnumquodq; in seipso quatuor elementa continet, ignem, aerem, aquam, ac terram; Et quamuis à Galeno, aliisque Medicis, qui sunt artifices sensati, nomen organici pressius sumatur ad significanda illa solum corpora, in quibus sensus non discernit varietatem partium: Philosophus tamen, qui supra sensum sese attollens persæpe sola ratione nititur, nomen organici extendit ad ea etiam corpora, quæ reipsa constituuntur ex partibus dissimilibus, quantum ad materiam, licet istæ sensibus ita conspicuæ non sint: cuiusmodi sunt omnia mista ex elementis; quasi sola elementa, vel etiam fortasse mista imperfecta, nix, grando, & similia (vt quæ parum distant à natura elementi in eis prædominantis) apud Philosophum sint similaria; cætera vero cuncta sint organica.

Auic. 3. 3. d. 5. c. 1.

Adde, quod semen, vltra illud album, tenaxque corpus, spirituosam multam retinet substantiam, cuius merito vel sensui euadit dissi-

dissimilare; quare & capax animæ, vt censuit Aristoteles, inquiens, In semine omnium esse spiritum, qui calor appellatur, continetúrque in spumoso corpore seminis, facitque, vt semina omnium fœcunda sint, atque animata; quæ omnia fusius supra explicata sunt. 2. de gen. an. cap. 3.

Cap. XXIII.

An semen habeat animam actu, an potentia: & quomodo vere dici possit, semen habere animam in potentia. Quare diluitur vigesimæ quartæ ratio.

NEque præterea concedendum est, quod subinde dicebatur, arbitrari Aristotelem, in semine inesse animam potentia, nequaquam in actu; quia quum semini tribuat Aristoteles rationem causæ efficientis; quumque non semel ipse fateatur, omne agens operari, non secundum quod est in potentia, sed quatenus est actu tale, quale potentia est id, quod efficitur; & eo magis, si id agens fuerit aliqua ratione vniuocum, quale semen esse censuit Aristoteles: existimandum est profecto, Aristoteli semen esse actu animatum. 7. Metaph. t. 31.

Amplius, anima, quæ (vt aiunt) ad mentem Aristotelis in potentia semini adscribitur, necessario illi aliquando in actu inerit; nisi

nisi frustra præter Naturæ ordinem, imo contra Naturæ leges, eam potentiam in semine reperiri volunt, quæ nunquam actum suscipiat: si itaque talis potestas actuanda est: ergo semen aliquando actu est animatum, quod nos contendimus. Vlterius, si dicta potentia ad actum reducenda est, id profecto ab aliquo est efficiendum, quod talem, vel similem actum habeat: at nisi sit genitor, qui actu semini animam inserat, quem animæ seminis autorem adinuenire licebit? Si ergo pater est, quod semini animam indit, agens naturale immediatum; quum id tangendo agat: non tangat autem pater amplius genituram statim ac illam in vterum eiacularit; necessario dicendum est, semen ex se actu animam habere, eamque à patre acquisiuisse, dum ab eo effunderetur in vterum.

Quod si alicubi dixit Aristoteles, semen habere animam in potentia, id non est ita interpretandum, vt sermo sit de potentia prima, quam remotam nuncupant, ac essentialem, quæve sui complementum accipit ab actu primo, nimirum ab essentia animæ futuræ, in quam ordinata est, sed bene de potentia secunda, proxima, & accidentali, quæ iuncta actui primo, nempe animæ præsenti, sui perfectionem haurit ab actu animæ secundo; id quod aperte scripsit Aristoteles, inquiens, semen

2. de gen. an. cap. 1.

semen habere animam, & esse potentia, palam est: sed quia posset quis instare, semini perperam adscribi animam in potentia ab eo, qui illi ipsi tribuit rationem causæ effectricis; quum omne efficiens agat secundum quod est actu; respondet, semen ita esse potentia animatum, sicuti Geometra dormiens, potentia Geometra dicitur; quod est dictu, semen habere actum animæ primum, qui dicitur esse in potentia ad secundum; quemadmodum Geometra dormiens habet habitum & scientiam Geometriæ, quæ est in potentia ad contemplari, his notis, *Propius autem & remotius idem à seipso potentia esse potest, vt Geometra dormiens remotius, quam vigilans est, isq; remotius, quam is, qui iam contemplatur:* veluti namque Geometra dormiens non est in potentia essentiali ad contemplandum: habet enim reipsa habitum Geometriæ, quem assimilat alibi Aristoteles actui primo, qui est essentia ipsius animæ: neque est ita in potentia proxima, vt immediate contemplari valeat, necesse est namque ipsum expergefieri: quippe non in indiuisibili constituta est potentia secunda, sed habet aliquam latitudinem: Ita prorsus semen neque est in potentia essentiali, siue remota, ad obeunda munera vitæ: quum reipsa sit animatum, & viuat, quod etiam infra adhuc magis manifestum fiet; 2. de an. t. 9.

fiet; neque sic in potentia proxima dici potest, vt vitæ operationes aut proxime edat, aut immediate edere valeat: in vterum namque eiaculari ipsum oportet, muliebriqúe tum miti blandove calore foueri; tum spermati sanguiniqúe menstruo copulari.

Nihil ergo prohibere potest, quo minus & cum Aristotele dicamus, animam semini inesse in potentia, & ab eodem non dissentientes censeamus, semen esse reuera & actu animatum, siquidem mista esse potest actui potentia: sed hæc fusius in superioribus.

CAP. XXIV.

Quæ forma nihil operans otiosa dici valeat, ac frustra, & quæ non. Quocirca respondetur ad argumentum vigesimum quintum.

ET sane qui cum potentia secunda in semine inest, actus animæ primus, nimirum animæ essentia, in eo prorsum frustra ocioseqúe non permanet; quia euidentes non edat operationes; quod deinceps obiiciebatur: Actus etenim animæ primus in semine facit, vt semen sit semen, ipsum actuando, informando, perficiendoqúe substantialiter, quod in eo solo suapte natura præstare aptus est decenti in loco, opportunoqúe tempore, & in

& in disposítam materiam, puta in vtero, statim ac excrementum fœminæ attigerit, in ipsum disponentem seu apparantem facultatem ad susceptionem animæ, conceptus constitutricem seu procreatricem, in constituto-que conceptu deinde formatricem, altricem, auctricem, motricem, & alias vitæ facultates in actum secundum promoturus.

Neque enim forma terræ degentis in centro frustra esse dicitur, & otiosa (quod tamen colligit aduersa ratio) quia illam terræ partem solummodo actuans, perficiensque essentialiter, nullam in ipsa euidentem operationem edit, veluti nata est, nempe terram illam ad centrum mouere sensibiliter; quod efficere posset nihilo prohibente, si terræ illa portio extra centrum reperiretur. Frustra autem & otiosum illud est apud Aristotelem, non quod aliquando ab omni opere per paruum temporis spacium feriatur, suo tempore mox operaturum, cuiusmodi est semen: sed quod nunquam assequitur finem, cuius gratia est; seu quod nunquam, vel etiam non nisi post longissimum tempus operatur, quod quidem non euenit in semine. 2. Phys. t. 62.

Cap.

CAP. XXV.

Quid sit corpus potentia vitam habens, & vtrum semina & fructus sint corpora, potentia vitam habentia. Et ita soluitur oppositio vigesima sexta.

MAiorem præterea cæteris vim non habet, quod ad euertendam animam seminis afferebatur, argumentum, communem extare omni animæ definitionem Aristotelis, Actus primus corporis physici potentia vitam habentis: cuiusmodi semen esse, & fructus contra nos negare dicebatur Aristoteles: Neque enim proba hæc est interpretatio sententiæ Aristotelicæ, qua quale sit corpus potentia vitam habens, per huiusmodi verba docemur: *Est autem corpus potentia viuens, non quod abiecit animam, eaq; vacat: sed id, quod ipsam habet: semen vero & fructus potentia tale corpus est.* Quibus profecto nil aliud sibi vult Aristoteles, nisi quod corpus potentia vitam habens, cuius in allata animę definitione meminerat, reipsa esse compos animæ credatur. Subditque, Semen vero & fructus tale corpus est potentia (subintellige) vitam habens; quasi affirmatiue determinandam innuens quæstionem celebrem, vtrum semina & fructus de se corpora sint animata: in quo quidem mirare Aristotelis artificiosam breui-

2. *de an. t.* 10.

breuitatem; neque enim dixit, corpus ita potentia vitam habens, quod animam quoque retineat, esse hominem, vel equum; nam de istis nulla est dubitatio, quod animam habeant: sed semen, & fructus, quibus an insit anima, non ita solutu facilis videbatur quæstio: siquidem ex se vitæ opera vel non exercent, vt semen in seipso; vel exercent quidem, sed obscure, vt fructus, qui & ab arbore auulsi, de se matureſcunt, alimentum, quo crudiore scatent, digerendo concoquendoque, eoq; concocto elaboratoue, se nutriendo; quæ omnia sunt vitæ munia. Non enim (quod aliqui obiiciunt) sputria est, quæ in fructibus à planta separatis viget maturatio, alimenti coctio atque nutritio, quasi via quædam in putredinem; quia quum fructus omnes ab arbore auulsi, necessario deniq; putrescant, alii quidem citius, alii vero tardius; non omnes tamen ante putredinem matureſcunt, vt vua, nux auellana, amygdala, & alia id generis multa. Non est ergo maturatio fructuum à stirpe semotorum via in putredinem.

Præterea, nonne & illud quoq; contingit frequentissime, triticum, cæpe, & plæraque alia tum semina, tum fructus, extra humum in aere appensa germinare; quod satis aperte indicat, talem generationem nouæ stirpis ab anima esse, q̄ in eo, q̄ germinat, contineatur?

Sed huiusmodi quæstionis, An semen & fructus animam habeant, nunc obiter solutionem innuens Aristoteles ab isto problemate sic in præsentia breuiter se expedit; quippe in importuno prolixioris huiusce tractationis loco, qui commodior petendus est ex libris de animaliũ generatione, vbi (quod supra ostendimus) apertissime demonstrat Aristoteles, semen esse animatum, quæ illi perpetua est opinio: ergo & fructus: namq; manifestum est, fructus esse vel semina ipsa stirpium, vt nux auellana, glans, castanea, & alia huiusmodi; vel quid ex carne & semine constitutum, vt pomum, ficus, persicus, & similia; quum, inquam, late pateat ex superioribus, & de mente Aristotelis, semina tum in generante existentia, tum ab eo seiuncta, esse animata: necessario dicendum est, etiam apud Aristot. fructus simili modo & arbori adhærentes, & ab arbore separatos, esse animatos.

Amplius, dato, sed non concesso, loco allegato Aristotelem negare, semen & fructus esse corpora potentia vitam habentia, cuiusmodi ea esse debent, quæ animata dicuntur ex allata definitione animæ; non est plane magnifaciendum argumentum ductum à tali loco, in quo de anima non serio exacteve, sed rudi pinguique Minerua se philosophatum 2. *de an. t.* 11. mox admonet Aristoteles.

Pra

Præterea, nullibi absolute dixit Aristoteles, commune esse omni animæ, vt sit actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis; sed conditionaliter, & ex suppositione sic: *Si igitur commune quid de omni anima sit dicendum, ipsa perfectio prima, primusq; actus est corporis physici instrumentalis*; cuiusmodi nusquam negauit Aristoteles, esse semina & fructus; non *potentia vitam habentis:* cuius etiamsi prius dixerat, animam esse actum, id tamen non de omni anima vniuersaliter protulerat, sed de anima indefinite, hoc est, vel de quadam anima, vel de anima in quodã tempore. 2. de an t. 7.

Vlterius, quum manifestum sit, Aristotelem ab initio secundi libri de anima tractatum ex proprio Marte aggressum inprimis diuidere substantiam in materiam, formam, & ex his compositum corpus naturale; quod in non viuens diuidit, & in viuens: per vitam interim intelligendo nutritionem ex se, auctionem decretionemque: probareq; deinceps corporis huiusce viuentis, quod supponit ex anima & corpore conflatum, materiam, quæ corpus est, vtpote subiectum perfectibile potius, quam perficiens, quod munus est animæ, non esse animam: indeq; colligere, animam esse formam, actumque primum eiuscemodi corporis, quod physicum appellat instrumentale, ac potestate viuens:

quis ambigat, eo in loco Aristotelem non de quacunque anima sermonem habere (cœlestes enim præterit, quibus non ita potentia viuens corpus subiicitur, vt ex se nutriatur augeaturve, aut imminuatur) verum de illa tantummodo anima, quæ vel actu exercet, vel immediate potest exercere opera vitæ in corpus sibi subiectum? Idipsum sane ex eo etiam ordine patet, quem sibi proposuerat Aristo-
1. de an. t. 10. teles tractaturus de anima ab obiectis ad operationes, ab actionibus ad potentias, atque ad animæ ipsius essentiam.

Manifestum est igitur, ex his corpus illud in animæ definitione positum, ideo potentia vitam habens appellari; quia anima, cui subest, si consideretur in actu primo, est in potentia proxima, & immediata ad vitæ operationes obeundas: quemadmodum Geometra vigilans ad contemplandum. Quum ergo semen tale corpus non sit, in quo anima existens in actu primo, immediate vitæ munia exercere valeat, quod paulo ante obseruabamus: sed veluti Geometra dormiens expergefieri primum oporteat, antequam quidquam operetur; non temere in citato loco
2. de an. t. 10. scribere potuit Aristoteles, semen non esse corpus potentia vitam habens, sed (quod subiungere videtur) potentia tale corpus, vtpote in potentia ad vltimam potestatem imme-

mmediate exercendi operationes vitæ, quaes sunt præparatio materiæ ad animam, constitutio conceptus, efformatio partium fœtui necessariarum, nutritio, auctio, & aliæ mulæ, quas edere quidem potest anima seminis, non immediate in purum semen, sed in Emryonem, qui in vtero ex menstruo sanguine, ac semine tum virili, tum fœmineo constituitur.

Quæ sane responsio, licet soluat obiectum nodum de semine, non videtur tamen exacte ollere scrupulum de fructibus, quos ibidem, perinde ac semen (vt aiunt) negat Aristoteles habere potentia vitam; quosque nos ex aduerso monstrauimus, ex se immediate exercere officia vitæ, dum separati ab arbore uccum, quo affluunt crudiore, innato sibi alore concoquunt, coctumque illum in sui ubstantiam conuertunt, sese nutriendo, ac natureſcendo. Sed quod vltima hæc non efficit responsio allata ex abundanti, superiores apprime præstabunt.

Cap. XXVI.

Cur si semen est pars animalis, idq; animatum parte illius animæ, quæ est forma totius animalis: semine eiaculato & animal ipsum, & eius anima non mutiletur. Ex quo satisfit dubitationi vigesimæ septimæ.

QVod denique obiiciebatur argumentum, omne totum mutilari, vbi contingat, aliquam sui partem à cæteris separari; ac propterea si & semen est pars totius animalis, & anima seminis à genitore nondum separati est portio animæ, quæ est forma totius animalis: fore vt animal post effusionem seminis mutilatum remaneat, & quoad corpus, & quoad animam, cuius vtriusque partem amisit in semine: tenue est admodum: Quoniam duplex est genus partium; aliæ namque sunt partes integrãtes, & istæ sunt vere ac proprie partes, ad quarum deperditionem totum ipsum mutilari necesse est: aliæ vero sunt partes perficientes, vt ita dicam, in homine integrantes, sunt caput, brachia, pedes: in planta vero radix, rami, truncus: perficientes sunt folia, flores, fructus, semina in stirpibus: pili, lac, semen in animalibus: Quum ergo mutilatio sit passio totius integralis, vt tale est: ideo fit, vt si ab animali separetur semen, quod est pars illius perficiens, ceu fructus, non integralis: haudquaquam propterea corpus animalis mutiletur, nec eius anima, sicuti neque corpus, neq; anima plantæ mutilatur, à qua tolluntur fructus.

Amplius, quod pertinet ad animam speciatim, dum mas in coitu semen emittit, quia quæ in semine remanet, non est proprie pars

eius

eius animæ, quæ præexistebat in masculo, licet semen, antequam effunderetur, gauderet pro sui forma parte animæ totius animalis, & hanc ipsam retineat à generante seiunctum: nam anima patris; quæ vna est, in effusione seminis multiplicatur, ac fiunt duæ: quare quæ prius erat in semine, vt pars, in eo remanet vt anima integra: & ideo in emissione seminis vna cum semine potius dicendum est, animam patris vnam fieri duas integras, quam amittere vnam sui partem: & propterea non mutilatur: mancum est enim id, cui pars deest, non quod multiplicatur ac generat.

Atque hæc satis sint pro solutione earum difficultatum, quæ nobis in mentem venerunt, magis arduę contra ea, quæ de ortu animæ humanæ quomodocunque disputauimus in libris superioribus: nam leuioribus dubitationibus quæ præterea adduci possent, ex hactenus iactis fundamentis facile occurrere posse arbitror.

Si quæ autem in posterum à doctioribus viris contra nos hac in re vrgentiora proponentur argumenta, iis pro tempore satisfacere conabimur.

CAPVT VLTIMVM.

Conclusio totius operis, & excusatio autoris.

EX traditis ergo liquido constare potest, animam humanam, quantum ad sui partes ratione carentes, vegetalem, inquam, & sensitricem, prodire omnino à patre mediante semine; nimirum anima patris penes partem vegetalem ac sentientem diuisa in coitu ad partitionem subiecti, multiplicataque, & in semine eiaculato permanente: ipsaque eadem numero semini, sanguinique fœmineo communicata nona die circiter à coitu, quo tempore fit conceptio: At quantum ad partem rationalem proxime à Deo Optimo eodem instanti creari, & infundi corpori organizato non ante quadragesimam diem à conceptione. Quæ omnia mihi à principio proposita fuerant disquirenda.

In antehabitis si quid boni est, hoc ipsum ab eo acceptum referatur summo bono, à quo cuncta prodeunt bona; sin autem quid à vero, aut à S.R.E. alienum dictum est, illud omne ingenii mei tenuitati ascribatur, ac pro non dicto habeatur. Hæc enim ita se habere, nunc opinamur: quod si alias melius occurret dicendum, aliter simus dicturi.

FINIS.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS RERVM NOTABILIVM LOCVPLETISS.

Abortus quid & quando fiat. Pag. 10.97. 159. 367

Absurdum est si quid statim ac genitum est corrumpatur 308. 364

Ab vno agente in vna actione nil nisi vnum fieri 339. 140

accidens non posse generare animã 161

accidentia non migrant de vno in alterum subiectum 310

accidentia in ortu animali triplicis generis 129

accidentia omnia in ortu animali non pendent ab eadem causa 130

accidẽtia quæ à forma, quæ à materia prodeant seorsum, & quæ à forma vt in hac materia est ibid.

actio debetur potius agenti primario, quam instrumento 259

actio vbiq; proportione respondet essentiæ 326

actio sensus quo differat ab actione mentis 242

actio voluntatis imperantis mẽti vt contẽpletur diuersa est ab actione mentis contẽplantis ad imperium voluntatis 407

actio elementorũ ex Fernelio q̃ 58

actio ꝓportione respõdet essẽti. 299

actiones depẽdẽt ab anima vtente corpore tanquã instrumento 58

actiones sunt compositorum non materiæ, non formæ 79

actiones humanas esse multiplices ac diuersi generis 326

actiones corporales quomodo se habeãt ad organũ corporeum 405

actiones, q̃ cum organo corporeo fiunt, temporariæ sunt 404 (329

actus est qui separat, & distinguit

actus in quauis anima duo sunt 235. 263 (263. 268

actus primus quid sit 235. 241.

actus primus necessario mediat inter potentiam primam & actum secundum 241

actus primus vel est potẽtia secũda, vel eius fundamentũ ibid

actus secundus quid sit 236. 240. 264. 268

Actus secundus, à quo efficiente immediate prodeat, 237.251
Actus secundus cur non positus in definitione animæ 264
Actus primus ac secundus tum diuisim, tum coniunctim possunt corpori communicari 264
Actus, & res in actu differunt 239
Actuum quot genera 267
Actus proprium est perficere, atq; complere 409
Actus intrinsecus materiam perficientes duplicis generis 262
Ad hoc vt aliquid aut generetur, aut vere corrumpatur quid sufficiat 331
Aer quanto atteritur, tanto acquirit igneam naturam 74
Ætas consistentiæ quando incipiat 196
Agens corporeum ac mortale tangendo mouet, & suos effectus producit ex materia 340.369
Agens idem est à quo & disponitur materia, & oritur forma 62
Agens cui per se primo competit ratio causæ efficientis 157
Agens quod producit ens ex nihilo debet habere virtutem immensam 369
Agens non impeditum, appropinquatum passo bene disposito nõ potest non operari 128.295
Agens principale quid 226.229
Agens principale simul esse debet cum instrumento operante 158
Agens principale, & instrumentũ quomodo cognosci possit in omni actione 258
Agens omne agit quatenus est actu, non quatenus est potentia 164.241.244.459.461.
Agens debile non exundat in superfluis 355
Agens immediatũ tangendo mouet 356
Agentis munus quodnam sit 348
Agens naturale vniuocum tale est actu, quale potentia est id, quod generatur 348.351
Agens idem eodem modo affectũ idẽ necessario producit & quomodo non 70. & 71
Agentia quorum naturalissimũ est generare sibi simile, quæ sint apud Arist. 23
Agenti physico quomodo naturalissimum est generare sibi simile 130. & 131
Agentia vniuoca quæ sint 157
Agentia vniuoca cur non possunt esse causæ instrumentales ibid.
Agentia diuersa, quæ in eadem operatione possunt idem omnino præstare & quæ non 76. & 771
Agentia proportionata suæ naturæ debent edere operationes 76
Agẽtia vnde habeant vim agendi 346

Agentium Deus solus habere potest virtutem infinitam 369
Agentia cætera infrà Deum cur omnia sint finiti vigoris 370
Agentia incorporea possunt agere sine materia 340
Agentium physicorum naturalissimum est generare sibi simile in specie 68
Agere & esse in eodem multum differunt 244
Albæ partes in nobis an solum differant secundum magis, & minus 321
Alimentum quod ore sugit fœtus in vtero 248
Alimento quo pacto alatur Embryon in vtero 152
Alimentum quam coctionem necessario subire debet in eo quod nutritur ibid.
Alimentum quod trahit Embryō per os dissimilis est naturæ ab eo quod haurit per vmbilicum 389
Alimentum antequam nutriat quot, quasq; subeat mutationes 166. & 167
Alteratio quid 413
Anguilla nec mas est, nec fœmina 298
Anima non est caussa materialis 200
Animam esse compositam substãtiam 198
anima quid sit 89. 384. 420. 422
anima est actus corporis organici 384
animæ definitionem quo methodo venatur Aristot. 424
animam esse actum corporis tum actu organici tum etiam potestate 458
animam non esse actum corporis organici absolute 456 457
anima non est nisi in eo, cuius est forma essentialis 160
anima in quouis corpore est, in eo est vt forma 348. 419
animæ quo medio vniatur corpori 84. 379. 4 6. 425
anima omnis quo vinculo vnitur corpori elementari Fernelio 60
anima cur non ante corpus extiterit 302. 303. 307
anima non habet vllum corpus nisi elementare 305
animæ essentia vna est diuersis naturis constituta 399
anima quæ est actus corporis organici illi coextenditur Pomp. 94
anima non se habet ad corpus, vt artifex ad instrumentum 79
anima quomodo se habet ad corpus ibi.
anima an corpus sit prius 422
anima corpus non est, neq; materia, licet in opere quoquopacto

materia vtatur 24
Anima quomodo est mediæ naturæ inter formas naturales, & supernaturales 102. & 103
Anima inexistens multis partibus illis inest dimensionaliter, 94
Anima ea quicunque viuit, qua quisq; nutritur 142
Anima eadem quemq; viuere, ac nutriri, qua quisq; sibi ad nutritionem alimentum concoquit quomodo verum sit 152
Anima vna est numero in quouis animato 143. & 144
Anima præexistens in animali quomodo in augmento se se cõmunicet materiæ adiunctæ ex alimentis ibid.
Anima non agit vtens corpore: sed animatum est quod agit vtens anima 79
Anima eadem numero in viuente permanet ab ortu vsq; ad interitum 92
Anima an eadem sit in semine, & genito ex eo: an diuersa 438. & sequentib.
Animarum omnia plena Arist. 284
Animæ corpori tribuentes solum actum primum, quæ 264
Animæ corpori actum primum, & secundum tribuentes quæ ibid.
Animæ & luminis comparatio 339. 374
Anima cuius actio non sit sine organo corporeo est à corpore inseparabilis 325. 271
Anima non migrat de vno in alterum subiectum 300
Animæ humanæ, & lucis proportio 205. 374
Animæ humanæ definitio 237
Animæ nostræ multiplex est tum potentia, tum actio 198
Anima humana est forma informans 288
Anima humana est forma informans iuxta oës sui partes 106
Anima humana an sit diuisibilis, & extensa corpori 289
Anima humana vt totum quid coextensa est corpori 108
Anima humana qua ratione sit extensa corpori, seu quanta, diuisibilis, augmentabilis, & diminuibilis, & qua non 103. 104. 105. 106. 144
Anima humana qua ex parte sit Deo similis 105. & 106
Anima humana cur tota non sit in vna sola parte corporis 94
Anima humana quomodo est augumentabilis, & diminuibilis 91
Anima humana est corpori extensa, & quanta per accidens 88

Ani-

Anima humana ex quibus sit cõposita 14. 373
Anima humana non est simplex 23. 207
Anima humana quomodo componatur in generatione hominis ex vegetali, sensitrice, & rationali 204. 205. 206. 207. 208. 329. 428
Animæ humanæ substantiam totam non ab vno & eodem agente prodire 340
Animæ partes essentiales quot, quæq; sint Arist. 317. 339
Animæ humanæ partes quæ 96. 128
Animam humanam nõ esse simplicem substantiam sed actum essentialiter compositum ex anima vegetale, sentiente, & rationali 324. & multis sequent.
Animæ humanæ partes quomodo materiei vniantur 333
Anima humana cur nuncupetur rationalis, Intellectiua, & Mẽs 429
Anima hominis cur mediæ naturæ 276
Animæ humanæ pars irrationalis ex quib. partibus constituatur 341
Animæ ratione carentes in venere separantur ab anima rationali 432
Animæ humanæ pars irrationalis Ficin. vnde oriatur 42. 43
Animæ humanæ pars irrationalis Plutar. à natura est 34
Animæ humanæ pars irrationalis Arist. germinat ex carne & penitus in corpore demersa est ibid.
Animæ portio ratione carens vnde quomodo, & quando insit conceptui 63. 341. 363. & seq.
Animæ humanæ pars irrationalis caduca est, corporea, & materialis & quomodo 46. & 47
Animæ human. pars irrationalis similior est parentibus, quam superis 47
Anim. nostræ pars irrationalis an sit diuisibilis ad partitionem subiecti 424. 425
Animæ human. pars irrationalis quomodo à Deo pendeat 46
Animæ human pars irrationalis cur debeat parere rationi 34
Animæ human. pars irrationalis non potest simul perfici duobus intellectibus 149
Animæ human pars irrationalis cur permaneat in semine eiaculato, non autem in quauis alia parte a corpore seiuncta 433 & seq.
Animæ human. pars sentiens specie differt ab anima omnium aliorum animalium 111. & 112
Animæ human. pars sensualis quomodo corpori vniatur 104. & 109

Anima humana pars vegetalis differt specie ab anima cuiusq; alterius animati 111. & 112
anima pars rationalis aduersatur animæ affectuosæ 198
anima humanæ pars rationalis ad sensualem, & hæc ad vegetalem se habet tanquam forma ad materiam 397 428
anima rationalis sola nullo modo habet partem extra partem 429
anima rationalis cur dissimilior ab anima rationis experte, quã sentiens à vegetali ibid.
anima quomodo seipsam intelligat 223
anima rationalis est qua fœtus fit homo 96. 209
anima rationalis quando corpori infundatur 250
anima rationalis à materia non pendet neq; in operari tanquã ab instrumeto, neq; in esse 183. 368
anima rationalis absoluta à corporeo commercio 25
anima rationalis huc tanquam peregrina, & exul profecta est aliunde Emped. 32. 44
anima rationalis non est ab agente corporeo & elementari. Emped. 44
anima rationalis vnde & quomodo oriatur Plat. 30. 31. 33. & 72
anima rationalis quomodo communicet cum vegetali, & sentiente in agendo, & quomodo non 309
anima rationalis denegatur brutis 209
animam rationalem qua ratione probet Aristoteles esse ingenitã 300
animæ rationalis actiones non fiunt in vtero 187 193
anima rationalis adueniens fœtui habenti sensualem eamq; retinenti, an adueniat enti in actu 409
anima rationalis non à parentib. sed à superis 97
anima rationalis cur independens à cœlo 71. 279
animæ rationalis actiones quæ cœlo reluctentur 72
anima rationalis vnde oriatur 298. 307
anima rationalis vnde, quomodo, & quando oriatur 368. & sequentib.
animæ rationalis origo, & corpori associatio 7. 12 15
anima rationalis à quibus corpori associetur, & quomodo Plat. 31
anima rationalis cui corpori vniatur, & quomodo 24. 108. 109. 372 373. 427
animæ rationalis est immortalis 98. 331. 339 *ani-*

animi vis veritatis est amans, & eius gratia cuncta peragit 302
anima rationalis quomodo se habeat in morte hominis 195
anima pueri est veluti tabella rasa, in qua nullus est habitus artis, aut prudentiæ, sed solum semina, vestigia, & propensiones ad ipsos 253
anima rationalis cur non præexistat ante corpus 371
anima rationalis an dici possit sétiens, ac vegetalis 13. & 14
animæ rationali melius est esse solutam à corpore 371
anima rationalis cur sola fœtui extrinsecus accedat 183
anima rationalis attributa, & proprietates 339.427
anima rationalis quando in fœtū recipiatur 183
anima rationalis cur ab Aristotele dicta nullius corporis actus 264
anima rationalis permanet post-mortem hominis Aristotelis 304
anima rationalis in morte separatur ab animabus ratione carentibus, quæ corrūpuntur 432
anima rationalis in homine separatur à cæteris tanquam æternum à corruptibili ibid.
anima rationalis etiam non operans, seu in actu primo hominē constituit subiectum illud, in quo est 183
anima rationalis nobis accessit ignara, omnisq; cognitionis expers 303
animam rationalem extensam in omnes corporis partes ait Pop. 87.94
anima rationalis est omnino indiuisibilis, per se non quanta, vt punctus 54
anima rationalis cur non generet sibi simile 308
anima immortalis solam habet totalitatem essentiæ 430
animæ rationalis origo cur dissimilis ab origine aliarum 69. & 70
anima irrationalis via originis est prior rationali 338.341
anima fœminæ est eiusdem specie cum anima masculi 295
anima seminis quomodo oriatur ab anima parentis 442
anima seminis quomodo sit adūbratio futuri viuentis 170
animæ actus primus in semine quid faciat 462
anima sensualis est qua fœtus sit animal 96.209
animæ sensualis essentia in actu primo nil operans constituit in esse animal subiectum in quo est 183
anima sensitiua in homine nihil agit nisi gubernata, & adiuta ab intellectu 398

Anima sentiens non operatur sine corporeo instrumento 183. 299. 358
Anima sensualis quando in conceptum recipitur 183
Animam sensualem non oriri à Diis iuniorib. siue à cœlis 35
Anima sentiens fœtui ineſt à parentib. 212. 298. 307
Anima sensualis cur non post vegetalem, sed simul cum ea in conceptum recipiatur 310
Anima sensualis cur in fœtu recipiatur Arist. post vegetalem, & rationalis post sensualem 209. 210
Anima sentiens denegatur plantis 209
Animam in formatione fœtus nõ regi ab intelligentia non errãre 353. 354
Anima sensitrix cur similis arti, & intellectui 113
anima sensitrix est ad subiecti corporis diuisionem partibilis & multiplicabilis 87
anima sentiens in cauda entomi precisa eiusdem speciei est cum ea, quæ in reliquo insecti corpore ibid.
anima sensualis à Diis iunioribus siue cœlis cur nequeat oriri 35
anima sentiens est essentiale complementum vegetalis 428
anima sensualis in quo conueniat cum intellectu, & cum formis, quæ non sunt animæ 426
anima sensualis oritur à parentibus ceu ab agente primario, nõ instrumentali 28
anima sentiens vnde fœtui insit Arist. 61
anima sensualis à quo producatur 296
anima sensualis quomodo semini insit ex Arist. 291
anima sensualis fœtui à patre inditur 183
anima sensitiua cur pars animæ appelletur 209
anima sensualis est materialis, & coruptibilis 28. 29. 35
animæ irrationalis proprietates 339
anima sensitrix est vegetali posterior 210
animæ ratione carentes duplicem habent totalitatem, essentiæ nimirum, & dimensionis 430
anima rationis expers non solum in imperfectis, sed in omnibus est diuisibilis, coextensa corpori & caduca 427
animæ pars irrationalis quomodo vniatur subiecto 426
anima vegetalis, & sensualis actio quæuis fit ope organi corporalis 272
animæ vegetalis officia quot, quæque sint 267 *ani-*

anima vegetalis in nobis nihil agit nisi gubernata à sentiente 397
anima vegetalis in generatione hominis est subordinata (vt rudimentum ad complementum) ad sensitiuam, & hac ad rationalem Arist. 204
anima vegetalis cur non oriatur à superis 35
anima vegetalis quomodo Arist. sit in semine & conceptu, potetia non actu 269
anima vegetalis est materialis corruptibilis 28.35
anima vegetalis cur prima omnium in conceptu 209
anima vegetalis actiones corporeæ sunt 183
anima vegetalis operatio potior, quæ 169.190
anima vegetalis actiones non absolute præcedere sensitiuis, & rationalibus 187.190
anima vegetalis in quo conueniat cum formis inanimatis, & cũ animabus cognoscentibus 426
anima vegetalis oritur à parentibus; tanquam ab agente primario non instrumentali 28
anima vegetalis fœtui à matre est Arist. 183
anima vegetalis ad subiecti diuisionem partitur in multas eiusdem speciei 87
anima vegetalis quomodo corpori vniatur 104.109
anima vegetalis cur omnium aliarum communissima 209
anima vegetalis cur non insit fœtui à matre 283
anima nutriens in fœtu permanet exoriente sensitiua. Auer. & Them. 336
anima vegetalis in semine est, & in conceptu 210
anima vegetalis est magis immersa in materia, quam sensualis 271
anima vegetalis definitio 210
anima vegetalis cur caterarum imperfectissima 209
anima vegetalis sola inter alias cognitione vacat ibi.
anima vegetalis cur Arist. est principiũ vitale, & principiũ animalis 262 288
animal quo per se primo cõstituatur inesse 421
animal quomodo per se primo augeatur, ac nutriatur 420
animal mortuum dici nequit vbi vna tantũ eius pars viuat 148
animal quoduis dum generatur Ari vegetale prius anima corrititur, posteriore tepore sensualẽ postremo illam, qua mediante in propria specie determinatur 210
animal quo differat à plantis; &

quo cum eis communicet 295. 296
Animalis partes, quæ non possunt esse sine anima sensuali 11
Animalis corpus ex fœmina est, anima vero ex mare 35
Animalia quæq; in vtero circumdantur membranis 376.385
Animalia cum diuerso genere coeunntia 139
Animalia in aere quomodo generentur 284
Animalia pluere posse ibi.
Animalia gigni in tribus elementis inferioribus 274.284
Animalia à quo moueantur 238
Animal non gigni ab vllo elemento, sed bene in vnoquoq; elemẽto infra ignem 286
Animalis omnem perfectionem non consistere in sola participatione animæ 448
Animalis partes quæ anima pollent 143
Animalia distinctum sexum non habentia 297
Animalium genera naturæ insecutia quæ 139
Animalia quomodo crescunt 7.8. 16
Animata ex putredine genita à quo efficiente formam sortiantur Fern. 56
Animata omnia suas formas è cœlo hauriunt Fern. ibid.
Animatorũ differentiæ vnde sint desumendæ 329
Animati partes ex se animã habere 410
Animatum quomodo generetur ex parentibus diuersarum specierum 131. & 132
Animatum est necessario animæ vegetali quod vegetales edit operationes 210
Animatum non simul corrumpitur vt viuens, & vt mistum 8
Animatum à nemine quiã à Deiexi posse quomodo intelligendum sit 37. & 3
Appetimus nihil ignotum 401
Appetitus irrationalis actio, & vsus 40.
Appetitus rationalis quid, & quas habeat actiones ibid.
Appetitus, seu voluntas nõ est neque sufficiens, neq; necessaria ad dirigendum intellectum ad speculandum potius hoc intelligibile quam illud 401
Appetitus actio præsupponit actionem Mentis 40
Apoplexia quomodo mortem inferat 39
Apoplexia cur tollat actiones sensuales, & vegetales ibid.
Arbores in quo solo non faciant fructus 360.36
Aris. in libris de anima cur nõ exquisite egerit de actione ment. qu

qua mens non vtitur corpore 278
Aristoteles de Ortu Animæ humanæ, vbi egerit accurate, & exprofesso. 174
Arist tex. 24 12. meta. explicatur 64. 65. & 66
Aristotel. omne ingenitum est incorruptibile, & viciſsim 409
Arteriarum vſus in animali 142. 153
Artifex cur operi ſuo non impertiat formam idealem, qua habet in mente, ſed ea mediante aliam ſimilem 172
Aſſimilatio quid 366
Attila Hunnorum Rex genitus creditur ex muliere & cane 118
Auctio cui per ſe primo competat 420
Auctio, & nutritio eſt actio animatorum 296
Augmentabile idem permanet à principio quo incipit augeri vſque ad finem 196
Augmentum Embryonis an ſit per nutritionem, an per iuxtapoſitionem 16. & 17
Augumentum viuentium quale 16
Augumentum inanimatorũ quale ibid.
Augmentabile quatenus tale eſt, eatenus eſt quantum 91
Augmenti quot genera 16
Augmentabile augeri debet ſecũdum omnes ſui particulas etiã minimas 9
Auicen opinio de ortu animæ humanæ 23. & 24
Aues quibus partus conſiſtit ſine coitu 119. 134
Aues quædam cur à partu non incubent ouis 136

B

BA ſyllaba non eſt b. & a. ſed quid tertium 380
Bonũm qua tale eſt communicabile 260 336
Brutorum plurium anima quomodo habet veſtigia morum animi humani 251

C

CAdauerus moles tanta quanta viuentis 305
Cadauer an vere habeat carnem oſſa, neruos, nec ne 423
Cadauera quot modis, & qua ratione ſeruentur imputria 87
Cadauera calidiorum animalium cur tardius cæteris putreſcant ibid.
Calor eſt qualitas corporea 299
Calor à motu oriens 124
Calor competit viuenti quatenus eſt miſtum 84
Calor idem re eſt in viuente, & in cadauere ibid.

Calor in temperamento est id instrumentum, cui per se primo debentur omnes actiones animæ 82
Calor in temperamento est quod continet simul vnitas reliquas qualitates 83.84
Calor in vno quoq; viuente est vnius generis 416
Calidiora corpora copiosioris indigent alimenti 249
Calorem innatum non esse simplicem, nec ab vno tantũ principio prodire 417
Calor natiuus non est ab anima 192
Calor natiuus est in corpore antè animam ab elementis 192.233
Calor innatus est ab elementis, nõ cœlestis 82
Calor natiuus prius est opere virtutis formatricis 192
Calor innatus est principium vitæ 83
Calor noster innatus quid reuera sit 82
Calor innatus cur nõ permaneat in cadauere, in quo tamen permanent elementa, & ex his orta temperies 83
Calor natiuus cur dicitur primũ animæ instrumentum, & vinculũ illam corpori alligans ibi.
Calor innatus quomodo non est ignis, nec ortum ducens ab igne 86.287
Caloris munus est rarefacere ac dilatare 124
Calor naturalis & spiritus cur nõ ab elementis, sed à cœlo sit Fer. 60
Calor insitus cõsistit in certo gradu 83
Calor Solis quorum animalium sit agens proximum, & quorũ remotum 286
Canes orti à matre diuersi generis 135
Canes multoties cur quos primo enixu peperierunt crudeliter interimant 137
Capita obtruncata qua ratione loqui possint 414
Caussarum summa genera in omni generatione sunt quatuor diuersa apud Arist. 64
Caussa eade & simplex non semper facit vnum, ac simplicem effectum 417
Caussæ secundæ nõ mouentur, nisi motæ a prima 37
Caussæ immediatè tangendo agunt 66
Caussa nulla producit effectum sui ipsa priorem, communiorem, & simpliciorem 370
Caussa & effectus ad inuicẽ semper sibi mutua proportione respondent ibid
Caussæ instrumentales & adiutrices referuntur ad genus caussæ

ſæ efficientis 345
Cauſſa efficiens vnde proxime oriuntur, quæ fiũt ex putri materia imperfectior eſt agẽtibus quæ vtuntur ſemine ad prolẽ 74
Cauſſæ ſecundæ cur generant ſibi ſimile 42
Cauſſæ ſecũdæ ſunt id ex quo proxime oritur effectus 37
Cauſſæ ſublunares Fer. formam non generant, ſed materiam præparant 48 *& ſequent.*
Cauſſa minus perfecta non generat effectum ſe ipſa digniorem 33
Cauſſæ, in quas referendæ ſunt generationes rerum, quæ 41 44
Cauſſa remota quomodo ſe habeat ad proximam 42.43
Cauſſæ noſtrates tribuunt formas ſuis effectibus gubernatæ à ſuperis 76
Cauſſarũ cum effectib. ſimilitudo in quibus ſit neceſſaria 28
Cauſſa prima cum vltima non coit ſine mediis ad generandũ effectum 32.44
Cauſſæ efficientis, ac generantis munus eſt educere de ſinu ſubiectæ materiæ formam eius, q̃ efficitur ad actũ exiſtendi 35
Cauſſæ mediæ inter Deum & parentem in generatione hominis enumerantur, quomodo & quæ 46
Cauſſæ mediæ inter Deum & hominem in generatione hominis quæ ſint Plat. 32
Cholcodea non eſt agens naturale licet agat phyſice 29
Cholcodea Auicen. quid 23
Coagulum permanere in lacte 316
Coaguli, & ſeminis analogia 291
Coctio in homine quotuplex quæque ſit 18
Coctio in homine cur triplex ibid.
Coctio prima quo artificio celebretur ibid.
Coctio ſecunda qnomodo fiat 19
Coctio tertia cur ſola, quomodo, & quando vigeat in Embryone 20.152
Coctio tertia cur ſola vigeat in plantis 20
Coctionis tertiæ magiſterium 19
Coctio quæuis quot quæq; membra expoſtulet 18.20
Coctio quando debeat multiplicari 18
Cœli ſubſtantia & motus cur neceſſarius 81
Cœli vires cur ſint agentia phyſica 68
Cœlorum vires quibus vehiculis ad nos vehantur ex Fernel. 53
Cœli forma quomodo inferiorum

omnium formas in se complectatur & ex se generet Fernel. 54
Cœleste animal quid 331
Cœlestia viuentia cur non generet sibi simile 308
Cœlum est cauſſa remota & vniuersalis ſublunarium 257
Cœlum est hominis cauſſa aquinoca 259
Cœlestia corpora quibus mediantibus agant in hæc inferiora, 66
Cœlum nullius alterius opificis interuentu generat animalia & stirpes Fer. 53
Cœlum quomodo sit cauſſa omnium generabilium 80
Cœlum cur cauſſa omnium rerũ Fern. 58.59
Cœlum est tantum cauſſa remota hominis 77
Cœlorum vires quomodo rebus hisce formas impertiunt Fern. 53
Cœlum est expers omnium qualitatum 74
Cœlum quomodo sit inanimatũ & homine imperfectius 77
Cognoscimus multa prater volũtatem 406
Comparatio est opus facultatis cognitricis, vt cognoscens est 225
Composita vnde habeant sui nobilitatem 77
Compoſitum est id quod propriiſſime generari dicitur 56.75
Compoſitum non est vt cumulus, sed vt syllaba Ba 380
Conditiones materiæ, seu indiuiduales in phantaſmate 224
Conceptus quomodo, & quota die à coitu fiat 9.10.15 8.365. & sequent.
Conceptus eorum, qui nascuntur septimo mense, & eorum qui nono, aut decimo, quando fiat sigillatim 158
Conceptus facti indicium ibid.
Conceptus quando ineptus ad animam rationalem 8
Conceptus quando informis ibid.
Conceptus quando primum organizatus 11
Conceptus septem dierum quas partes habeat Hip. 10
Conceptus viginti septem dierum quas partes habeat efformatas ibid.
Conceptus animalium cur viuãt nihilominus quam stirpes 208
Conceptus triginta sex dierũ qua membra habeat 10
Conceptus nondum separatus Ariſt. quid 244 186
Conceptus an habeat animam, & augeatur, & quomodo 7.8
Conceptus animalium est animatus

tus 9
Conceptus vnde sortiatur vitam & animam 122
Conceptus in vtero quomodo viuant 267
Conceptus statim ac est, nutritur, & augetur indies vsq; ad senectutem 196
Conceptus quomodo primum viuit vitam planta, deinde animalis, tandem hominis 186. 190
Conceptus ortus qua tria habet necessario 129
Conceptus in vtero ante aduentū mentis differt ab omni planta, & animali bruto, & quomodo dispositus homo 111
Conceptus quam animam à Deo sortitur 8
Conceptus quando sola tertia coctione gaudeat, & quomodo 21
Cōceptui materia precipue à matre, forma vero est à patre 131
Conceptus mentis eadem de re iidem apud omnes 265
Coordinatio vbi abest, ibi non est primum medium, aut vltimū 46
Cor vltimum moritur omnium membrorum 148
Corpus circumscribitur loco determinato sua magnitudini 315
Corpus omne imminuitur vbi ab eo corpus detrahatur 305
Corpora non sese penetrare ibid.
Corpus praeter cœleste, & elementare nullum aliud esse in mundo 306
Corporum mundanorum omniū sigillatim locus, & motus naturalis ibid.
Corpus menti est potius impedimento, quā adiumento ad intelligendum 303
Corpus mobile quomodo sit in actu, & in potentia 410
Corpus non potest moueri, aut agere in instanti 404
Corpus nostrum vbi, & ex quibus proxime constituatur 42
Corpus nostrum vnde originem habet Plat. 30
Corpus nostrum non est immediate ex elementis 44
Corpus viuens compositum esse ex anima & corpore 467
Corpus potentia vitā habens quid sit 464
Corpus corpori coextendi nequit 104
Corruptio physica quid 310
Corruptio animati, vt mistū est, dicitur putredo 39
Corruptio animati, vt viuens est, dicitur mors ibid.
Corruptiones mulieribus quando accidant 97

Creatio quid 369.412
Cutis quomodo oriatur Arist.294

D.

Dans formam dat etiam cõsequentia formam 237
Dans formam conceptui, quæ illi accidentia tribuat 130
Dans materiam quæ item accidentia conferat ibid.
Deum cur velet Arist. in physiologia nomine cœli, ac Solis 279
Deus vbi habeat sui sedem ac Thronum Arist. 38.40.229
Deus qua ratione sit vbiq; 330
Deus non generat hominem educendo eius formã de sinu materiæ 342
Deus quorũ sit caussa immediata Plat. 31
Deus physice agit, sed non est agẽs physicum 23
Deus quomodo eiusdem hominis simul sit caussa & proxima, & remotissima 46. 76
Deus quomodo se habeat ad mũdum Arist. 40
Deus non vult liberã mentis voluntatem cogere 371
Deus & natura nihil frustra facit 120
Deus & natura nihil ociari permittit 384
Deus cũm nulla forma creata coincidit in specie 23.64.65
Deus quæ immediate gubernet, quæ mediante cœlo Fern. 54
Deus nunc admodum pauca immediate gignit Fern. 54
Deus & cœlum præparãt materiã mediantis caussis sublunarib. 76
Deus primum omnia immediate genuit Fern. 54
Deus quid faciat in generatione hominis 77
Deus quomodo cõcurrat in productione cuiuscq; effectus 37. & sequent.
Dei numen quomodo rebus se so communicet Aristot. 38. & sequent.
Dei non solius munus est animãtia procreare 37
Dij iuniores quomodo generent partes animæ caducas 42
Dij iuniores, seu Dei filij qui sint Plat. 30.31.32
Differentiæ constituentes aliquid illi cõpetunt secundum quod ipsum 88
Differentia inter semen & alimẽtum 170
Differentiæ rerum à quo actu sint desumendæ 329
Difficile quomodo sit vel fingere quam partẽ corporis, aut quomodo eam contineat intellect⁹ Arist. 108
Digito vno quid vehementissime cõprimere cur cæteri in eade ma-

qui ab omni actione ocientur 377.397
Digitus sextus in manu quare non sit ob excessum materiæ, sed ob culpam efficientis 354
Diminuibile qua tale, quantum est 91
Discrimen inter formam & efficiens 278
Disparitas quæ esse nequeat inter causam & effectum 33
Diuinatio est actio mentis humanæ 106
Diuisio necessario fit inter duo puncta ibid.
Diuisibilitas est differentia constitutiua quantitatis 107. 289.431
Doctor quomodo generet scientiam in animo addiscentis 265
Dolentibus, & dolorem non sentientibus quomodo mens ægrotet Hippoc. 110.111
Dolor necessario sequitur separationem substantiæ coniunctæ cum aliqua parte nostri corporis ab ea 167

E.

EAdem numero ea non permanent, quæ diuersas formas suscipiunt 196
Ecstasis sensationes omnes tollit penitus 401
Ecstasis cur non patitur sensus fungi proprijs muneribus 377. 396. & seqq.
Ecstasis quæ & quomodo mortem afferat 398.432
Effectus similes à diuersis causis 398
Effectus omnis refert naturam suæ causæ 33
Effectus quam causam referre debeat 24.35.36
Effectus quomodo se habeat ad causam vniuocam 43
Effectrices causæ sunt priores suis effectibus 378
Effectricis & formalis causæ discrimen 408
Efficientium munus 276
Efficiens immediatum agit tangendo 347
Efficiens immediatum necessario subsistit cum passo, dum actio fit ibid.
Efficientium quod potest multa efficere, potest facilius vnum 225
Efficiens cur actu esse debet 61
Efficiens coincidit cum forma 64
Elephanti mos in coeundo 133
Elementa reipsa remanere in misto 414.451
Elementa in mistione non corrumpuntur, sed minutissimè confunduntur 51
Elementa à quo moueantur 156. 160

Embryon ante aduentum mentis est animal sui generis 440
Embryon si omni anima exuatur quid sit, Arist. 197
Embryon statim à conceptu, antequam habeat intellectum, augetur continue, vsq; ad atatem consistentia 196
Embryon, vide conceptus, vel fœtus.
Ens à nihilo distat infinito interuallo 369
Entis ad nihilum nulla est proportio ibid.
Entia quædam simul sunt in actu & in potentia 409.410
Equæ ex vento concipientes 133
Esse duplex in quauis re 370
Esse primum quid ibid.
Esse simpliciter cuiusq; rei vnde sit ibid.
Esse secundum quid ibid.
Esse secundum ac peculiare cuiusque rei vnde sit ibid.
Esse homo, & esse animal, est esse substantiale 244
Esse prius, est ipse agere 184. 244
Essentia nulla omnino simplex præter primam 198
Excrementum quot, quaq; habeat significata 444
Excrementa cur ab alimento per coctionem segreganda 18
Excrementa quot in omni coctione 9
Excrementa cuiusq; coctionis sigillatim 18
Excrementa Embryonis quo propellantur 21
Exemplorum proprium est, vt declarent ac notificent, non vt sint omnino vera 437
Ex quo aliquid fit, quotuplex sit 77.78

F.

FActum de nouo, dupliciter se habet ad tempus 314
Factum sub passionibus temporis quod sit ibid.
Facultates anima ab ea sunt inseparabiles 349
Facultates anima quomodo à morbis lædantur 110
Faces intestinorum sunt excrementa prima coctionis, quæ fit in stomacho 247
Federici Pendasii laus 140
Feles plarumq; cur quos primo enixu pariunt fœtus enecent 138
Finis quid sit 303
Finis nostræ generationis quid 337
Finis quomodo moueat efficiens 243
Finis & efficiens sæpe coincidit 304
Finis omnium rerum, & hominis præcipue 303

Finis ad effectum accedit vltimo post omnes causas alias 193. 210
Fœcundi qui magis 361
Fœminæ officia propria quæ 139
Fœmina concepturæ an debeat semen & menstruum in vterum effundere in actu coitus simul cum mare 126
Fœmina sola potest fœtui dare sufficientem materiam 188
Fœmina est ceu mas læsus & imperfectus 131. 233. 344. 345. 449
Fœmina vt concurrat ad generationem 77. 156. 161 345. 356
Fœmina cur non possit concipere sine masculo 295. & sequentibus.
Fœtus cur maneat in vtero, tum antequam organizetur, tum etiam post organizationem ad nonum mensem 250. 391. & seqq.
Fœtus non simul sit animal & homo, sed animal prius, homo deinceps 209
Fœtus ab initio est planta carnea & sanguinea, quæ futura est animal & homo, Gal. 199
Fœtus ortus quæ tria habeat necessario 129
Fœtus viuus ex vtero matris mortuæ 348
Fœtus ante adeptionem mentis an sit in actu, an in potentia 489
Fœtus in vtero primis quadraginta diebus, qua anima viuat Port. 141
Fœtus in vtero primis diebus quomodo augeatur 16
Fœtus quare possit assimilari vtriq; parenti 135
Fœtus in vtero multa malè patitur, matre non sentiente 146
Fœtus primis diebus in vtero cur non nutritur 7. 9
Fœtus in vtero cur sit viuens diuersum à matre, non pars animata corporis materni 144. & seqq.
Fœtus in vtero moueri potest, matre non sentiente 146
Fœtus primis quadraginta diebus quo cibo, & quomodo alatur 142. 246
Fœtus in vtero quo alimento alatur 20
Fœtus in vtero alimentum non trahere per vmbilicum solum, sed etiam per os 247. & seqq. 387. & seqq.
Fœtus antequam cibum trahat, & officijs fungatur anima vegetalis, quomodo habeat animam vegetalem 217
Fœtus in vtero quas edat actiones sensuales, & quas non 186

Fœtus vnde habeat hoc, quod sit animal, aut homo 184.244
Fœtus in vtero quo tempore sentiatur moueri 250
Fœtum humanum primum viuere vitam plantæ, deinde animalis, demum hominis, quomodo interpretetur Philop. 181
Fœtus in vtero quomodo primum viuat vitam plantæ, deinde animalis, demum hominis 250
Fœtus constitutio & viuificatio quando fiat 347
Fœtus in vtero habet fæces in intestinis 247
Fœtum in vtero plures animas recipere 182.183
Fœtus in vtero non se habet ad matrem, sicut fructus ad arborem, sed vt planta ad terram 141.150 151
Fœtus masculus in vtero quando incipiat moueri 12
Fœtus cum ouo analogia 143
Fœtum in vtero respirare quæ demonstrent 395
Fœtui in vtero cor mouetur motu systolis ac diastolis 396
Fœtus non simul sit animal & homo nec omnino animal, & tale animal 208
Fœtus non est minus homo, quam infans, nec infans, quam adultus 382
Fœtus extra vterum per multos menses non indiget copiosiori alimento, quam illud esset, quo vltimus mensibus alebatur in vtero 394 395
Fœtus ante sui organizationem quomodo alimentum trahat, ac nutriatur 391
Formales causæ sunt simul cum suis effectibus 378
Forma non operans dicitur actus 239
Forma ignobilior præstantiorem materiam regere nequit 398
Forma essentialis cur dicenda concausa, non causa ipsius compositi 304
Formarum aliæ adinuicem subordinantur, tanquam inchoatio ad complementum, aliæ non 204
Formarum aliæ sese compatiuntur in eodem subiecto, aliæ non 207
Forma specifica, & totalis vna numero est in composito 202
Forma in rebus semper est eadem 130
Forma non recipit in sui definitione quantitatem 101
Formæ informantes Comp corpori coextenduntur 50
Formæ non fiunt quantæ per accidens ex vnione cum natura corpo-

corporea 99
Formæ compatibiles maiorem affinitatem habent inter se, ac facilius vniuntur adinuicem, quam materia & forma 332
Forma essentialis intrinsece perficit subiectum 305
Forma an nobilior composito 47
Forma vt operans dicitur in actu 239
Forma præcedens se habet ad nouam, tanquam priuatio 195
Formam non educi de potentia materiæ Fer. 51
Formæ supranaturales quales sint 102
Formæ naturales quales sint ibid.
Forma prior non semper perit exoriente posterieri 451
Formas omnes è cœlo huc in materiam sublunarem demitti, quibus rationibus ostendat Fernel. 48. & seqq.
Formam parere præstantius est, quam materiam disponere ad formam 76
Forma non potest perpetuo materiæ inhærere Fer 50
Formarum genera tria 101
Formæ quot, quibusq; modis sint materiales 100
Forma nobilior est materia, & ideo multo sapius natura vocatur 50
Formarum informantium genus duplex 265
Forma quæuis quibus secundum se sit indiuisibilis, & non quanta 86
Forma omnis simplex non est Fer. 51
Forma nihil operans, quæ ociosa, & quæ non 462. 463
Forma cuiusq; propria quomodo sit finis 194
Forma antequam oriatur, quid postulet in materia necessario 62
Formæ naturales omnes (exceptis mente) ex se sine operatione materiæ sunt mortales & fuitæ 71
Formæ priores quæ corrumpantur aduentu posterioris, & quæ non 204
Formæ quomodo habere possint partes extra partes 450
Formam totius non esse quid diuersum à forma cuiusq; partis 419. & seqq.
Forma exoriens sui rudimentum in materia repertum, non destruit, sed perficit 455
Formæ corruptibiles quæ 78
Forma generabilis à quo efficiente pendeat 75. 80
Forma nulla oritur à quantitate 101
Formæ per se non quantæ, quæ ibid.

Formæ materiales quomodo sint quantæ ibid.
Formæ rebus accedunt à tanſis immediatis 66
Formæ aſſiſtentes cur ſint totæ, in quauis parte corporis, cui aſſiſtunt 334. & ſeqq.
Formæ quæ non ſimul ſunt cum ſuis effectibus 409
Formæ quomodo aſſumant in ſui definitione materiam 101
Forma informans quid 262
Formæ quæ non ſunt per ſe, non quantæ 100
Forma informans quæ poſſit recipere ſpecies omnino immateriales, & quæ non 262
Formæ ſunt priores materia 70
Forma non eſt id, quod fit in generatione, Fern. 56
Forma materiæ non vnitur, niſi mediantibus diſpoſitionibus 50
Formæ naturales quas habeant proprietates 102
Formæ naturales actu non intereunt, niſi in materia 71
Forma informantis quomodo proprium ſit coextendi corpori 107
Formæ informantes indiuiſibiles omnino, non ſunt totæ in quauis parte corporis, quod actuant 335
Formæ informantes non neceſſario ſunt corpori coextenſæ 106
Formæ rerum vnde habeãt ſuam vel mortalitatem, vel immortalitatem 71
Formarum naturalium aliquas eſſe ſeparabiles à materia 276
Forma non poteſt eſſe niſi in ſubiecto ſibi proportionato 78
Formæ naturales quæ 101
Forma cur proprie non dicitur generari 75
Formæ mediæ naturæ quæ 101
Forma poteſt eſſe ſubſtantia compoſita ex diuerſis partibus eſſentialibus 202
Forma in inſtanti producitur, & momento interit, Fernel. 50
Formæ ſeparatæ à materia, ſunt conſiderationis metaphyſicæ 276
Forma prior ſe habet ad poſteriorem, tanquam priuatio 203
Forma & compoſitum ſimul fiunt 304
Forma quomodo dicitur fieri ex materia ſeu educi de ſinu materiæ 78
Forma quando determinet ſubiectum ad certam ſpeciem, ibidem.
Formarum varietas quomodo poſſit pendere à varietate materiæ ibid.
Forma ſpecifica cuiuſque rei eſt finis

finis suæ generationis 210
Forma quomodo aliqua ratione fieri dicitur 75
Formæ quæ habeant partes extra partes 450
Forma nulla est per se quanta 100. & 101
Formatio partium fœtus quando incipiat & terminetur 368
Formatrix facultas in semine quid sit Auer. 114
Frigoris effectus 417
Frigus est simplex qualitas ibid.
Frigus non ingreditur opera Naturæ 320
Frigidum quomodo non ingrediatur opera naturæ 82
Fructus quid Arist. 360
Fructus ex qua materia oriantur 213
Fructus ab arbore auulsi exercere facultates animæ 465
Fructus ab arbore auulsus an sit corpus potentia vitam habens, & omnino animatum 465. & seqq.
Fructus omnes vel semina sunt, vel ea continent 360.466
Fructus qua anima viuant tum arbori adhærentes, tum ab arbore semoti 362
Fructuum ab arbore separatorum maturatio non est via in putredinem, sed vera maturatio ab anima prodiens 465
Frustra & otiosum quid vere sit 463
Fulgur cur videatur à nobis ante tonitrum, quum post tonitrum nascatur 91

G.

Generatio, siue corruptio quid 379.411
Generationis definitio quomodo glossanda 414
Generationis actio in homine quando absoluatur 250
Generationis quot quæq; genera reperiantur 411.412
Generationis definitio ex Arist. non conuenit omni transmutationi essentiali, in qua physice producatur de noua aliqua substantia ibid.
Generatio sine corruptione potest mutuæ vnum suppositum, seu subiectum sensibile, secundum formam 414
Generatio animantis, siue ortus quid 284.287
Generatio physica est genus analogum 413
Generatio est species motus 50
Generatio physica quid 330. 369
Generare sibi simile cuiste naturalissimum 345

Generatio omnis duo faciendapostulat 58.75
Generationem hominis quot, quaq; animæ celebrant 426
Generatio hominis quo differat à morte ipsius 432
Generationes & corruptiones rerum quomodo tribuantur Soli 58
Generare quomodo quid possit aliud, tum sibi simile, tum seipso perfectius 287
Generans omne actu tale est, quale potentia est id, quod generatur 56.286
Generantur proprie quæ 75
Genitum omne est corruptibile. Fern. 50
Generans ex materia quid faciat 331
Generare hominem ex materia quid sit 276
Generare munus esse solius animæ vegetalis 308
Generari quid non potest, continuo & corrumpi 196
Genus aut est logicum, aut est physicum 329
Grauiditatis incommoda 144

H.

Homo non est per se primo vegetans, neq; animal, aut sentiens 328
Homo solus in sui generatione gaudet duobus agentibus immediatis 276
Homo solus cur duo agentia immediata in sui generatione postulet 63
Homo cur non oritur ex corrupto alio 412
Hominis generatio non terminatur simplici forma, nec uno instanti 452
Homo quomodo hominem generet 112.342
Homo hominem generat, & Sol, quomodo interpret. Fernel. 52. 57
Homo Deo similis à Deo procreatur Trism. 44
Homo hominem generat ex materia, & Sol, quo sensu verum sit 276. *& multis seqq.* 341. *& seqq.*
Homo generatur ab homine, & à Sole, ad differentiam aliorum generabilium 62.112
Hominis productionem esse vere generationem 413. *& seq.*
Homo cur non possit generare-nisi ex materia 332
Homo est vere efficiens conceptus humani 27
Homo quando generatur 242
Homo alius in Venere ex homine exit 95.112
Hominis causa efficiens qua sit, & quotuplex 444
Homo dicitur ob participationem

uem mentis 439
Hominis forma specifica quæ 210. 215
Homo vnde habeat sui vltimum complementum 173
Homo quo differat ab alijs animalibus, & quo cum eis conueniat 222
Homo est corpus naturale, vere generationi mortiq; obnoxium 330. 331
Homo qua sui parte sit mortalis, & qua immortalis 48
Homo quomodo habeat naturam mortalem 98
Homo sortitus est animam partim mortalem, partim immortalem 77
Homo est vniuoce animal cum brutis, & vniuoce viuens cum plantis 330
Homo communicat cum brutis in anima sensuali, cum plantis vero in vegetali 210. 343
Hominibus cur data sit anima sentiens 197
Homo quo conueniat cum intelligentijs separatis 404
Homo quomodo possit suo semini conciliare suam animam, non communicato intellectu 425. & seqq.
Homines qui non generent sperma, vel difficulter 361
Homines tum graciles nimium, tum etiam valde obesi, cur semine non affluant ibid.
Homines in somno loquentes 364
Hominis cur proprium sit errare ac decipi in cognitione intelligibilium 301
Homo duplicem habet facultatem cognoscendi 404
Homo quinis non eodem tempore ab ortu incipit intelligere 219
Homo quando primum incipiat intelligere Arist. 219. 250
Hominis anima in ætate puerili cur parum differat ab anima belluarum 253
Homini omnia quomodo subiecta Plat. 31
Homo dormiens an contemplari possit 401. 402
Homo quomodo sit nobilior sua anima 15
Homo cur possit intelligere ad libitum, non item sentire ad placitum 242
Homo speculatur, & sapit, non anima 259
Homini, vt homo est, conuenit discurrere, componere, ac diuidere 222
Homo quomodo sit perfectior cœlo 77
Homo duplici pollet appetitu 404

Humanarum actionum præstantissima quæ 216
Humani corporis partium adinuicem habitudo 144
Humani corporis pars qualibet toti ornamentum & vsum, aut actionem aliquam præbet ibid.
Humani corporis pars nulla alteri est impedimento ibid.

I.

Iannis Costæi laus 140
Idea rei artificiosæ quomodo sit in mente artificis 171
Idem non potest esse respectu eiusdem simul causa proxima & remota, vniuersalis & particularis 26
Ignis in misto est, quod continet simul vnita elementa reliqua 83
Illustrare est efficere 225
Imagines quomodo repræsententur à speculo 225
Immateriale præstantius materiali 33
Imperfectioris rei imperfectius est principium 352
Imperfectio maior vel minor in substantia non arguit intensionem ac remissionem 450. 451
In quauis generatione præter agens remotum necessarium quoque est proximum 342
Irrationalis pars animæ humanæ Plat. vnde oriatur 29. *& sequentib* 72
Inanimata quomodo crescunt 7
Incorruptibile non potest pendere à natura mutabili 70
Incorporea quomodo possint oriri à corporibus 46
Incorporeum dignius corpore 33
Instans natura est figmentum intellectus 15
Instans physicum est temporaneum sine ope mentis ibid.
Instrumentum non operatur, nisi motum ab agente primario 25. 47. 226. 228. 435
Instrumentum cur sit necessario agens æquiuocum 157. 162. 370
Instrumentum producere conatur quid simile non sibi, sed agenti primario 260
Instrumenti actio non est prior actione agentis principalis, sed posterior 226. 228
Instrumentum non dicitur efficiens, nisi improprie & metaphorice 26
Instrumenta artis quomodo tribuant formam artificiosam suæ materiæ 157
Instrumenta quibus vtitur anima

ne humana pars quauis quomodo se habent Phil. 186
Intellectus cur genere differat à vegetali & sentiente anima 329
Intellectus vt actus est, quid 229
Intelligentem opus est phantasmata speculari, quomodo exponatur ibid.
Intellectus in actu quid 240
Intellectus cur phantasmatibus egeat 224
Intellectum ad contemplandum non vti organo 221. & multis seqq. 263. 299
Intellectus ad contemplandum nō vtitur facultate ipsa phantasia operante, tanquam instrumento 227. & seqq.
Intellectus eliciendo speciem intelligibilem de phantasmatibus, ea cognoscit 226
Intellectus qui aut phantasia est, aut non sine phantasia, non potest à corpore separari, neque quantum ad esse, neq; quantum ad agere 215
Intellectus est omnino indiuisibilis, vt punctum 334
Intellectum hominis non esse assistentem 259
Intellectus cur dicatur locus specierum, & fieri res, quas intelligit 224
Intellectus à natura nullam habet sibi impressam speciem intelligibilem 251
Intellectus antequam intelligat, est aliquid in genere entis ibid.
Intellectum nihil esse, antequam intelligat, quomodo verum sit ibid.
Intellectus qua ratione dicatur fieri res, quas intelligit ibid.
Intellectus per se primo cognoscit, & substantias, & vniuersalia 229
Intellectus obiectum 223. 224. 226. 230
Intellectus hominum recipit & cognoscit species vniuersales abstractas à conditionibus materiei, & corporis 256
Intellectus quomodo dicatur non mistus corpori, quod intrinseco perficit 263
Intellectus noster potest omnia contemplari 251
Intellectus est suprema formarum 336
Intellectus humanus est immortalis 361
Intellectus agens quid Alexand. 216
Intellectus agentis actio qua 402
Intellectus agens quando primum nobis associatur, Alex. 218

Intellectus agens an ex se intelligat 224
Intellectus agentis obiectum 230
Intellectus agentis actio non est, nisi cum phantasmate 229
Intellectus agens quomodo deputet phantasmata à conditionibus materiæ 224.231
Intellectus agens magis dependet à phantasmate, quam possibilis 230
Intellectus agens quomodo inseruiat nostræ intellectioni 216
Intellectus agens quomodo differat à possibili 225
Intellectus quam partem, & quomodo contineat, difficile est vel fingere 94
Intellectus possibilis seu materialis quid sit Alex. 218
Intellectus possibilis quid 240
Intellectum prius esse actum, deinde in actu 239
Intellectus possibilis quando possit contemplari sine opera intellectus agentis, & absque phantasmatibus 223 402
Intelligibilia sine phantasmate 223
Intelligere si est aut phantasia, aut non sine phantasia, non potest esse sine corpore 221
Intelligere est propria intellectus operatio ibid.
Intelligere est actus secundus, qui necessario præsupponit actum primum 251
Intelligit homo non nisi natus extra vterum 220
Intelligere non pendere ab obiecto externo 242
Intellectio humana quomodo fiat 224
Intelligere qualis actio sit 275
Intelligentia & anima hominis cur differant plus, quam genere 29
Intellectus separati sigillatim vni tantum corpori assistunt 260
Intellectuum separatorum perfectiores gradatim assistunt corporibus nobilioribus 255
Intelligentiæ abstractæ ad intelligendum materialia, non vtuntur organo corporeo 227. 231
Intelligentiæ separatæ quomodo considerentur à Physico 278
Intelligentiæ quomodo sint causæ horum inferiorum 25.26
Intestini cæci, seu vermiculi, vsus 247
Intestinum cæcum cur in fœtu grandius, quam in adulto ib.

L.

LAc ex qua materia, quomodo, & vbi generetur 395
Latratus Regis Attilæ quid 133

Lepus quomodo oriri potuerit ex equa 136
Libri de anima pertinere ad physicum 278
Litera occidit sensus viuificat, quando verum sit adagium 37
Locus & corpus necessario nexu inuicem alligantur 306
Lucis & luminis comparatio 68
Lumen omne per se primo est à luce ibid.
Lumen cur & quomodo reddat quædam corpora lucida 69
Lumen à quibus corporibus melius reflectitur ibid.
Lux à lumine non oritur 68
Lux Soli ingenita 52
Lux à Sole non prodit, sed lumen ibid.

M.

Mancum id est cui pars deest, non quod multiplicatur 428
Masculus est perfectior fœmina 127
Mater in generatione non habet maiorem vim quam masculus 8
Mater quomodo suam animam communificet fœtui Port. 143
Materia, seu corpus, vel subiectū est quid perfectibile potius quā perficiens 468
Materia hominis quomodo sit sanguis tum maternus, tum etiam paternus 453
Materia proxima hominis, quæ 454
Materia cur refertur ad formam, & vicissim 475
Materia est incorruptibilis 414
Materia caussa est rebus, quibus ineſt, vt esse ac non esse possint 368
Materia quomodo agere possit 397
Materia ex qua generantur fructus, & semen 360
Materia proprium est pati 318. 397
Materia per se sumta ante actum generationis non habet formā futuri compositi, sed priuationem 384
Materia habet priuationem futuri compositi 452
Materiale eatenus est quantum quatenus est materiale 100
Materia hominis in continuo fluxu est 130
Materia est radix & seminarium corruptionis 71
Materia cur proprie non dicitur generari 56. 75
Materia in generatione quomodo fiat hoc 204
Materia subiecta eadem permanet ingenito, & corrupto 415
Medicus est artifex sensatus 458

Mens nostra Deo similis ab eo solo & proxime oritur Ficin. 43
Mentis actiones quot, quaq; sint 122.417
Mens non exercet sua munia nisi sedatis perturbationibus corporis 402
Mens ex se nõ est determinata ad intelligendum magis hoc, quã illud 403
Mens indifferens ad omnia intelligibilia, à quo moueatur ad contemplãdum potius hoc quã illud 377.378.406.407.408
Mens licet possit impelli ad speculandum hoc potius quam illud à voluntate, mens tamen speculando nõ vtitur actione voluntatis tanquam instrumento 407
Mens est simplex natura 417
Mentis significata 338
Mens quo tempore fœtui adueniat Arist. obscurum 218
Mens humana à corpore seiuncta quid possit efficere 303
Mens hominis cur à solo Deo oriri possit 304
Mens humana in esse non dependet à materia, nec in opere 309
Mens ad intelligendum vel ipsa phantasmata non necessario vtitur organo corporeo 223
Mens licet versetur circa phantasmata eam non ideo materia-
lia 82
Mens vtens phantasmatibus ea ea intelligat 225
Mens non semper phantasmate vtitur 223
Mens ad contemplandum non vtitur corpore 303
Mente intensius occupata circa aliquod intelligibile cur sensus præsentia obiecta non sentiant 396. & seq.
Mens potest omnia fieri, omniaq; intelligere 377 403
Mentis humanæ conditiones 91
Mentes hominum sunt omnes vnius speciei 265
Mens sola quomodo fœtui extrinsecus accedit 212. 216. & sequent.
Mentes hominum quomodo omnes similiter intelligant 265
Mens Arist. an sit ab æterno 283. 408. & seq.
Mens humana apprehendit obiecta intelligibilia abstracta à materia, & depurata à conditionibus ejus 368
Mens Arist. permanet incorruptibilis post dissolutionem hominis 409
Mentes Diuinæ vbi viuant 307
Mentes diuinas dedecet vti semine ceu instrumento Arist. 26
Mentes diuinæ magis vniuntur corpori cœlesti, cui assistũt, quã formæ naturales materiæ sub-
lunari

Iuuari quam informant 99
Membra coctioni dicata quot, q̃que sint 9
Membra excrementis dicata, quot quæq; sint ibid.
Membra dicata tertiæ coctioni, & ejus excrementis quæ 19.152
Mebra dicata primæ coctioni, & ejus excrementis quæ 19.18
Membra dicata secundæ coctioni, & suis excrementis quæ 19
Menstruum habet omnes partes futuri viuentis in potentia 292
Menstruum est omnino inanimatum 96.293
Menstruo cur omnem animam inter dixerit Arist. 189 197
Menstruus sanguis venenum 135
Menstruum quomodo fieri possit dignum habitaculum animæ tum sentientis, tum rationalis 214.292
Menstrua quomodo possint dici semen 272.293
Menstruum est principium materiale conceptus 295.300
Methodus Arist. inuestigandam naturam animæ 200
Methodus cognoscendi ea, quæ latent sensus 346
Minotaurus e: muliere & boue genitus 118.134
Minoris & imprfectioris rei minus est principium & imperfectius 353.392
Misti, vt est mistum, forma non est anima 424
Mista omnia reuera esse heterogenea, seu dissimilaria 458
Mista imperfecta parum distant à natura elementi prædominantis 416
Mola quid Medicis 311
Mola Medicis contrahitur non sine coitu ibid.
Mola quid sit, & ex quo genita 213
Mola quod genus morbi sit 312
Mola ex qua materia & quomodo in vtero contrahatur 1, 6
Mola qua anima viuat 312.313
Molam cur non contrahant virgines, vel vix 311
Moola non potest suscipere intellectum 312
Mola Aristot. oritur ex sola fœmina vt ouum subuentaneum 311
Momentum vide Instans.
Monstra ex muliere & viro genita 134
Monstruosæ partes in homine cur rarius quam in brutis fiãt 355
Monstra quibus de causis fieri cõtingit 354
Motus localis species quot, quæque sint 306.307
Motus quid 410
Motus circularis omniũ primus, & caussa 58
Motus maior minorem obscurat

Mors quid sit 84
Mors est passio propria animatorum 296
Mors hominis quo differat ab eius generatione 432
Mors naturalis quomodo contingat ibid.
Mortu genus, quo cadere potest homo, duplex ibid.
Mors animalis non est nisi ob extinctionem, vel imminutionẽ coloris natiui vltra proprium gradum 83
Multi natura perfectior est asinina 117
Mulæ quæ pepererunt ibid.
Mulier cur sine masculo concipere nequeat. Arist. 127
Mulier concipere nequit nisi proprium semen vna cum sanguine menstruo in vterum effundat 123
Mulier & equa cur sola animaliũ grauida coitum patitur etiam ad superfœtationem 125
Mulier an concipere possit absque eo quod semen emittat 126
Mulieri vtero gerenti nihil ex vtere exire 318
Mulieres vltra menstruum sanguinem habent quoq; suum semen genitale 120
Mulebre semen cur Arist. seminis nomine non dignatur ibid.
Mulier quomodo parere possit serpentes 135
Mulieres cur non abortiant nisi post septem dies à coitu 367
Mulieres vna venere quatuor cõcipientes 122
Mulier ex marenon concipit mẽstruum, aut semen, sed in menstruo ex semine filios 154
Mulier cur supirfœtatum conceptum non possit alere ac perficere ad vitam 124
Mundus inferior cur contiguus Cœlo apud Fern. 59
Mundus hic quomodo Fer. à supero gubernetur 53
Mundi anima cur datrix formarum Fer. 56
Mures si salem lambant implentur sine coitu 112. 135
Mures vno partu centum viginti fœtus parientes 123
Musculi, vt muscul. munera, quæ 139
Mutilatio est passio totius integralu, vt tale est 427.

N.

NAti extra vterum impropriè conceptus appellantur 185
Natum post tempris ortum quomodo dici possit supra conditiones ac passiones temporis 314
Naturæ ordo qui 182. 190. 210. 341

Natura quomodo non permittit vniri res valde diuersas sine medio 197.211.213
Natura quas res non soleat inuicē connectere 86.189
Natura vtitur superioribus ad inferiora vt formis, & inferiorib. ad superiora vt materia 336
Natura cur fecerit homines masculum & fœminam 120
Natura nō redundat in superfluis, & nil frustra facit ibid.
Natura non patitur quid multum ociari 302
Natura quomodo soleat res valde diuersas in vnum componere 213
Natura cuiq; hanc legem indixit, vt sui conseruationē semper intendat atq; procuret 365
Natura & artis analogia 275
Natura nihil facit nisi cum summo ordine 97
Natura consuetum est semper gradatim progredi à facilioribus ad difficilia 248
Natura nusquam duo adhibet vbi vnum sit satis 364
Natura semper intendit masculum 131
Natura vbi nequit producere masculum, se transfert ad fœminam ibid.
Natura vis, & prouidentia in generando magno viuente ex pusillo semine 120
Natura legibus non consentit aliquid naturali propēsione ad hoc dirigi, vt aliud gignat ex cuius ortu agens intereat 172. 364
Natura finita vigore infinito non potest pollere 370
Naturalissimum est agentiū physicorum generare sibi simile in specie 353
Naturales virtutes agunt sine cognitione 113
Naturale agens in generatione hominis quod 34
Naturæ valdē ab inuicem diuersæ non coeunt in vnum sine medio 332
Neruus, caro, ossa, & id generis quomodo remaneant in cadauere, & quomodo non 424
Nihil secum contendit, nec sibi repugnat 198
Nihil agit vltra suas vires, neq; quidquam generat seipso perfectius 33. 47. 68. 95. 97. 117 127.352
Numerorum species quomodo constituantur 326
Numerus senarius est quantitas habens partes extra partes 430
Numerus nullus est naturæ simplicis 226
Nutritio quomodo augeat corpus 292
Nutritio cui per se primò compe-

tat 421
Nutritio quomodo respiciat coctiones 20
Nutritio necessario præsupponit coctionem 9.17
Nutritio cur coctione supponat 18
Nutritio quid 18.19
Nutritionem multiplex alimenti coctio præcedit 152
Nutritionis progressus, siue ordo ex parte alimenti 166
Nutritioni animalis, quæ coctio absolute necessaria 20.

O.

OBiecta se habent ad potentiam vt finis 243
Obiecta intellectus, quæ & vbi sint 242
Obiecta mentis quomodo moueant intellectum, & sint causæ intelligendi 243
Obiecta sensibilia quæ, & vbi sint 242. & 243
Oculi forma specifica est potentia visiua 199
Omne ens prius est id quod est, deinde agit id quod potest 244
Onager ex asino syluestri & asina domestica 135
Operatio qualibet à quo agente sit 239
Opifex est nobilius suo instrumento 79
Ordo inter potentias & actus 268
Oris vsus præcipuus in animali quis 387
Orta non ab æterno, sed post temporis ortum, quomodo possint esse incorruptibilia 315
Orta referunt naturam principiorum 339
Orta suæ originis nobilitatē vnde habeant 74
Oua subuentanea cur non sint prolifica 122. 128. 294
Oua in aluo ouipara quæ anima viuant 124. 321
Ouum subuentaneum quo argumento probatur Arist. esse animatum 296. 299
Ouum subuētaneum in aluo matris viuit at extra aluum nequaquam 380
Oua subuentanea sunt minus plena ac sint fœcunda 122
Oua subuentanea, quæ 122. 143
Oua subuentanea vnde sortiantur animam 61. 296. 297. 299
Oua quæ in vtero fœminæ sunt cur non omnia superueniente mare fœcunda fiunt 295
Oua in aluo ouipara viuunt 154
Oua subuentanea cur extra aluum animam non retineant, quæ in aluo gaudebant 424. 425
Ouum æmulatur menstruum ac semen muliebre 154

Ouum

Ouum subuentaneum ad quas animas sit in potentia 126
Ouipara ex mare non concipit ouum, seu pullos in ouo ex se genito 153.

P.

PArentes læsi, ac mutilati generant quandoque filios non mutilatos 293
Partes extra partes habent non solum corpora sed asia multa 450
Partes quæ semotæ à toto illud mutilant, & quæ non 470
Partium genus quotuplex 450. 470
Partes similares quomodo nutriantur 20
Partes dissimilares in nobis quomodo nutriantur, & augeantur non per se primo 90
Partes dissimilares constitutas esse ex similaribus 420
Partes eius quod augetur augentur secundum formam, quæ est anima, non secundum materiam 89
Pars nulla animalis nervis praedita, quæ non moueatur ad nutum voluntatis 147
Partes animati debent omnes informari essentia animæ 90
Partes quæ primæ omnium efformentur à natura in nobis 102
Passio generis non competit per se primò speciei 328
Pater in omni animalium genere quinam sit 27
Pater periisse potuit ante constitutionem fœtus ipso illæso 157. 347 384
Pater cur non sit agens proximũ ac principale vtens semine tanquã instrumento ad generandum animam fœtus 158. 160
Pater non est agens à quo fœtus immediatè animã suscipiat 357
Pater generat, efficit, & producit filium 35
Pater quomodo generet hominem in seipso 452. 453
Pater quomodo fœtui animam tribuat 348
Pater est agens materiale, ac physicum generans ex materia 188
Perficere munus est animæ, seu formæ non materiæ, vel subiecti 468
Per se quis nexus sit, & quorum 100. & 101
Per se tale nunquam à sui natura deflectit, sed tale semper permanet in quocumq; & vbicumque ponatur 98
Phantasia est sensus internus 229
Phantasiæ actio quæ 226
Phantasiæ actio est prior actione intellectus tum agentis, tum possibilis 226. 228

Phantasia potest intellectum discurrentem interpellare, nunquam vero illi opem ferre vt organum 222
Phantasmata sunt materialia, & corporea 223
Philosophus supra sensum sese attollens sola ratione persæpè nititur 458
Physicus considerat vtranq; naturam 275
Physicus quomodo, & quousq; consideret formam 275.276.278
Physicus quomodo consideret formas tum separabiles, tũ separatas à materia 276.277
Physicus non abstrahit à materia 212
Physicus nõ considerat quidquam sine materia 277
Physicus quo differat à cæteris Philosophis ibid.
Pisces qui neq; mares, neq; fœmina sunt 298
Piscibus an partus consistat sine coitu 119.135
Piscium genera quæ solum fœmineo sexu gaudet, quæ pariunt sibi simile sine mare 119.138.140
Pituita per vlteriorem concoctionẽ apta nata est cedere in naturã sanguinis & alimenti 389
Plantæ vnde animam acquirant 344
Plantarum fœmina quæ 362
Plantæ omnes sunt sexus masculei ibid.
Plantæ omnes cur sint sexus masculei, & quo vtantur loco fœminæ 139.150
Planta non mutilatur quando ab ea colliguntur fructus 427
Platonica doctrina qualis, & quomodo legenda 36
Potentia quotuplex 267.268
Potentia secunda quid 269
Potentia secunda non est constituta in indiuisibili, sed habet latitudinem 461
Potentia quæ ad actum non reducitur frustra est 459.460
Potentia à quo agente ad actum reduci possit 460
Potentia subiecti ad formam non est ab efficiente 62
Potentiæ animæ non sunt accidentia 199
Potentiæ animæ re ab inuicem differunt 199.201
Potentiæ non sunt res distinctæ ab anima 200
Potentiæ proprium est esse perfectibile, ac incompletum 409
Pregnanti morienti cur labia seruanda sint aperta 395
Præparatio materiæ ad animam à quo fiat ex Fer. 51
Prauia dispositio non est pars formæ futuræ Fer. 50
Prauia dispositio materiæ ad formam

mam Fer. dicitur potentia ibid.
Praua disposiciones alimenti ad induendam formam partis nutrienda qua 167
Primum quot, quaque habeat significata 80. 421. 422
Principium idem est quo quid est, & quo quid agit 244. 368
Priuatio forma in genere quid Simp. 166. 170
Priuationis duo genera 447
Priuatio exoriente noua forma quomodo dicatur fieri hoc 204 455
Priuatio aduentu noua forma à materia secedit 195. 203
Priuatio ad presentiam forma quo modo aboleatur, & quomodo non 413. 203
Priuatio forma hominis qua Fern. 164. 171
Priuatio anima humana qua sit. 455. 456
Priuatio sape est rudimentum forma futura 454
Priuatio non est mera negatio. ibid.
Priuationis munus pracipuum quod nam sit ibid
Productio anima vegetalis, aut sentientis eodem modo fit in hominibus ac in ceteris qua tales animas participant 119
Proiecta à quo, & quomodo mouantur 156
Proprietates hominis 129
Puer in lucem editus primo biennio solo lacte alitur 395
Pueri cur spermate careant 361
Pulli in ouis gignuntur albumine, & aluntur luteo 376. 386
Pulli ex ouis cur excludi possint à calore tum animalium, tum etiam rerum anima carentium 392. 393
Punctum additum linea facit vnum per se ens 430
Punctum vniri linea in vna tantum parte ibid.
Pura potentia nihil agit 241
Purum cum impuro sociari non potest sine medio 198
Putredo quid sit & quomodo fiat 84
Putri & materia orta à quo efficiente proxime nascantur 62 73. 74

Q

Quadragesima die à conceptu formata sunt omnia membra 243
Quadratum quomodo contineat duo triangula 205
Qualitates passiua in temperamento quomodo inseruiant actionibus anima 83
Quantitas est de definitione augumenti, & decrementi 91
Quantitas diuersum quid est à materia 101

Quan-

Quantitas est id quo materialia differunt ab immaterialibus 100
Quantitas non est à forma 101
Quantitas est accidens per se primò prodiens à materia ibid.
Quantitas non definitur per formam ibid.
Quantitas necessario mediat inter quælibet duo puncta. 106
Quantum omne per se primo est diuisibile 88.289.431
Quæcunq; non mota mouent non sunt physice considerationis, sed metaphysicæ 279.281
Quæ intelliguntur apprehendantur per modum & naturâ eius quod apprehendit 368
Quicquid aduenit enti in actu est accidens 378.309
Quicquid competit alicui per formam specificam, id illi competit per se primo, ac secundum quod ipsum 327
Quicquid competit alicui per se primo in alio id esse nequit nisi in virtute illius, cui conuenit per se primo 328
Quod est per se tale semper tale permanet in quocunque, & vbicunque ponatur. 427
Quod recipitur, aut cognoscitur, per modum recipientis aut cognoscentis recipitur, aut cognoscitur. 255

R

Respiratio est gratia Cordis. 148
Respiratio est necessaria ad vitam ibid.
Rerum omnium prima constitutio ex materia, & forma 50

S

Salates qui magis 362
Sanguis est corpus interminatum & inanimatum 169
Sanguis est alimentum omnium particularum corporis 166
Sanguis menstruus Arist. est tota materia conceptus 120
Sanguis vbi ortus sit 166
Scientifico cur sat est in analogis definire principale analogatum 375
Scientiæ quomodo, & quando in nobis innascantur à principio 187.193
Scientiæ acceptio à principio non est generatio animæ, neque alteratio 242
Scindentes ligna eminus cur videantur repetere secundum ictum, antequam audiatur sonus primi ictus 91
Scythæ cur semine non abundent 361
Semen quid Arist. 360
Semen quot modis sumi possit 272
Seminis nomen conuenire etiam menstruo 436

Semen conceptum à quo impellatur ad agendum Fer. 49
Semen ad hoc vt proprias actiones edere possit quo opus habeat 462
Semen an sit corpus potentia vitam habens 465. *& sequentib.*
Semen cur aliqui putent inanimatum 211
Semen esse animatum 9.22.169 347. *& seqq.* 467.
Semini quæ anima insit 114. 292. 352
Semen vnde, & quomodo animam habeat 362.446
Semen quale nã animal sit Arist. 440.453
Semen an vnam, an multas habeat animas 441
Semen vna solum anima pollens qua ratione possit constituere multos fœtus 442
Semen an habeat animam actu, an potentia 459. *& seq.*
Semen habet vim productricem animalis, seu viuificatricem conceptus 347. 348. 350
Semini inest vis prolifica, quæ est facultas potior animæ vegetalis 208
Semen habet vim formatricem partium corporis 347. 350
Semina vnde acquirant facultatem generandi ex Aristot. 283
Semina quomodo viuant 267
Semen est causa effectrix fœtus Arist. 291
Semen est vt artifex 258
Semen quomodo dicitur Arist. facere sicut quæ ab arte 114. 171
Seminis virtutes similes sunt arti, & intellectui 95
Seminis virtutes quomodo sint similes arti, & intellectui, differantque à virtutibus naturalibus 113
Semen quarum partium sit materia 320
Semen id omne quod habet ab eo acceptum refert, vnde exiuit 359
Semen cuius vsus gratia ad conceptum in vtero retineatur 317 *& sequentibus.*
Semen constituto conceptu non dissolui in flatus 318
Seminis corpus remanere in conceptu quæ probent 316
Semen in generatione non solam materiam præparare 61
Semen esse materiam ossium & neruorum, imo & plantarum, & animalium Arist. 381
Semen an apud Aristotelem sit principium materiale futuri viuentis 435. *& seqq.*
Semen est corpus similare & homogeneum 384
Semen est magnum principium magnarum rerum 444

Semen an sit excrementum, ac vile. 403. 404 213
Seminis ad putrem materiam, ex qua oriuntur animalia, an sit proportio 446
Seminis, & fructus analogia 360 & seq.
Seminis actiones in vtero primariæ quot, quæque sint 347
Semen vbi sortiatur vltimum sui complementum 168
Semen est fructus 213
Seminis materia est sanguinis portio purior 214
Semen est excrementum quod supereſt alimento 272
Semen quo argumento probet Arist. non fieri partem conceptus 290
Semen est pars animalis à quo exit 385
Semen est indignum quo proxime Deus vtatur ceu instrumento 272
Semen est agens principale, non instrumentum 351
Semen est agens vniuocum. 95.157 162. 258.348
Semen quomodo sit agens vniuocum 115
Semen est id quod immediate fœtui animam communicat 357
Semen vbi acquirat sui primum rudimentum 168
Semen an nouam animam in conceptum generet, an suam fœtui communicet 163. & sequentib. 308.364.365
Semen cur suam propriam formã fœtui communicet non ea mediante similem in eo generet. 172.173
Semen quomodo famuletur generationi 446.447
Semen ad conceptum constituendum & organizandum quo instrumento vtatur 367
Semen non habet totam animam humanam 96.97
Semen non animam humanam, sed eius priuationem obtinere 454
Semen an sit materia hominis, an homo ipse 453
Semen quomodo sit homo 173
Semen quomodo sibi parare possit organa ad obeunda munia vitæ 453
Seminis corpus sit materia generandi conceptus 172
Semen quarumnam partium fœtus sit materia 120
Semen Gal. cedit in materiam fœtus ibid.
Semen & alimenti partibus assimilati comparatio 165
Semen sine cœlo nil generat 53
Semen non est ea pars nostri corporis, in qua intellectus vnitur anima irrationali 431

Semen non habet animam à partibus in digestione vltimi alimenti 166.167
Semen cur eiaculatum retineat animam, qua pollebat ante sui effusionem 426
Semen non adhuc eiaculatum qua ex parte habeat animam humanam 431
Seminis materia qua sit 163.167 168
Semen, & mortuo illo à quo decidit, ex se vim habet prolificam 165
Semen quomodo sit indefinita manus, facies, & animal totum indefinitum 163
Semen an sit similare an dissimilare 458
Semen sensu est homogeneum, siue similium partium 167
Semen esse vel sensui dissimilare 459
Semen Arist non est pars fœtus 113
Semen humanum aliis seminibus perfectius 352
Semen muliebre esse posse sufficiens principium materiale partium albarum conceptus 121.122
Semen muliebre an sit animatum 155
Semen muliebre cur non sit vniuoce semen cum masculeo Arist. 120
Semen brutorum esse animatum anima sensuali 352.353
Semen canis a cane differre non nisi penes accidentia 440
Semen stirpis ab ea non differre nisi secundum accidentia 441
Semicanis natus ex muliere & cane 118.134
Senes cur decrescant 361
Senes cur habere possint desideria iuuenilia cum languore corporis 405
Sensus & motus animalis non sine animæ præsentia 435
Sensus omnis est facultas corporea 403
Sensus indeterminate respicit omnia sensibilia 406
Sensus à quo determinatur magis ad hoc quam ad illud sensibile ibid.
Sensus minus fallax quam ratio 302
Sensus quomodo nõ decipiatur circa proprium obiectum 110
Sensus non potest cognoscere substantias, nec vniuersalia 229
Sensus communis quomodo differat à particularibus, quomodoque illos restringat 110
Sensus communis actio quæ ibid.
Sensitrix facultas in homine quæ tuplex, & quæ ibid.
Sensitrix potentia ad sentiendum vtitur organo corporeo 245
Sensibilia externa quomodo mouent

eleant potentiam sensitiuam, & quomodo sint causæ sensationum. 239 244.245
Sensibile mouet sensum, & sensus illud percipere potest sine opera appetitus 406
Sensibile primum quomodo possit esse internum 239
Serpentes partu editi à muliere 135
Sexus in quibus non est distinctus, idem animal quomodo fungitur officio maris & fœminæ 138
Similitudo cur non sine dissimilitudine 113
Similitudo quando inter causas & effectus reperiatur, & quando non 28
Similaria corpora Medicis cur possint esse dissimilaria Philosophis 458
Simplicia quæ possint oriri à multiplicibus naturis 51
Simplex perfectius composito 33
Simplicis essentiæ simplex est tum facultas, tum actio 198
Soboles ex equa & vento cur pernicissima & breuis vitæ 133
Sol est causa generationis & corruptionis 67
Sol quomodo sit causa generationis, & corruptionis rerum 342
Sol inter alia corpora cœlestia maiorem habet vim circa generationem sublunarium 230
Sol cur non generet hominem ex materia 276
Solis nomine quid significet Arist. dum ait homo hominem generat & Sol ex Fer. 52
Sol est diuinæ naturæ symbolum 279
Solis calor est accidens 74
Solis calor est imperfectior agentibus, quæ semine vtuntur ad prolem ibid.
Solis calor non proxime pendet à Cœlo 73
Solis calor vnde immediate prodeat ibid.
Somnus cur maxime datus animalibus 402
Somnus quas habeat corporis perturbationes ibid.
Species in qua agentia physica generant sibi simile qua sit, & quotuplex 116
Species audibiles per spacium notabile cur non ferantur nisi in tempore 91
Species intelligibilis quid sit 225
Species intelligibiles immateriales 224
Species intelligibilis non potest elici ex vno tantum phantasmate 221
Species intelligibilis à quo educatur ex phantasmatibus 223
Species intelligibilis quomodo edu-

educatur è phantasmatibus 225
Species intelligibiles post intellectionem conseruari impressas in intellectu, non in phantasia 224
Specierum menti impressarum qua ratione una sola inter alias mouere possit intellectum ad sui speculationem 407
Species intelligibiles nullo modo indigent organo, aut facultate corporea 224
Species tangibiles momento de loco ad locum ferri nequeunt 91
Species tangibiles non absoluuntur à materia 90
Spiritus animales qua ratione inseruiant sensui & motui 435
Stomachus concoquit qua per os assumuntur 243
Subiectum quomodo est gratia formæ, non vicissim. 78
Subiecti varietas quomodo p̃deat ex varietate formæ ibid.
Sublunaria sine Cœlo nec agere, nec esse possunt. 81
Sublunaria omnia vnde habeant suum esse ac viuere 281
Sublunaria efficientia omnia in agendo à quo reguntur 314
Substantiæ sunt perfectiores accidentibus 68
Substantia potest generare accidentia non vicissim 161. 244
Substantiæ quomodo sint sicuti numeri 326.327
Substantiæ non indigent accidente tanquam vehiculo 67
Sues viginti porcellos vno enixu parere possunt 123
Superi sunt agentia transnaturalia licet agant physice 34

T

TEmperamentum vnde oriatur 333
Temperamentum nostrum vnde pendeat Plat. 31.43
Temperamentum viuentis quomodo p̃maneat in cadauere 81
Testes vim habent conficiendi semen, ex Arist. 170
Terminis ad quem in generatione hominis duplex 452
Terminus quo fœtus possit innocue ab vtero exire vnde sit desumendus 394
Terra est communis omnium plantarum mater 344
Totum omne mutilatur, vbi pars aliqua à cæteris separetur 147 384
Totum quod habet partes, simplex esse non potest 423
Totum duplex est 415
Totum materiæ quid ibid.
Totum formæ quid ibid.
Totũ in definitione generationis in quo significato assumendũ. ibi.
Totũ quale mutetur variata vel

vna particula, & quale non ibid.
Totum habere posse actionem diuersam ab actionibus partium 79. 80.

V.

VAsa seminalia grauiditatis tempore veneri semen eiaculantia quæ 124.125
Vasa spermatica deferentia non puro semine, sed seminis rudimento referta 169
Vasa quæ fundunt semẽ ad superfœtationem 124.125
Vasa spermatica mulieris an implantẽtur in collum, an in fundum vteri ibid.
Vasa vteri virginalis exigua 311
Vasa menstrui vbi implantentur 126
Vegetales actiones postulant duo agentia 200
Vegetales actiones non fieri ope organi corporei quod fabricetur à vi formatrice 191
Vehiculum proprium dat cuiq; animæ Arist. 283. & seqq.
Vehiculum & vinculum animæ ex Fer. 60
Vehiculum animæ vegetalis proportione respondet corpori cœlesti ex Arist. 283
Vehiculum animæ compositum est vt anima ipsa 288
Vehiculum animæ vegetalis fieri calorem Arist. 284
Venerem senes ac imbecilles quo appetitu appetant rationali nè, an irrationali 405
Ventriculi actio quæ 249
Vermes & lumbrici in nobis ex quo gignantur 213
Vermes ac lumbrici quomodo generentur in intestinis 136
Verum triplicis generis 438
Verum falso admistum ibid.
Veritas omnib. est præferenda 98
Vinculũ simplex adnectere in vnũ posse naturas nõ simplices 417
Vinculum animam corpori adnectens quidnam sit 83
Vinculum nectens mortale cum immortali quale esse oporteat 30. 198
Virtus motrix impressa elemẽtis à generante est forma substantialis 161
Virtus impressa proiectis à proijciente est accidens ibid.
Virtus vbiq; proportione respondet essentiæ, cuius est virtus 370
Vis à masculo indita semini si fuerit accidens non potest generare substantiam 161
Vis formatrix viuiparorum animalium quo instrumento vtatur ad agendum 392.393
Vis formatrix in animalibus ouiparis quo organo vtatur 392
Vis partium corporis efformatrix quid

quid sit, & in quo 349
Vita quid sit Arist. 150. 289
Vita non influit à corde per arterias ad alias partes 153
Vitæ longitudo aut breuitas ex tẽperamento 133
Vitæ actiones in quo non est anima 287
Vita non aliunde est quàm ab anima 208
Vita omnis prius generat suã stirpem in seipsa quã extra se 453
Vita an habeat necessario adiunctam nutritionem 7. 8
Viuens quatenus mistum permanere etiam potest post obitũ 84
Viuens à nõviuente non gigni 286
Voces sunt notæ passionum animi 266
Voluntas humana à cœlo cogi non potest 279
Voluntas ita se habet ad mentem, sicut appetitus ad sensum 406
Voluntas potest seseapplicare menti & sensui 405
Voluntatis actio supponit actionem intellectus ibid.
Voluntatis actiones in nobis momento fiunt 294
Vmbilici vsus 388
Vnio animæ rationalis cum irrationali differt ab vnione sensitricis cum vegetali 429
Vnitas quid 430. 431
Vnitas addita numero facit vnum per se ens diuersum specie à priori numero ibid.
Vnum nobilius multiplici 33
Vnius numero quomodo sit vnus actus numero 194. 201
Vnum per se ens quomodo ex pluribus fieri possit 204. 205
Vnum an possit simul diuersis actionibus vehementius incumbere 399. 400
Vniuoca propriè dicta sunt eiusdẽ generis 29
Vnumquodq; resoluitur in ea ex quibus componitur 205
Vnumquodq; est id quod in eo est summum 207
Vsus partium, quibus homo communicat cum alijs animalibus, communis item esse debet 387
Vterus semine attracto clauditur arctissimè 318
Vtert sani calor mitis ac blandus 319.

FINIS.

1779